DE TYPHO GENERIS HUMANI, SIVE SCIENTIARUM HUMANARUM, INANI AC VENTOSO...

Hieronymus Hirnhaim

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
35 I 19
81.

Digitized by Google

18. I

XIX B 60

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE
TYPHO
GENERIS HUMANI,

SIVE

SCIENTIARUM HUMANARUM,
INANI AC VENTOSO TUMORE, DIFFICULTATE, LABILITATE, FALSITATE, JACTANTIA, PRÆSUMPTIONE, INCOMMODIS, ET PERICULIS.

TRACTATUS
BREVIS.


In quo etiam vera ſapientia â falſa diſcernitur, & ſimplicitas mundo contempta extollitur; Idiotis in ſolatium, doctis in cautelam conſcriptus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

AUTHORE
HIERONYMO HIRNHAIM,
Canonici Ordinis Præmonſtratenſis Eccleſiæ B. V. Pragæ in monte Sion vulgo Strahow, Abbate, per Bohemiam, Auſtriam, Moraviam, & Sileſiam Viſitatore, ac Vicario Generali, SS. Theologiæ Doctore.

PRAGÆ, Typis Georgij Czernoch, Anno M. DC. LXXVI.

Digitized by Google



Digitized by Google

APPROBATIO REVERENDISSIMI ET AMPLISSIMI DOMINI OFFICIALIS PRAGENSIS.

LEgi accuratè librum de Typho generis humani â DOMINO HIERONYMO HIRNHAIM, SS. Theologiæ Doctore Eximio, Sacri & Canonici Ordinis Præmonſtratenſium Pragæ in monte Sion, vulgo Strahovv, Abbate & Prælato, nec non ejuſdem S. Ordinis per Boëmiam, Moraviam, Auſtriam & Sileſiam Viſitatore & Vicario Generali doctiſſimè conſcriptum; quem mirâ & exquiſitâ

erudi-

Digitized by Google

eruditione, pióq; ſpiritu plenum, ſcripturis Divinis, SS. Patrum ſententijs, doctrinæ Orthodoxæ, & bonis moribus per omnia conformem reperiens, utilem fore cenſui & approbavi, qui contra tumentem ultra ſobrietatem ſapientium ſpiritum, ad eruditionem verò & conſolationem humiliter ſentientium, pro futura pariter ejuſdem Eximij AUTHORIS perenni laudis memoria, publicæ lucis fiat. Dabam ex ædibus meis Pragæ 23. Novemb. Anno 1674.

(L. S.)

Chriſtianus Auguſtinus Pfaltz ab Oſtritz, SS. Theologiæ Doctor, S. Metropol: Eccleſiæ ad Sanctum Vitum Scholaſticus & Eccleſiaſtes, Canonicus Budiſſinæ, Celſiſſimi Principis Archi-Epiſcopi Pragenſis Officialis, & Vicarius Generalis.

ORDO

Digitized by Google

ORDO

AC

SERIES CAPITUM,

Quæ hoc libro continentur,

ET

MATERIARUM,

Quæ in illis tractantur.

CAP.		Pag.
I.	DE nimio ſciendi deſiderio mortalium.	8.
II.	De temporalibus ſcientiæ nocumentis, & fluxa ejuſdem conditione.	13.
III.	Scientiam non dari.	20.
IV.	De ſcientiarum difficultate & falſitate.	30.
V.	Scientiarum incertitudo pluribus declaratur.	41.
VI.	Magna hominum ignorantia in explicandis naturæ magnalibus; inter quæ primo loco rerum Sympathiæ cenſentur.	53.
VII.	Ignorantia noſtra in explicandis magnetiſmis.	68.

)?(3 De

CAP.		Pag.
VIII.	De rerum Antipathiis, carúmq; mirabilibus.	80.
IX.	De alijs naturæ mirabilibus, quorum cauſæ nobis ſunt incognitæ, & â nonnullis in ideas referuntur.	95.
X.	Multi hæc naturæ magnalia refellunt, quia rationem illorum reddere non poſſunt.	109.
XI.	De univerſali quodam principio, per quod omnia naturæ arcana optimè quibuſdã videntur explicari.	129.
XII.	Spiritûs mundi fautores illius exiſtentiam aliis adhuc argumentis perſvadere conantur.	142.
XIII.	Doctrina idearum proponitur.	146.
XIV.	De occultis & mirabilibus atomorum effluvijs.	158.
XV.	Veritas Authorum ipſam tenentium vitio quandoq; ſuppreſſa.	163.
XVI.	De materialibus rerum principijs magna inter Authores diſſenſio.	167.
XVII.	Adſertur modus probabilis ex relatis huc uſq; principijs, omnia naturæ miracula explicandi.	171.
	§. I. Quomodo cœleſtes influxus, mediante ſpiritu mundi poſſint explicari.	172.
	§. II. Modus explicandi Sympathias in ſententia ſpiritûs mundi.	175.
	§. III. Modus in hac ſententia explicandi magnetiſmos.	178.
	§. IV. Quomodo antipathiæ in hac ſententia poſſint explicari.	183.

§. V.

Digitized by Google

CAP.		Pag.
	§. V. Quomodo idearum doctrina in ſententia ſpiritûs mundi debeat applicari & explicari.	185.
XVIII.	Liquidò nondum conſtat per hucuſq; dicta, circa rerum in hoc univerſo mirabilium cauſas, erutam eſſe veritatem.	189.
XIX.	Scientia tempus meritis & pietati conceſſum vanè prodigit, & ſpiritum ac devotionem diſtrahit.	197.
XX.	Docti plerumq; mali, & vitijs ſubjecti. Excuſant excuſationes in peccatis, quæ ipſis tamen longè graviùs quàm alijs imputantur.	209.
XXI.	De ſterili ſcientia & prædicatione Doctorum.	224.
XXII.	Scientia inflat.	234.
	Appendix. De vano libros conſcribendi ſtudio.	247.
XXIII.	Docti multa ſcientes ſe ipſos neſciunt.	251.
XXIV.	De indocilitate ac pertinacia literatorum.	256.
XXV.	De contentioſis & cavillatorijs diſputationibus.	265.
XXVI.	Doctorum in ſcrutandis rebus altis vana curioſitas.	280.
XXVII.	Rara Doctorum humilitas.	293.
XXVIII.	Funeſti & lacrymandi Doctorum caſus exemplis quibuſdam demonſtrantur.	298.
XXIX.	Doctorum fides minùs meritoria eſſe declaratur.	311.
XXX.	Scientiæ laus & neceſſitas.	315.
XXXI.	De ſæcularis ſcientiæ ſtudio.	327.
XXXII.	De vera & falſa ſapientia.	345.
XXXIII	Vera ſapientia demonſtratur.	352.

In

Digitized by Google

XXXIV. In cœlo conſummata ſapientia & ſcientia, nulla in inferno. 274.
XXXV. Idiotarum & ſimplicium ſors extollitur. 379.
XXXVI. Simplices in prædicatione, & hæreticorum aliorúmq; pravorum hominum converſione, plùs doctis proficiunt. 388.
XXXVII. Deus ſimplicium Doctor & Illuminator. 406.
XXXVIII. Simplex oratio Deo gratior quàm docta. 424.
XXXIX. De ſimplicitate ſapienter indocta reſiduum. 429.
XL. Objectioni cuidam reſpondetur, & mens Authoris per aliquot paragraphos pleniùs declaratur. 436.
§. I. Scientia per accidens tantùm mala, ejúſq; abuſus, non uſus damnatur. 437.
§. II. Scientiam, licèt per accidens malam, prudenter vitari. 439.
XLI. Scientia ſi evitari non poſſit, quomodo in ea converſandum. 443.
§. I. Quo ordine ſcire oporteat. 444.
§. II. Quo ſtudio ſcire oporteat. 445.
§. III. Quo fine ſcire oporteat. 446.

PROE-

Digitized by Google

PROOEMIUM.

Titulum *de Vanitate ſcientiarum* præſenti opuſculo præfixurus eram, ſed veritus fui, ne ſi â fronte ſignum hoc præferret, timorati Lectoris animum ſtatim â ſe averteret; tanquam ea interiùs propinaret, quæ ſimili ſub hedera exitioſè propinat liber Cornelij Agrippæ, qui *de Vanitate ſcientiarum* volumen pariter exaravit, dignum meo quoq; arbitratu, in quod ingeniorum omnium ſcientijs excultorum acies & aculei ſtringantur, dignum tenebris, dignum infernali, cum probroſis Authoris ſui manibus addici Vulcano.

Agrippa iſte eſt, qui (ut elogium ipſius ex Pauli Jovij, de viris doctrinâ Illuſtribus hiſtoria referam) *immenſo captu, vaſtâq; memoriâ, ſcientiarum artiúmq; omnium rationes, arcanáq; intima, & ſummos apices complexus, diſciplinas convellit, Religiones in dubium revocat, ſtudiorúmq; omnium labores feſtivâ declamatione deridet; eóq; vehementiùs, atq; validiùs, quòd tantæ novitatis argumenta ſacrarum literarum authoritate confirmentur; quaſi feliciore opere illudentis ingenij tantas opes oſtentare nequiverit, niſi vir educatus in literis, & â Cæſare, eruditionis ergo, equeſtris Ordinis dignitate honeſtatus, importunos arietes inanis eloquentiæ, æternis optimarum literarum arcibus admonuiſſet.*

Quonam autem zelo inductus, & qua cum animi mode-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

ratione, ad prolacerandas ſcientias calamum ſtrinxerit, docet abunde totum opus virulento plenum ſarcaſmo, docent non in ſcientias tantum, ſed in omnes hominum artes, ſtatus, ac profeſſiones quantumlibet ſacras, ſtylo procaciſſimo turpiter jacta convitia; animi quoq; ipſius perverſitatem prodit occulta quam edidit Philoſophia, tum ad ſyncerioris, ut ajebat, doctrinæ laudem aſſequendam nitentibus ſuggeſta compendia, ſpirituum familiaritate addiſcenda, & ipſe nigrarum magiſter artium dæmon, quo talia inſpirante ſcripſit, quem etiam atri canis ſpecie ubiq; ſecum circumducebat; lamentabilis deniq; vitæ ipſius Cataſtrophe: nondum enim ſenex apud Lugdunum, ignobili & tenebricoſo in diverſorio exceſſiſſe ſcribitur; cúmq; propinquâ jam morte ad pœnitentiam urgeretur, Cerbero ſuo collare loreum, magicis per clavorum emblemata inſcriptum notis exolviſſe, in hæc ſuprema verba iratè prorumpens: *abi perdita beſtia, quæ me totum perdidiſti.* Nec unquam poſtea ſtygius ille cuſtos, ac familiaris itinerum omnium comes, & tum morientis domini deſertor conſpectus eſt; ſed præcipiti fugæ ſaltu in Ararim ſe immerſiſſe viſus, ſtygem proculdubio, ad parandam hero ſuo manſionem, repetiturus.

Ne cum probroſo & infami hoc Authore apud omnes timoratos pari obvolvar infamiâ, ejúſq; ſi non miſeros manes, at doctrinam ſaltem damnatam in lucem videar revocare, infames ipſius artes, quas dæmone hauſit Magiſtro, execrari me palàm profiteor, de quibus in Jovio inter Latomi verſus diſtichon poſtremum ſic habet:

O miſeras artes! quæ ſolæ ea commoda præſtant,
Accedat ſtygias notus ut hoſpes aquas.

At cùm non hæ ſolummodo artes ea malè præſtent commoda, ſed per aliarum quoq; artium & ſcientiarum tramites, mortales plurimi ad inferos devehantur, ſcientias hoc ſcripto perſequi placuit, de quibus inanis ſtultúſq; mundus inſolen-

tiſſimè

tiſſimè gloriatur; tumidam illam pſeudoſophiam, quâ inflati hodie multi faſtuosè ſuper alios extolluntur, magnum ſe arbitrantes præſtare obſequium Eccleſiæ, magnum Deo, deridentes ſimplicitatem juſti, tanquam illi ſoli eſſent homines, & cum ipſis moritura eſſet ſapientia.

Hanc vanorum hominum ſcientiam *typhum humani generis* appello: quam phraſin Magnus Aurelius frequenter uſurpat. Eſt verò *typhus*, vel *typhon*, ventus, ſeu turbo aëris, è nube eliſus & conglobatus, qui â terra ſive aqua repercuſſus, circumrotatione ſuâ obvia quæq; evellit, confringit, & in altum abripit, præcipua navigiorum peſtis, teſte Plinio, non antennas modò, verùm etiam interdum ipſa quoq; navigia contorta frangens.

Huic inflanti & evertenti vento, Divi Auguſtini veſtigijs inſiſtens, exitioſam hujus mundi ſcientiam comparo. O quot in genere mortalium, faſtuoſi ac eminentes arundinum flocci hoc ſcientiæ vento agitantur, & diſcerpuntur! quot illo tumidi utres in exitium ſuum inflantur! quot eodem velut nubes ſinè aqua per inane vitiorum circumferuntur! quot hoc typho, è terra virtutis & baſi vitæ melioris eradicati, in altum exitiosè tolluntur! Quot turbulentus hic Auſter contrivit, *Ezech. 27.*
quot typhonicæ hujus procellæ impetu contorta & confracta ſunt pelagus hujus mundi ſulcantium navigia. Quot *ventum* *Oſee 8. 7.*
hunc ſeminantes, *turbinem* metunt æternæ damnationis. Stultorum tamen plena ſunt omnia, qui etiamnum in deſiderio animæ ſuæ attrahunt hunc ventum, paſcunt hunc ventum, quibus aliquando nihil proderit laborâſſe in ventum. *Jerem. 2. 24. Oſe 12. 1. Eccle. 5.*

Occaſionem porrò ſcribendi hujus Tractatûs dederunt illa verba Norbertini ſermonis â me nuper enucleati; quibus Patriarcha Sanctiſſimus ait: Verbum Dei benevolas animas ditare *ſapientiâ*, idémq; â nobis vult cuſtodiri *ſapienter*. Quorum fuſior & plenior enucleatio ad materiam Religionis non

ità pertinere videbatur. Hinc de ijs in præſenti ſingulariter tractare conſtitui; ut ſicut ea omnia, quæ Religionem concernunt, enucleativo illo tractatu abundè ſunt explanata, ita hîc ea pertractentur, quæ ſcientiæ ſeu ſapientiæ conſecutionem ſpectant: Per ſcientiam namq; Religioni conjunctam, quæ
2. Tim. 3. vera eſt ſapientia, *perfectus ſit homo Dei, & ad omne opus bonum inſtructus.* Conſtare hinc etiam poterit veræ ac falſæ ſapientiæ diſcrimen, uti & viarum diſſimilitudo, per quas ad utramq; tenditur; habebunt quoq; docti unde frænum deſumant, quo animos in ſcientiam præcipites retineant, ac moderentur; Indocti verò, quibus aut natura ſciendi talentum, aut Religioſa obedientia diſcendi occaſionem negavit, ſufficiens reperient ſolatium, quo ſorte ſuâ contenti vivant, & ſi docti ac ſapientes eſſe volunt, medium invenient, quo ad culmen perfectæ ſapientiæ, abſq; libris, ſcholis, & ſtudijs literarijs, compendioſiſſimo ac ſecuriſſimo tramite valeant pervenire.

Fateor quidem diu me cunctatum hæſiſſe, & mente dubiâ fluctuâſſe, an præſentem Tractatum luci publicæ deberem exponere. Scio enim in hoc terrarum orbe non multos eſſe ſapientes Jeruſalem, plures verò ſapientes Babylonis, quibus hæc mea ſcriptio tametſi optima cum intentione ſuſcepta, omnis cenſuræ mordacioris expers, nullius nomen vel honorem diminuens, ſapientiſſimorum etiam virorum, maximè verò Sanctorum Patrum, & ſcripturæ divinitus inſpiratæ, ſententijs atq; teſtimonijs ſtabilita, ſtomachum nihilominus movebit, & ventres eorum provocatâ bile faciet amaricari. Abominationes namq; ipſorum videor immolare; hoc eſt: ſcientiam, quam illi adorant, nihili facere. Inſurgent contra me cum Demetrio argentario multi artifices, qui ædes argenteas in ſuo cerebro, non quidem Dianæ, ſed Minervæ fa-
Actor. 19. bricant, & inde non modicum laudis ac vanæ gloriæ quæſtum faciunt; clamabunt contra me ad invicem dicentes: *De hoc artifi-*

artificio eſt nobis acquiſitio. Et: *Videtis, & auditis, quia hic ſvadens avertit turbam.* Unde *magna* Palladis, ſeu ſcientiæ *templum in nihil reputabitur, & deſtrui incipiet Majeſtas ejus, quam orbis colit.* Sed hos nîl moratus, cum illo ſcriba Epheſio, jubeo citra clamorem & ſeditionem ſua proponere, & pacificos permanere, quòd ſi quid rei ab illis quæritur, in legitima Eccleſia poterit abſolvi.

Ad vos jam convertor ſapientes Jeruſalem, non tam ſcientiæ, quàm ſalutis veſtræ opifices, qui in hac Babylonica captivitate viam veræ ſapientiæ inquiritis, quâ ad ſupernam illam Civitatem veritatis æternæ perveniatis. Vos prudentiam carnis exoſi, ſtudia quidem ſectamini, at *non illa vaga, nugigerula, verboſa, contentioſa, cavillantia, ambitioſa, etiam ſanctum animum vel jam perfectum*, teſte Divo Bernardo, *diſſipantia; ſed ſpiritualia, pacifica, humilia, humilibus conſentientia.* Vos ſapientiam illam maledictam faſtiditis, *ſapientiam mundi, terrenam, animalem, diabolicam, inimicam ſalutis, vitæ ſuffocatricem, matrem tepiditatis ejus, quæ ſolet Deo vomitum procurare.* Sapidam verò illam ſcientiam concupiſcitis, *ad cujus plenitudinem opus eſt potiùs intimâ compunctione, quàm profundâ inveſtigatione; ſuſpiriis, quàm argumentis; crebris lamentationibus, quàm copioſis argumentationibus; lacrymis, quàm ſententiis; oratione, quàm lectione; gratiâ lacrymarum, quàm ſcientiâ literarum; cæleſtium potiùs contemplatione, quàm terreſtrium occupatione.* Hæc autem ſtudia veſtra ſancta, & otia quæſtuoſa, ſugillant & cavillantur ſapientes Babylonis. *At nihil ad nos attinet, quid judicent ſtulti, quid homunculi ſentiant; nos judicium Dei expectare debemus, ut eos poſtmodum qui de nobis judicaverint, judicemus.* * *Sinite, ſinite ſapientes hujus ſæculi, de ſpiritu hujus mundi tumentes, alta ſapientes, & terram lingentes ſapienter deſcendere in infernum; vos autem dum foditur peccatori fovea, ſicut cœpiſtis, ſtulti permanete propter Chriſtum.*

S. Bernar. de vita ſolit:

Idem ſuper Evãg. Ecce nos.

Idem c. 7. de interiori domo.

Lactant: in Epit: div: inſtit. cap. 1.

S. Bernar. epiſt. ad ff. de monte Dei.

ODE

O · D E
PROOEMIALIS.

Quis turbo noſtrum præcipitat genus
Totum per orbem? quæ rabies typhi
Humana ſternit corda, atroci
Clade furens tumidum per æquor?

Heu! quot carinas exitio dedit
Ventoſa vanæ bucca ſcientiæ,
Non in ſalutem literatos
Ædificans animos, ſed inflans

Corda in ruinam. Mortifero huic typho
Adverſa pando carbaſa; nec timor
Pectus tenet, ne ſors eodem
Intereat mea cymba vento.

Gaudet polorum tuta favoribus,
Nam vela ſacris edita paginis
Dat Pneuma Divinum, favéntq;
Remigio pia ſenſa Patrum.

It firma ſacro dogmate fabrica,
Fiducialis ſpes tenet anchoram,
Et charitas in tutiorem
Cuncta refert hominum ſalutem.

Hoc votum, hic unus navigij ſcopus:
Doctrina ut Auſter dejiciat ſuas
Confuſus alas, & minori
Clade genus premat eruditum.

Vento-

Digitized by Google

Ventoſa quamvis agmina ſæviant,
Cunctis procellæ viribus ingruant,
Scylláq; latrantes minentur,
Nil metuit ſcapha veritatis.

Tu nunc cui Auſter, cuì mare obediunt,
De ſacra Olympi ſede, Favonios
Da provehentes, & feroces
Flabra jube cohibere ventos.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

De nimio ſciendi deſiderio mortalium.

I. OMnes homines naturaliter ſcire deſiderant; & ùt ait Sanctus Auguſtinus, *pænali morbo plus ſitiunt quàm capiunt.* (*Confeſ. lib. 12. c. 30.*) Imò ſecundùm Ariſtotelem, infinitum habent ſciendi appetitum. Salvius Julianus cùm eximiâ juris peritiâ, tum multorum Principum amicitiâ clarus dicere ſolebat: (*Refertur l. apud Julianum, ff. de fidei comm.*) *Etſi alterum pedem in ſepulchro haberem, adhuc diſcere vellem.* Tolerabile ſatis malum in ijs, qui naturæ talentis abundè ſunt inſtructi. At nunc tanto ſciendi deſiderio paſſim flagrant omnes, ut cum Ariſtarcho pronuntiare poſſim: *Olim vixerunt ſeptem ſapientes, nunc haud facilè totidem invenias Idiotas*; adeò ſcilicet unuſquiſq; etiam inter illos quibus natura parcè ſatis opes ſuas contulit, laudem affectat ſcientiæ, tantâq; illius cupidine tenetur, ut vel neminem reperias indoctum, vel ſaltem qui indoctus æſtimari, vel eſſe velit; nonnulli quoq; inveniantur, qui cum vano Herillo ſummum ſuum bonum conſtituant in ſcientia, & per ipſam Deos adæquare, aut ſaltem quadantenus ad eorum perfectionem accedere ſe poſſe vanè arbitrentur.

Multos hæc cordis humani primùm allectiva, deinde inflativa peſtis, in exitialem ſui cupiditatem trahit, quin etiam rudes, ejúſq; omnino incapaces oblectatione ſuâ nonnunquam dementat, prout ex ſequenti non illepido patebit exemplo, quod ex Cæſario his ipſius verbis recitare placuit.

Lib. 5. c. 16. In domo quadam Religioſa Converſus quidam fuit, qui â Monachis cum quibus loquebatur, in tantum literas didicerat, ut textum legere ſciret; hujuſcemodi occaſione illectus & deceptus, libellos ſibi ad

hoc

hoc idoneos occultè fecit conſcribi, cœpitq; in vitio proprietatis delectari. Cúmq; hujuſmodi ſtudium, eidem Converſo, ad hoc nimis converſo prohiberetur, amore diſcendi Apoſtaſiam incurrit, modicum tamen propter ætatem profecit. Deinde ad Monaſterium pœnitentiâ ductus rediens, & hoc uſq; tertiò actitans, nunc ad ſcholas ſæculares exeundo, nunc revertendo, diabolo copioſam in ſe præbuit materiam decipiendi; viſibiliter enim illi quadam vice apparens in ſpecie Angeli, dixit: *Diſce fortiter, quia futurum eſt, & â Deo definitum, ut Halberſtadenſis fias Epiſcopus.* Stultus ille diaboli dolos non obſervans, ſperabat in ſe antiqua renovanda fore miracula. Quid plura? die quadam ſeductor Converſo ſe ingerens, clarâ voce, & hilari facie dicebat: *Hodie Epiſcopus Halberſtadenſis defunctus eſt, feſtina venire ad Civitatem, cui â Deo Antiſtes deſignatus es, ipſius enim conſilium mutari non poteſt.* Statim miſer de Monaſterio ſilenter exiens, nocte eâdem in domo cujuſdam honeſti Sacerdotis, juxta Oppidum Xantenſe hoſpitatus eſt. Ut autem glorioſè ad ſedem ſuam veniret, nocte ante lucem ſurgens, equum hoſpitis valde bonum ſtravit, cappam ejuſdem induit, aſcendit, & abijt. Manè familia domûs damno cognito apoſtatam inſequens apprehendit, â qua ad judicium ſæculare cum furto tractus, & per ſententiam damnatus, non cathedram, ùt Doctor vel Epiſcopus, ſed ſicut fur patibulum aſcendit.

Occurrunt paſſim hodierno etiam tempore multa ſimilium exempla, quos natura indociles progenuit, & idiotas juſſit vivere, qui tamen tanto ſciendi deſiderio æſtuant, ut ſi ſtudijs applicentur, capita ſua pertinaci, ſed irrito labore frangant, ac cerebrum inaniter conſumant, & per multas literas, quibus omnino ſunt inhabiles, ad inſaniam frequenter perducantur, quòd ſi verò ſtudendi præciſa ſit facultas, pudet indoctos vivere, ac livore adverſùm literatiores pene rumpuntur.

Ex hoc immoderato ſciendi deſiderio provenit, quòd tantus ubiq; noſtro ſæculo ſit ſcholarium numerus, tanta ſtudentium turba, dum ad Gymnaſia & Univerſitates gregatim convolant mendicabula, pauperes volo dicere non tantùm marſupio, ſed etiam ingenio, qui poſtquam non parvo cum Urbium onere magnam ætatis partem in ſcholis detriverint, animi laboribus inepti, manualibus verò inaſſveti, reliqvum in deſide penuria vitæ tempus tranſigunt, magno cum dedecore bonarum artium, nec modico Reipublicæ detrimento. Expediret profectò in mul- II.

tis reprimi hanc diſcendi pruriginem, nec omnibus indifferenter Palladis januam patere.

Audiamus quid hac de re ſenſerit Juſtus Lipſius, qui cùm dixiſſet: *doctrinam nonnihil promovendam eſſe à Principe*, in notis hæc addidit: *Jure moneo; nam ut Symmachus ait, ſcimus bonas artes honore nutriri, atq; hoc ſpecimen eſſe florentis Reipublicæ, ut diſciplinarum profeſſoribus præmia opulenta pendantur. Sed tamen voculam* nonnihil, *de induſtria addidi: quia ut tollere eas noxium, ita calidè nimis promovere. Juſtinianus antiquitus conſtitutas in quoq; oppido annonas, profeſſoribus bonarum artium dandas, de conſilio Præfecti ſui ſuſtulit; atq; ita frigentibus paſſim per oppida ſcholis, ruſticitas & barbaries occupavit inhabitantes. Mala hæc ſecuris, quam Thrax Imperator injecit; ſed illi quoq; occultè noxij, qui effusè nimis promoverunt. Nam otium & mollitiem nullâ re faciliùs aut honeſtiùs in animos irrepere, quàm viâ hac literarum, omninò fatendum eſt. Atqui robur & virtus non ſunt, ubi illa. Ut catuli ad venandum inepti, qui ſaltare, & ejuſmodi delicias docti: ſic ad virilia exercitia parum apti cives nimis exculti. Franciſcum Regem primum, & Leonem decimum, qui avidè literas excitârunt, in cœlum tollimus. Si propoſitum ſpectamus, meritò; ſi finem & ſucceſſum, ambigo; quia revera alter Galliam ſuam, alter Italiam cultiorem amæniorémq; reddidit, ſed unà & molliorem. Quid bonæ ſpei reliquum, ubi etiam fœminæ paſſim in libris & literis? atqui eò ventum. Mihi ſpartani illi probi, qui literas ad uſum ſaltem diſcebant, reliqua omnis diſciplina erat ut pulchrè parerent, ut labores perferrent, ut in pugna vincerent. Et à Principe meo in ſuis civibus id ſervari ſuadeam valde. Non nimis, non omnes ſtudijs ſe applicent, ſed nobilitas tamen maximè; quia patres valere decet conſilio, populo ſupervacanea eſt calliditas.*

Hunc Lipſij textum cùm attuliſſet Adamus Contzen in ſuis politicis, ſenſum ſuum eidem ita ſubjicit: *Ego quanquam nonnihil à Lipſio diſſideam, cenſeámq; doctrinam omni modo promovendam, hoc tamen probo, quòd delectum ſtudioſorum inſtituit, quódq; eruditionem, ni rectè tractetur, obeſſe plurimùm Reipublicæ judicet. Errari hac in re plurimùm, ſcholarum nos conſpectus docet. In Academia, quæ vix in ſingulos annos triginta Baccalaureos, vicenos Magiſtros artium, vix in luſtrum, medicinæ, Juris, vel Theologiæ Doctorem producit, mille adoleſcentes docentur. Magna pars poſt ſcholas grammatices aliò flectit animos, aſſueti* (*Lib. 2. polit. c. 17. §. 6.*)

ad

ad otium literarium, nec ad opificum tribus; nec ad militiam idonei ſunt; hinc otioſorum, vagabundorum, Muſicorum, poetaſtrorum ingens copia; hinc in clerum & monaſteria prorepunt perniciosiſſimè indocti. Nónne præſtabat initio, pueros, & cuilibet adhuc arti habiles à ſtudijs amoveri, quàm poſt laborum & ſumptuum impendia, cum dedecore ea deſeri? ipſos Magiſtros & Doctores aſpice, partim indoctos, partim bullatos, paucos excellentes. Cauſa tanti mali confuſa diſcentium multitudo, in qua quisq; quamvis ingenio deficiat, eniti ad eruditionis faſtigium contendit; cùm verò pleroſq; vires deſerant, neceſſe eſt multos in ipſis principijs, alios in medio, alios in fine, prope ipſam metam concidere. * *In hanc partem*, inquit idem author, *totâ Europâ pene video peccari. Et liberè aſſero ipſe amator & alumnus ſtudiorum, nimis multos videri eſſe ſtudioſos, Principémq; & Rempublicam operam dare oportere, ne eam ob cauſam publicum bonum lædatur.* *Ibid. §.5.*

III.

Si tantopere literarum gloriâ inſipientes delectantur, quantùm non ij, quibus talentum docilitatis natura conceſſit? paucos hac in parte cernimus deſideriorum ſuorum viros. Omnes anhelant *ad ſatiandas inſatiabiles ſuas cupiditates, copioſæ inopiæ, & ignominioſæ gloriæ.* * O *cuſtos cordis, quiſquis es* hujusmodi, *quàm modicum & cupidum cor habes? parvum eſt, & magna cupit; Vix ad unius milui refectionem ſufficere poſſet, & totus Mundus ei non ſufficit*, adeo ſcire & comprehendere omnia deſiderat. *Vanè occuparis ô cor ſapiens, & omni prærogativâ excellens, in his quæ vanitates vanitatum ſunt;*

S. Auguſt. Conf. lib. 1. cap. 12. *S. Bernar. de inter: domo c. 64* *Idem ibid. cap. 26.*

Cur ſequeris ventum quaſi ſint tibi ſæcula centum?

IV.

Anhelabat aliquando, ut tradunt fabulæ, ignem è Cælis in terras à Prometheo deportatum, & primùm à ſe viſum Satyrus quidam complecti, & oſculari; quem Prometheus ſalubriter monuiſſe fertur: *heus*, inquiens, *ni caves, hirce, profectò dolebit tibi mentum.* Poteſt hæc fabula illis convenienter aptari, qui fatuè & inconſultè multa ſcire ambiunt in ſuam ipſorum perniciem, qui poſtquam non quidem mento, ut ignem Satyrus, ſed menti appoſuerunt ſcientiam, experiuntur ſe appoſuiſſe & dolorem.

Neſcio quam peſtem tantopere mortalibus abominandam eſſe pronuntiem, quantopere hunc typhum perniciosiſſimum, qui univerſum genus humanum ab ipſa radice jam ſemel ſubvertit, & omne malorum, ac miſeriarum genus, & grave illud jugum, à die exitûs de ventre Matris,

Digitized by Google

usq; in diem ſepulturæ, in Matrem omnium, quod protoparentum noſtrorum, noſtrámq; in ipſis culpam, luentes lugentésq; poſteri etiamnum ſentimus, infeliciter invexit. Quòd enim in Adam vulnerati, ſpoliatiq; gratuitis, ſanctitatem & juſtitiam, cum qua in ipſo conſtituti eramus, amiſerimus; quòd iram, ac indignationem DEI, mortémq; pœnarum maximam à Numine ſupremo comminatoriè priùs intentatam, & cum morte captivitatem, ſub ejus poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt diaboli, incurrerimus; quòd deniq; ſecundùm corpus & animam in deterius ſimus commutati, totúsq; in nos Orbis terrarum cum natura univerſi pugnare videatur, cauſa quæ alia fuit, quàm peſtilens ſciendi cupiditas? quâ obcæcati parentes noſtri, illi nimiùm verſuto ſerpentis antiqui credidêre lenocinio: *aperientur oculi veſtri, & eritis ſcientes*, per quam illata humano generi vulnera, niſi miſericors ille Samaritanus de Cœlis in terras advena ſanâſſet, latúmq; in nos mortis chyrographum morte ſuâ clemens aboleviſſet, cuncti nos in Maſſa perdita comprehenſi infelicem gemeremus æternitatem.

Gen. 3.

Pulchra quidem & delectabilis eſt arbor ſcientiæ; ſed eſt ſcientiæ boni & mali, quam ſcilicet ſi quis præter rationem guſtet, & bonorum multorum jacturam, & mala plurima per experimentum nôſſe diſcet, qualiter ſciens, & cum dolore ſapiens eſſe cœpit univerſum genus humanum, dum peſtifero illo ſerpentis antiqui ſibilo deceptum vanè ſapere ambivit. In multis hoc ſæculo ſi adeſſet, plangeret Apoſtolus, quod Corinthijs timebat, dum in hæc verba illis ſcripſit: *timeo autem, ne ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtutiâ ſuâ, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto*: Fatui enim mortales, quibus ab illo primitus concepto ſciendi deſiderio, non mentum duntaxat, ut Satyro illi, ſed tota etiamnum dolet natura, nondum mala ſua nôrunt, ſed dæmonis vanâ ſuggeſtione allecti, peſtiferum illud ſcientiæ pomum deguſtare avidi adhuc anhelant, ut ſint ſcientes. Quisquis igitur ſapis, ne præſtes animæ tuæ hanc noxiam ejus concupiſcentiam, ne gaudium fias inimicis tuis.

2. Cor. 11.

Quot hujuſmodi deliros, ac vanos ſcientiæ amatores, & helluones Mundus habet, tot mihi adverſarios propono, quorum in ſe odium prodita concitabit veritas. Nec vereor, ne ab aliquo ipſorum tritum illud mihi objiciatur: *Ars non habet hoſtem niſi ignorantem.* Sed gloriæ potiùs mihi ducturus ſum hodie, cum Idiotis & multa ſapienter ignorantibus

Digitized by Google

bus computari, quorum laudem, atq; ſecuram felicitatem hoc ſcripto tractare aſſumo; nec mihi, quanquam in literarijs laboribus à prima juventute indeſinenter hucusq; deſudaverim, ullam ſcientiæ poſſeſſionem attribuo; proinde ſapientiorum judicio cuncta libentiſſimè ſubſterno.

Subijciam pro fine hujus Capitis brevem quendam anagrammatiſmum ex nomine SCIENTIA, *INIT ESCA.*

Dulciter ingreditur, latet intus dæmonis hamus,
Hunc cave; nec ſapiat, ſi ſapis, eſca tibi.

Addam & aliud diſtichon, in præſentis anni chronoſtichon, ex ſapientiſſimis Eccleſiaſtici monitis deſumptum, ad cavenda ſcientiæ lenocinia ſub alio ſenſibili repræſentata. *Chronoſtichon in annum 1676.*

CaVe tIbI & attenDe DILIgenter aVDItVI tVo,
Ne doctrina tuas vanè demulceat aures; *Eccli. 13. 16.*
Incautum Siren fallere blanda cupit.

CAPUT II.

De temporalibus ſcientiæ nocumentis, & fluxa ejusdem conditione.

SPiritualia ſcientiæ nocumenta inferiùs copioſè recenſebimus. Hoc capite illa ſolùm nocumenta breviter perſtringemus, quæ ſcientia corpori humano temporaliter infert. Et primò quidem certum eſt, multas hominibus in ejus acquiſitione laborum moleſtias eſſe perferendas, tanto illa ſtudio, tantiſq; doloribus & ſudoribus comparari debet, ut olim bene dixerit Seneca: otium literarium ideo ſic dictum, quia ſummum eſt negotium, ac labor meliorem hominis partem fatigans, & iniquum ſit quibusdam viſum, ſcientiam ita minutam, impari nimiùm commutatione, velut aurum adulterinum, pro pretioſiſſimis mortalium laboribus à Dijs vendi. I.

Primum quidem, quod à nimio literarum, ſcientiæq; ſtudio animum humanum avocare poteſt, eſt ſpiritûs carníſq; afflictio, ac plurima corporis animiq; incommoda, & moleſtiæ, cum quibus conflictari ſolent, qui ſtudioſiùs operam ſuam venandæ ſapientiæ addixerunt. Ac ut pri- II.

Digitized by Google

mùm corporis incommoda proſequar, quorum præcipua Levinus Lemnius in libro de morbis literatorum inſcripto, accuratâ methodo complexus eſt; unde plerumq; literatis triſtis ille in vultu pallor? unde ſenſuum externorum hebetudo, præmaturus interdum corporis totius maraſmus, tremor artuum, atq; debilitas? Unde ſingultus, torſiones inteſtinorum, ventriculíq; cruditates? Unde involuntariæ vigiliæ, capitísq; dolores? Unde tot rheumata, & ut phraſi Eccleſiaſtæ utar, *nubes poſt pluviam revertentes?* Unde obſtructiones viſcerum, unde hypochondriacæ melancholiæ? Unde plura quæ hîc prætereo valetudinis detrimenta, quàm à labore literario? nam *frequens meditatio carnis afflictio eſt.* Quantò enim illa magìs potentias animæ ſuperiores occupat, tantò ampliùs impedit in operando inferiores; quantóq; ſolertiùs anima rationalis in cerebro laborat, tantò remiſſiùs anima vegetativa munus ſuum in corpore exequitur; quod medici probè nôrunt, qui propterea concoctionis promovendæ habitâ ratione, etiam intenſiorem paulò cogitationem à cibo ſumpto ſuſpectam habent, ac diſſuadent unanimes.

Ecclo.12.

Nec verò duntaxat ille ſtudiorum labor, qui poſt menſam illico aſſumitur, capiti & reliquo corpori nocivus eſt, eò quòd ſtomachi orificium laxet, quo niſi clauſo debitè perfici non poteſt concoctio, & ex hiante ventriculi culina craſſos ac tenebroſos de cibo fumante nidores evocet, qui mentis capitolium obfuſcant, & ſpirituum animalium ſerenitatem obnubilant; ſed etiam ille, quo multi ante ſomnum delectantur, quamvis non ſit in longam noctem protractus; hic enim ſoporiferos vapores diſſipat & conſumit, ut ſomnus vel nullus, vel exiguus ac turbulentus, variíſq; phantaſmatum ſpectris exagitatus ſubſequatur, qui corpus magìs quandoq; debilitat, quàm confortat. *Vigilia honeſtatis*, hoc eſt ſtudii quantumvis honeſti, *tabefaciet carnes*, inquit Eccleſiaſticus, *& cogitatus illius auferet ſomnum.* Imò, generaliter loquendo, ſtudium quodcunq; intenſius capiti & ſtomacho, totíq; corpori multùm incommodat; per illud enim ſpiritus animales copioſè abſumi certum eſt, ad quos reparandos magna vitalium & naturalium copia, ex infernis viſceribus ſubminiſtrari debet; quanquam & hi citiùs in cerebrum rapiantur, ad ſerviendum intellectivæ potentiæ functionibus, quàm debitè fuerint elaborati, & requiſitam pro illis munijs nacti perfectionem. Sic animalis & vitalis facultas ſpirituum penuriam pati cogitur, qui tamen velut operandi inſtrumenta ad omnes animæ functiones neceſſariò debent concurrere.

Eccli.31.

rere.

tere. Quomodo jam exhauſtâ, & depauperatâ ſpirituum penu, facultatum operationes debitè perfici poterunt? Neceſſarium eſt haud dubiè, ut omnes non tantùm quæ fiunt in ipſo capite, ſed etiam in hepate, corde, liene, ventriculo, venis, ac membris omnibus, ſaltem ad tempus elangveſcant, & dum animus ſtudendo ſine quiete occupatur, natura ſenſim deficiat, & præmaturâ etiam morte frequentiùs ſuccumbat. Stultus qui pro ſcientia vitam prodigit, & qui propter unum accidens deſtruit ac perdit ſubſtantiam. Plinius ejusmodi homines comparat luſcinijs, quibus tantum eſt canendi ſtudium, ut cantantes emoriantur, *ſpiritu citiùs deficiente, quàm cantu. Ita* inquit *nonnulli literarum immodico labore valetudinem extingvunt*, & maximas ſtudiorum moleſtias atq; labores non tantùm patienter, ſed etiam perlibenter ſufferunt, Diogenis pertinacem tolerantiam ferè imitantes, qui cùm illum Antiſthenes, quem ſibi profeſſorem delegerat, non tantùm minis, ſed etiam verberibus, & baculo graviter in caput inflicto à ſe repellere conaretur, caput patientiſſimè ſubmiſit dicens: *ego tibi lubens caput præbebo, quod jam diſcendi cupiditate ſubdidi. Neq; profectò tam durum fuſtem inveneris, quo me à tua diſciplina & doctrina abigas.* Tanta fuit in homine diſcendi cupiditas. *Lib. 10. cap. 29.*

Quid hîc dicam de commotionis defectu, quam corpori ſuo rariſſimè adhibent, qui literarum ſtudio profundiùs incumbunt, vitam ſedentariam plerumq; agentes, per quam ſpiracula cutis occluduntur, meatus viſcerum obſtruuntur, expultrices in corpore facultates obtunduntur, crudi & pravi humores coacervantur, è quorum ſentina intrà viſcerum receſſus ſtagnante, ſublevatæ vaporum nubes, caput & totum corpus mirè divexant, & rationales ipſas facultates perturbant, ut non tantùm ſtudere, ſed etiam vivere homini quandoq; diſpliceat.

III. Sunt nonnulli, qui textum illum Eccleſiaſtæ, *in multa ſapientia multa eſt indignatio*, explicant de ſapiente, ſuper mala valetudine corporis indignante, eóq; communiter melancholico, tetrico, & moroſo, quod præ reliquis malum doctos infeſtat, ut etiam ſcripſerit Ariſtoteles in problematibus; ſummos ſapientes & Philoſophos fuiſſe melancholicos; & Seneca teſtetur, *nullum* reperiri *magnum ingenium ſine mixtura dementiæ; ut me*, inquit Cicero, *non pœnitent hebetiorem eſſe.* Expertus novit, quàm crudelis ſit hæc humani tam corporis, quàm mentis afflictio, quippe quæ animam in carcere velut tenebroſiſſimo coarctatam, vixq; ſuſpirantem fatuis exterret imaginationibus, ac horribili triſtitiâ, ad deſperationis *Eccle. 1.*

Digitized by Google

tionis usq; diſcrimen interdum afficit & moleſtat; quod malum quàm humanâ manu ſit immedicabile, noverunt plurimi, qui medicam corporibus animíſq; hoc genere malorum inſeſſis navàrunt operam, ut mens ſana in corpore ſano reduceretur, ſed operam perdiderunt. Indigent igitur nonnunquam, imò plerumq; ipſi etiam ſapientes helleboro, ac intempeſtivis animi fatigationibus eò ſæpè devolvuntur, ut ſtulti fiant à ſapientia ſua, ac ſine lucidis etiam intervallis penitus aliquando deſipiant; Et quia ſine ſale ſali ſapientiæ ſtuduerunt, ac nimiùm ſapere voluerunt, præ nimio ſalis hujus condimento miſerè poſtmodum infatuati, fiant omnibus in fabulam & deriſum. Talis fuit Joannes Foſſa, qui ex nimio Poëſeos ſtudio ad inſaniam redactus fuiſſe legitur in Epitaphio eidem inſcripto:

Hac ſunt in foſſa, Foſſa mirabilis oſſa,
Qui ſibi condendo verſus, cere *comminuit* brum.

IV. Nec tantùm proprio individuo ſcientia nocet, ſed etiam nocumenta ſua in poſteros, ipſámq; adeo ſpeciem generis humani transfundit. Nam viri docti & ſapientes, qui humanæ ſucceſſioni per conjugium propagandæ ſe addixerunt, frequentiſſimè potiſſimo conjugij fine, prole videlicet fruſtrantur. Cujus rei facilis eſt ratio: ſtudijs enim vacant diurnis atq; nocturnis,& ſic naturam ſuam valde debilitant; nec enim potentius medium ad reprimendos carnis ſtimulos & Veneris ignes extingvendos eſſe puto, quàm diligens atq; intenſum ſapientiæ ſtudium, quo non tantùm mens à ſenſibilibus illicijs & oblectamentis abſtrahitur, ſed etiam caro valdè mortificatur. Hinc illud Divi Hieronymi: *ama ſcientiam ſcripturarum, & carnis vitia non amabis.* Natura ſic literarijs feſſa laboribus, quantò fæcundior eſt accidentalibus ingenij partubus, tantò magìs deficit in ſubſtantiarum generatione; aut ſi aliquas habet progenies, eæ ſunt plerumq; debiles, pravæ atq; degeneres; hinc illud commune adagium: *filij Heroum & ſapientûm noxa*; Ebrij, & qui cepas frequenter comedunt, homines ſtupidos & cerebro debiles generare dicuntur. Quod ebrietas, & ceparum uſus facit, hoc idem facit ſcientia, etſi modo contrario; parum verò intereſt, an cerebrum, & conſequenter potentia generativa multùm ab illo dependens, debilitetur per copiam vaporum, ex vino aut cepis exhalantium, an per exinanitionem cerebri, & ſpirituum conſumptionem, prout fit in literatis. De altero matrimonij bono, quod eſt *fides*, hic nihil dico. Hoc unum aſſero, quòd melius

Digitized by Google

melius Religioni cum Pallade conveniat, quàm Palladi cum Hymenæo. Sed ad priora redeamus.

Quis igitur id tantopere ambiat? quod magno ſtudio debet comparari, quod comparatum tam facili ex cauſa perit, eóq; ipſo labore nonnunquam corrumpitur, quò auctiùs acquiri debebat. Quid hîc morbos enumerem, qui plurium annorum labore conquiſitàm ſpecierum ſupellectilem in humano cerebro, brevi temporis intervallo ſolent oblitterare, vel ad minus ita organis animalium functionum incommodare, ut deinceps & memoria infirmior, & intellectus debilior reddatur, nec ullâ medicaminum ope in ſtatum priſtinum poſſit reſtitui. Huc ſpectat quoq; lepidum illud, quod narratur de quodam Doctore Groppo: ipſum nimiâ caulium eſitatione Doctorale ingenium perdidiſſe: Unde Verſus: V.

Groppum Doctorem caules fecêre ſtuporem.

Quid de naturali hominum morbo, ſenectute dicam, quæ memoriam rerum mente comprehenſarum ita delet, & intellectûs penum ita exiccat, ut ſenes repueraſcere videantur; nec ſemper quod dixit Plato, defloreſcente corporis oculo, mentis oculus acutum cernat, quem non minùs tunc experimur caligare. Sentiunt quidem aliqui, ſpecies rerum, uſu plurimo atq; labore comparatas, ita in intellectûs atq; memoriæ tabulam inſculpi, ut indelebiles deinceps perſeverent; Ego nunquam hanc tam tenui entitatulæ permanentiam attribuo, cùm plura ex natura ſuâ labili, etiam in defectu contrariorum videantur interire. Quod ſi etiam præfata ſpecierum permanentia deberet admitti, quid tamen illæ homini proſunt, ſi ſopitæ in anima vel organo lateant, neç ampliùs poſſint ſuſcitari? Si potentia intellectiva, quæ cum earum concurſu operatur, multo per omnem ætatem uſu fracta fuerit & debilitata? Ait quidem Ariſtoteles, quòd *ſenex ſi haberet oculum juvenis, videret ut juvenis*; hoc ego tamen falſum eſſe arbitror, perſpicuis de cauſis, quas hîc nolo adducere. Si oculus juvenis ſenem parum juvat, multò minùs juvabit ſpecies in juventute hauſta, quæ in laſſâ & effœta ſenum ætate ad actum ſecundum difficillimè redigitur.

Sed ut magis pateat, quàm facilè ſcientia tot empta laboribus amitti poſſit, accipe narrationem hiſtoriæ cujuſdam mirabilis, quam ſcribit Cæſarius. Clericum quendam refert bonæ admodum fuiſſe literaturæ; hic dum die quâdam ſangvine per venæ ſectionem minueretur, ſic VI. *Lib. 10. cap. 4.*

C omnem

omnem ſcientiam ſcripturarum perdidit, ut eam per ſangvinem videretur effudiſſe; literam ab illa hora non cognovit, latini ſermonis nec unicum quidem verbum intelligere, aut proferre potuit; qui quidem poſtquam tam mirabilem literaturæ ſuæ jacturam cum dolore multis expoſuiſſet, ac, ut quidam ei ſuaſerat, anno revoluto, eodem die, eadémq; horâ iterum minutus eſſet, ſcientiam priſtinam recepit. Hinc tamen abunde datur intelligi, quàm fluxa, quàm labilis & caduca res ſit ſcientia; pro cujus tamen comparatione potiorem vitæ ſuæ partem, & tempus animarum ſaluti datum plures impendunt, perituram ludentes operam, incurij æternorum.

VII. Non hîc præterire poſſum Beſtiam illam doctos exagitantem, proximorum ſcilicet invidiam. Contempſit hujus intuitu jam olim omnes

Eccle. c. 4. hominum labores & induſtrias ſapiens Eccleſiaſtes: *Contemplatus ſum,* inquit, *omnes labores hominum, & induſtrias animadverti patere invidiæ proximi, & hoc ergo Vanitas, & cura ſuperflua eſt.* Quem textum S. Hieronymus ſic explicat, quaſi diceret: *Vidi omnem fortitudinem, & gloriam laborantium, & deprehendi bonum alterius, eſſe alterius malum; dum invidus alienâ felicitate torquetur, & patet inſidijs glorioſus.* Unde illud: *invidia ſibi & alijs venenum*; ſibi quidem, cùm is (ut cum Thaumaturgo loquar) qui maligni ſpiritûs æſtrum in præcordiis gerit, & ex aliena felicitate inconſolabilem mœrorem concipit, nihil aliud inde conſequitur, quàm quòd ſuam ipſius animam, unà cum corpore diſcruciet. Alijs verò præſertim eruditione ac ſcientiâ inſignibus: cùm exquiſitiſſimi ſint ſensûs, & ſibi plerumq; habeant perſuaſum, ſe majorem quàm alios honorem & eminentiam promereri; quare dum ab obtrectante lingva impetuntur, & à minùs ſapientibus deſpiciuntur, ridentur, arguuntur, cenſent ſibi gravem fieri injuriam, ideóq; cum dolore indignantur, & conturbantur, teſtatúmq; illud in ſe faciunt: *in multa ſapientia multa eſt*

Eccle. 1. Eccle. 7. *indignatio, & qui addit ſcientiam, addit dolorem.* Item illud: *calumnia conturbat ſapientem, & perdet robur cordis illius.* Quàm verò frequenter hoc malum doctos impetat, præſertim in Communitatibus viventes, ad honorem aliquem provectos, vel indoctioribus ac rudibus prælatos, ipſi noverunt optimè, qui ſentire coguntur, & experiri ſumma cum indignatione & moleſtia, quàm gravis & aſpera res ſit indocta perverſitas, & fatua præſertim ſenectus multorum annorum computata numero, non canitie ſenſuum, aut dignitate meritorum, & ſuperba illa pau-

pertas

pertas Deo odioſa, quæ quos bonis animi qualitatibus conſequi non valet, talentorum adjumento deſtituta, maledictis & livore inſequi non ceſſat.

Cavete igitur ſapientes, qui inter populos doctrinâ, & ſcientiâ eminetis, multorum lividis patentes aſpectibus, expoſiti telis invidiæ, quam quidem appellavit Ariſtoteles fortunatorum Antagoniſtam, ego verò etiam doctorum. Videte, quàm ex hoc etiam capite, ſtudium veſtrum Vanitas ſit, & cura ſuperflua. Exemplo ſit Gualterus, cujus miſerabilem interitum ab æmuli cujuſdam invidia cauſatum S. Petrus Damianus ſequentibus verbis deſcribit: Gualterus Magiſtri mei, ſcilicet Ivonis ſocius fuit, qui per triginta ferme annos ita per occiduos fines ſapientiam perſecutus eſt, ut de regnis ad regna contenderet: & non modò Tevtonum, Gallorum, ſed & Saracenorum quoq; Hiſpanienſium urbes, oppida ſimul atq; Provincias penetraret; ſed mox ut ſtudijs toto, ut ita loquar, orbe corraſis, velut in pace compoſitus, docere cœpit: æmuli ſui, cujuſdam videlicet alterius ſapientis neceſſarij, vel fautores, eum ſimpliciter gradientem ex inſidijs occiderunt; qui confoſſus gladijs, non Sacerdotes, ut mihi relatum arbitror, petijt; non de tranſactis confeſſionem, vel pœnitudinem geſſit; ſed usq; ad ultimum ſpiritum hoc ſolùm inclamare non deſijt: *heu quale damnum*! Si quid autem vel de confeſſione facienda, vel aliud quid dicebatur; ille jam alienatus hoc ſolummodò repetebat: *heu quale damnum*! Hic itaq; velut Arachne, inextricabilia, ut ſibi videbatur, ſubtegminis fila contexuit; ſed mox ut ea ventus ultimæ neceſſitatis impulit, protinus in nihilum omnia diſſipavit. Hæc Petrus Damianus.

Opuſculo 45. ad Aciprand.

Ex qua hiſtoria colligitur, doctos non tantùm invidiæ morſibus, & ex hinc multis aliquando vitæ periculis eſſe obnoxios, ſed etiam de ſalute ſua nihil eſſe ſolicitos. *Heu quale damnum*! ſcientiæ ſolius damnum miſer deplorabat, videns cum illa ſuam perire vitam, oſtentationem ſimul, & jactantiam; de ſalutis verò æternæ damno nihil omninò curabat, Hæc quidem de ſcientiæ temporalibus damnis præſenti capite dicta ſufficiant; ſpiritualium bonorum jactura, quæ per illam incurritur, pluris æſtimanda eſt, de qua ſuo loco plura inferiùs.

Conſideratis tot ſcientiæ incommodis, iterum ex nomine SCIENTIA ſequens anagramma elicio: *IIS NECAT*.

Mæror, vigiliæ, capitis & manuum labor,
Pallor, macrórq; fractus oculorum vigor,
Morbi, dolores, tædia, & mentis furor,
Scientiæ cognata ſunt, ijs necat.
Faceſſe livor, nil quod invideas habes.

CAPUT III.

Scientiam non dari.

SEd quorſum tela fabrico? quem impeto adverſarium? ſcientiam oppugno, quæ tamen fortaſſe nulla datur, ut plurimi è Philoſophis non irrationabiliter ſenſerunt.

I. Academici olim negabant penitus, hominem de rebus quibuscunq; ſcientiam poſſe habere, ſed dubiam ſolùm opinionem. Pythagoras dicere ſolebat: nihil in rerum natura eſſe, niſi *dubium*. Socrates affirmabat, ſe hoc tantùm ſcire, quòd nihil ſciret, & noſtram cognitionem magìs vocandam eſſe *doctam ignorantiam*, quàm perfectam ſcientiam. Anaxagoras dicebat circumfuſa tenebris eſſe omnia. Democritus ajebat, in puteo quaſi quodam fundi experte veritatem jacere demerſam; Cujus & ego ſententiæ ſubſcribo. Poteſt proinde cuilibet avido & curioſo, ſcientiæ ſeu veritatis ſcrutatori illud Evangelicum Samaritanæ mulieris dictum oggeri: *neq; in quo haurias habes, & puteus altus eſt*: Magna & immenſa eſt putei hujus profunditas; è contra valde modicum ac breve ingenij tui vaſculum. Accedit his aliqua ex parte Ariſtoteles, qui ignorantiam docuit magìs eſſe propriam homini, quàm ſcientiam; & Themiſtius, qui dicebat: quantumcunq; quis ſciat, id minimam eſſe partem eorum, quæ neſcit. Cicero ait: *mihi non modò ad ſapientiam cæci videmur, ſed ad ea ipſa, quæ aliqua ex parte cerni videntur, hebetes & obtuſi.* Audi poſtremò Lactantium ſic loquentem: *Nec ſi Philoſophi doctrinâ literarum mirabiles extiterunt, ego etiam illis ſcientiam, veriq; cognitionem conceſſerim, quam nemo cogitando, aut diſputando aſſequi poteſt.*

Joann. 4.

De falſa Sap. c. 1.

Et quidem ſi de rigoroſa illa ſciëntia ſit ſermo, ad quam metaphyſica certitudo & evidentia à Philoſophis paſſim requiritur; ſeu talis, quæ

neq;

Digitized by Google

neq; divinitus falli poſſit, facilè inducor, ut talem cum Socrate, & Academicis omnino dari negem. Quæ enim certitudo intellectûs noſtri, quæ infallibilitas adeo firma eſſe poteſt, cùm ſit dependens à fallibilibus, & incertis ſenſuum experimentis? *Nihil enim eſt in intellectu*, ait Ariſtoteles, *quin priùs fuerit in ſenſu.* Nihil in intellectu, quod non ad imaginem phantaſmatis, ſecundùm fallibiles ſenſuum idæas expreſſi ſit formatum. Quâ igitur ratione, quod nititur fallibili tanquam fundamento, ipſum ſit infallibile? clament, garriant quantum volunt ſcientiæ aſſertores multa ſe ſcire jactantes, mihi quidem pares illis eſſe videntur, qui dum ſomniant, vel ſtultiſant, ea quæ phantaſiæ objiciuntur, vera certiſſimáq; eſſe credunt; at experrecti demum, vel curati, ſe vident ludificatos. Expergiſcentur aliquando & experientur, niſi ſomno lethæo in terra oblivionis in perpetuum obruantur, ſe deceptos fuiſſe in pluribus, de quibus fortaſſe metaphyſicam illam in vivis credebant ſe habere certitudinem.

II. Cùm fidei Chriſtianæ myſteria per orbem prædicari cœpiſſent, videbantur gentilibus Philoſophis ſtulta & incredibilia, quia principijs eorum contrariebantur. Opponebant illi divinæ legi humanas hypotheſes, quorum ſtultam & garrulam impudentiam, inductâ in hunc Mundum à Chriſto, verâ ſapientiâ, ægrè ferens Divus Auguſtinus, *Ranæ*, inquit, *ſunt iſti, clamantes ex paludibus limoſis. Strepitum habere poſſunt, doctrinam veræ ſapientiæ inſinuare non poſſunt.* Deinde indignantis, atq; imperantis in morem exclamat: *Cœlum tonat, ranæ ſileant.* * *Sicut virga Aaron maleficorum virgas abſorbuit*; *ſic* teſte Petro Damiano, *ſapientia Chriſti, quam illa ſignabat, omnes hujus Mundi ſapientias annullavit.* * *Hîc conculcandæ Philoſophiæ opiniones*, ut ſcribit S. Leo, *hîc diſſolvendæ erant terrenæ ſapientiæ Vanitates.* *Serm. 95.* *Serm. 139. de temp.* *Serm. 1. de S. Apoſtolis.*

Credebantur priùs Phyſica & Metaphyſica multa principia, tanquam divinitus infallibilia, & credebantur fortaſſe prudenter, quamdiu intellectus lumini ſuo naturali inſiſtens, defectu propoſitionis veræ divinæq; fidei, nullius ex ipſis labefactationem contigiſſe unquam cognovit. At nunc induci non potero, ut ullum etiam ex certiſſimis Philoſophorum axiomatibus, eâ certitudine quâ ipſi, credam eſſe infallibile. Poſtquàm ſcilicet in multis, quibus *pereuntibus verbum crucis fuit ſtultitia*, *ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus Mundi*, *convertens*, ut eſt apud Iſaiam, *ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens.* Poſtquam in rerum creatione falſificatum eſt illud axioma: *ex nihilo nihil fit*; *1. Cor. 1.* *Iſaiæ 44.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

contra ſubſequentes Philoſophos; qui ex nihilo aliquid fieri poſſe lumini rationis humanæ violentum eſſe credebant; ideóq; Mundum increatum eſſe & æternum cum Ariſtotele profitebantur. Poſtquam in verbi æterni incarnatione fatua oſtenſa eſt eorundem doctrina, quâ docebant, DEUM corpore, loco, tempore, nullatenus eſſe arctabilem, & omnem ſubſtantiam completam, maximè rationalem, per ſe ſubſiſtere, nec in compartem ullius compoſiti aſſumi poſſe. Poſtquàm in myſterio Euchariſtiæ Chriſtianis revelato, plura veterum & noſtrorum quoq; Novatorum malè ſtabilita principia videntur labefactari & concidere, ut: *Accidens non poteſt ullo modo eſſe ſine ſubjecto. Accidentis eſſe eſt ineſſe. Corpus nequit eſſe in puncto. Duo corpora non poſſunt eſſe in eodem loco, &c.* Poſtquàm per miracula Chriſti, cæcos, ſurdos, claudos, viſui, auditui, greſſui reſtituentis, & mortuos ſuſcitantis, confuſa eſt certitudo illius axiomatis: *à privatione ad habitum non fit regreſſus.* Poſtquàm deniq; vim intellectui meo inferre cogor, & credere, quòd niſi ſanctæ Matris meæ Eccleſiæ juberet authoritas, non crederem, in Deo trino & uno poſſe eſſe tria eadem uni tertio, non tamen eadem inter ſe; Nullius principij veritatem, atq; certitudinem eas figere ſinam in animo meo radices, quò minùs quandocunq; ſim paratus ad æternæ Veritatis contrariam revelationem, & Eccleſiæ propoſitionem, illud confeſtim repudiare.

III. Quapropter & illud principium principiorum: *Implicat idem eſſe, & non eſſe; & omne eſt, aut non eſt; omne totum eſt majus ſuâ parte*, & alia hujuſmodi, multóq; magis ſcientiarum ex ſimilibus principijs deductas concluſiones, etſi non credam falſificari poſſe, eam tamen illis fidem nunquam tribuo, ut adverſariorum dicendi libertate uſus, & ſolo intellectûs mei imbecillis judicio fretus, etiam divinitus infallibiles eſſe pro certo contendam, & infinitam Dei potentiam velim humano captu circumſcribere, quòd magnæ temeritatis eſt. Poſito quòd Deus alicui Axiomatiſtæ diceret: *Senti quod libet; ſi tamen ſenſu tuo, quem de infallibilitate primorum Philoſophiæ principiorum hucusq; habuiſti, à veritate aberraveris, ſalutis æternæ jacturam incurres*, ille profectò ſatis timidè de illorum infallibilitate metaphyſica ſentiret, eâdem licèt ratione, tam objectivâ in illis, quàm ſubjectivâ in ipſo manente. Ex quo videtur colligi: defactò, dum ſine ſalutis periculo de primis principijs multa proponuntur & ſtatuuntur, non tam abeſſe, quàm non æſtimari erroris periculum. Ego in quibuſcunq; omninò rebus ponderandis, niſi priùs

in

Digitized by Google

in divini judicij ſtatera fuerint appenſæ, periculoſam & fallacem judico intellectûs humani trutinam. Suadeo tibi, candide Lector, ſentire mecum, nec alas nimiùm liberas tribuere intellectui, ſicq; in obſequium fidei illum reddere paratiorem; cùm hæreſis vel maximè inſidiari ſoleat ijs, qui & ſua principia, quorum veritatem perſpicaciſſimè cognoſcere ſibi videntur, mordicus tenere conſueverunt, & ſententijs ſuis pertinaciter adhærent, ingenióq; ſuo nimiùm confidunt. Ut bene propterea Tertullianus pronuntiaverit, Philoſophos *Patriarchas eſſe hæreticorum.* *Lib. de anima, c. 3.*

Quamobrem ſaluberrimè nos admonet Paulus Apoſtolus: *Videte,* inquit, *ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa Mundi, & non ſecundùm Chriſtum.* *Coloſſ. 8.* Elementa Mundi hîc vocat prima ſcientiarum principia, & concluſiones ex ijs deductas, quibus fidem dantes Hæreſiarchæ plurimi, ſe & infinitam malè credulorum multitudinem miſerè perdiderunt. Doctos hæc Mundi elementa potiſſimùm fautores habent, ac Patronos. Noverunt illi quàm optimè ſuos in materia fidei ſcrupulos; Utinam in agone parietem illorum hac in parte debilem non pluries ſuffodiat inſidioſus Dæmon, & in æternæ damnationis chaos præcipitet incautos.

IV. Verùm contra ſcientiarum certitudinem hîc agenti objiciet aliquis, etiam fidem, quæ & ipſa pendet à ſenſibus, & ex auditu fallibili concipitur, incertam conſequenter fore dicendam, cui tamen majorem, quàm metaphyſicam certitudinem paſſim attribuimus. Reſpondeo certitudinem fidei, & notitiæ noſtræ, quam infallibilem nos habere credimus, de revelatione divina, de propoſitione, vel declaratione Eccleſiæ, omnibus deniq; Religionis noſtræ myſterijs, licèt ſenſibus quoq; dum concipitur, occaſionaliter innitatur, inde tamen non reddi fallibilem; nam licèt per viam ſenſuum fides concipiatur, ab habitu tamen ſupernaturali, vel gratiæ actualis auxilio producitur, quæ principia concurrere non poſſunt ad actum falſum. Si hujus doctrinæ certitudinem quæris tibi demonſtrari, eam tibi argumentis metaphyſicè & evidenter certis nunquam probabo; demonſtrationes hîc nullæ ſuppetunt, ne fidei meritum evacuent; credimus dogmata noſtra, & in eorum obſequium axiomata plura negamus, quæ aliàs metaphyſicè certa eſſe crederemus; credimus, & vitam potiùs quàm fidem ponere non ambigentes, certiſſimos nos eſſe ſufficienter atteſtamur, nec de lumine intellectûs nos edocente,

Digitized by Google

cente, ſed magìs de doctrina, & unctione ſpiritûs divini certificante gloriamur. Neq; tamen ſinè ratione credimus dogmatum noſtrorum infallibilitatem; motiva enim credibilitatis, quæ moralem gignunt certitudinem, faciunt, ne cæcè ac ſtupidè credamus.

Sunt qui theorema noſtrum de ſenſuum fallibilitate ſuperiùs propoſitum, per ſenſuum correctionem velint evertere. Ajunt enim errorem unius ſensûs ab altero ſenſu deprehendi & corrigi. Sic dum oculus fallitur, baculum vel remum in aqua fractum judicando, tactus rei veritatem deprehendit, & verum à falſo diſcernit. Intellectus quoq; idem dijudicat hunc formans diſcurſum: *Nihil durius frangitur ad lenem contactum rei mollioris; ergo neq; baculus, qui antea fuit integer, frangi potuit ad lenem aquæ contactum.* Reſpondeo, quamvis interdum errores unius ſensûs per alium corrigantur, hæc tamen correctio iterum innititur fallibili experimento ſensûs. Sic tactus, qui in allato exemplo viſum corrigit, in contactu baculi falli poteſt ſaltem divinitus, ut videatur ſibi ſentire rectitudinem, eſto baculus ſit verè curvus, prout oculo apparet; unde igitur ſcis eum hìc & nunc non falli? non iterum per alium ſenſum; hic enim eodem modo in ſuis actibus erit fallibilis, & falſus aliquando eſſe poterit corrector. Similiter intellectus in formato diſcurſu unde ſcit ad contactum corporis mollioris durius non frangi? niſi quia hoc ſenſuum experimentis cognovit? unde ſcit dari aliquod durum, vel molle, niſi per eosdem ſenſus? vides ergo omnes noſtras cognitiones fundari in certitudine ſenſuum; Vides ſenſus omnes eſſe fallibiles ſaltem divinitus, & quomodo adhuc infallibilem etiam divinitus ſcientiam his innixam pronuntiabis?

Dicunt iterum, eſto ſenſus aliquando falli poſſint, ut plurimùm tamen non falluntur; ergo certitudo, & evidentia ſcientiæ ut plurimùm ſubſiſtet. Sed negatur conſequentia; eſto enim ut plurimùm non fallantur, ſunt tamen ſemper fallibiles, & ſufficit eos aliquando falli; cúmq; nemo poſſit diſcernere quando fallantur, & quando non, nemo poteſt pro certo dicere ſe hìc & nunc habere ſcientiam de aliquo objecto à ſenſuum judicio dependentem.

Tandem objiciunt Tertullianum, qui Academicum quendam, nomine Archeſilaum ſic arguit, & increpat: *Quid agis Academice procaciſſime? totum vitæ ſtatum evertis, omnem naturæ ordinem turbas, ipſius DEI providentiam excæcas, qui cunctis ſuis operibus intelligendis, incolendis,*

Digitized by Google

colendis, diſpenſandis, fruendisq́, fallaces & mendaces Dominos præfecerit ſenſus. Et infra: *Ne Apoſtolis quidem ſenſûs ludificata natura eſt; fidelis fuit & viſus, & auditus in monte; fidelis & guſtus vini illius, licèt aquæ ante in nuptijs Galileæ; fidelis & tactus exinde creduli Thomæ.* Recita *Joannis teſtimonium: quod vidimus, inquit, quod audivimus, &c.* Divus etiam Auguſtinus, in libro 3. contra Academicos ità ſcribit: *Abſit à nobis, ut ea quæ per ſenſus corporis didicimus, vera eſſe dubitemus; per eos enim didicimus Cælum & terram, & ea quæ in eis nota ſunt, &c.* Reſpondeo, Divum Auguſtinum & Tertullianum non negare ſenſus eſſe fallibiles, ſed negare illos ſemper aut plerumq; falli, quod ipſe pariter nego; aliàs enim Deus tribuendo nobis ſenſus, non tam dediſſet ſentiendi organa, quàm errandi inſtrumenta. Metaphyſicam verò certitudinem cujuscunq; principij minima quæcunq; fallibilitas evertit, quamvis ut plurimùm veritas ejus ſubſiſtat. Neq; ullus Philoſophus inter Catholicos aliam quàm phyſicam certitudinem ſenſibus attribuit, quæ non tantùm divinitus, ſed etiam naturaliter fallibilitatem ac deceptionem ſæpius admittit.

Quod attinet exempla, quæ ex ſacris literis adducit Tertullianus, & quæ vera, non phantaſtica ſeu apparentia tantùm fuiſſe ſcripturæ comprobant, verum eſt, quòd viſus & auditus diſcipulorum in monte non fuerit deceptus, cùm Chriſtum transfiguratum viderent, & vocem audirent: *Hic eſt filius meus*, &c. Nec fuerit mendax guſtus vini ex aqua facti in Cana Galileæ, quamvis abſolutè ſenſus illi per divinam, vel etiam fortaſſe creatam naturæ potentiam falli potuiſſent. Idem dicendum de ſenſibus increduli Thomæ, & aliorum diſcipulorum, qui Salvatorem in teſtimonium veræ reſurrectionis manducantem & ſecum converſantem viderunt, & audiverunt. Hinc etiam illud Joannis: *Quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ, &c. teſtamur, & annuntiamus vobis.* (*1 Joan. 1.*) Fuerunt de his omnibus plus quàm Metaphyſicè certi Apoſtoli, certitudine tamen fidei, non certitudine phyſicâ ſensûs, quæ abſolutè falli poteſt, ſicut fallebatur in Tobia cùm Raphaëlem audiret loquentem, & cerneret manducantem; ſicut etiam decipitur in multis apparitionibus falſis. Sufficiens tamen hìc etiam fuit ratio humana ad eliciendum firmiſſimum aſſenſum; quia ſenſus præfati quamvis abſolutè ſint fallibiles, non ſunt tamen fallibiles per ſe, ſed per accidens, & ordinariè non falluntur, eorúmq; teſti-

monio in omnibus humanis judicijs fides adhibetur. Non fuit ergo Apoſtolis de rebus eo modo cognitis ullatenus dubitandum, quorum etiam fidem gratia divina interiùs illuminabat, & accendebat; teſtimonia quoq; ac miracula foris viſa & audita confirmabant, ità ut nonniſi ſtolidè ac imprudenter diſcredere potuiſſent.

Quod dixi de Judicio intellectivo circa objecta ſenſibilia, intelligo etiam de judicio circa objecta purè intelligibilia. Imò circa hæc intellectus longè magis eſt fallibilis, ſpecies enim illorum ab objectis non recipit, ſed ipſe ſibi eorum ſimulacra format. Sunt etiam hæc ut plurimùm altiſſima & reconditiſſima; Unde multa falsò videt, & plurima imò infinita penitus non videt. Ut proinde jure merito ſuperbæ temeritatis arguendi videantur, qui in quæſtionibus de poſſibili, ex eo quòd rei alicujus repugnantiam non videant, pro certo audent concludere, rem quampiam eſſe poſſibilem. Verum quidem eſt hominem eſſe phyſicè certum, quòd juxta illum nullus ſtet elephas, ſi apertis & undiq; circumductis oculis nullum videat. Non eſt tamen eadem intellectûs noſtri, quæ potentiæ viſivæ conditio, ut poſſit eſſe Phyſicè certus rem aliquam eſſe poſſibilem, ex eo quòd non videat eſſe impoſſibilem; poteſt enim res nihilominus eſſe impoſſibilis, & multas impoſſibilitatis cauſas habere, quas ipſe non videat. Aſtans homini elephantus oculi obtutum ſenſibiliter ferit; non ſic veritates, illæ præſertim, quæ à materia & exiſtentia ſunt abſtractæ, feriunt intellectum; paucas enim ex illis videmus, plurimæ autem remotiſſimè à nobis diſtant, & in ſolo ſcientiæ divinæ ſacrario ſignatæ ſunt & abſconditæ. Non minùs illi temeritatis arguendi ſunt, ut jam ſupra vidimus, qui rem pro certo judicant eſſe impoſſibilem, ex eo, quòd aliquam impoſſibilitatis rationem videre ſibi videantur; tenui enim & caliginoſo ſuo intellectu infinitam Dei potentiam limitare præſumunt.

De divino prem. c. 2. Ergo, ut cum Lactantio loquar, *nulla eſt humana ſapientia, ſi per ſe ad notionem veri, ſcientiámq; nitatur: quoniam mens hominis cum fragili corpore alligata, & in tenebroſo domicilio incluſa, neq; liberiùs evagari, neq; clariùs perſpicere veritatem poteſt, cujus notio divinæ conditionis eſt; Deo enim ſoli opera ſua nota ſunt; homo autem non cogitando aut diſputando aſſequi eam poteſt, ſed diſcendo & audiendo ab eo, qui ſcire ſolus poteſt & docere.*

V. In hoc ſenſu criterium dari; ſive regulam de veritate judicandi, metaphy-

taphyſicè, imò plus quàm metaphyſicè certam, libenter admitto, quæ non
eſt aliud, quàm lumen humanæ menti inſitum, imò congenitum, ſive
concreatum, ad veritates agnoſcendas & dijudicandas, quod Sanctorum
Patrum authoritatibus poteſt comprobari. Sic Divus Auguſtinus in
quodam ſermone de verbis Domini: *Voluit*, inquit, *Deus inſeminare* *Serm. 38.*
omni animæ initia intellectûs, & initia ſapientiæ. Et Divus Hierony-
mus: *Perſpicuum ſit, naturâ omnibus Dei ineſſe notitiam, neq; quenquam* *In Epiſt.*
ſine Chriſto naſci, & non habere in ſe ſemina ſapientiæ. Idem ſentit Con- *ad Gal.*
cilium Arauſicanum, in quo legimus Canonem ſequentem: ex S. Augu-
ſtino deſumptum: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum; ſi* *Can. 9.*
quid autem habet homo veritatis, atq; juſtitiæ, ab illo fonte eſt, quem debe-
mus ſitire in hac eremo, ut ex eo quaſi guttis quibuſdam irrorati non defi-
ciamus in via. Probari etiam poteſt ex illo Pſalmi: *Signatum eſt ſuper*
nos lumen vultûs tui Domine. Et ex illo Job: *Quis poſuit in viſceribus* *Job. 38.*
hominis ſapientiam? Item: *trahitur ſapientia de occultis.* *Eſt enim*, ut *& 28.*
explicat Angelicus Doctor, *humanæ ſapientiæ origo occulta ex parte in-*
tellectualis luminis, quod derivatur ad nos ab occultiſſima omnium cauſa
prima, à Deo. *Dicendum eſt*, inquit idem, *quòd omne verum à quo-* *Quæſt. 24.*
cunq; dicatur, à Spiritu ſancto eſt, ſicut ab infundente naturale lumen, & *de Verit.*
movente ad intelligendum & loquendum veritatem. Hæc eſt illa *lux ve-* *art. 14.*
ra, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum.

Hoc verò lumen à Deo nobis infuſum magis vel minùs hominem illuminat, prout magis vel minùs ſe ad illud intuendum homo convertit, quantóq; magis vel minùs purum adhibet mentis oculum. Sicut ergo ad faciendum bonum datur à Deo voluntati adminiculum gratiæ, ſic ad dignoſcendum verum præſtatur à Deo lumen intellectui. Scire nihilominùs evidenter non poſſumus, quando in judicijs noſtris infuſo huic lumini, & quando naturali potentiæ innitamur. Sicut ſcire non poſſumus an hîc & nunc actum virtutis naturalem potentiæ noſtræ viribus, an ſupernaturalem cum divinæ gratiæ concurſu eliciamus. Quamobrem non habet homo, cur ex hoc etiam capite ſuam hîc & nunc jactare unquam poſſit ſcientiam.

Vides hinc, unde veritatis notitiam petendam habeas, unde fidei tuæ deducendam certitudinem, ô Chriſtiane! Probent inaniter veritates ſuas Philoſophi, perſuaſibilibus, & ùt jactant, certiſſimis humanæ ſapientiæ verbis; tu fidei tuæ rationem potiſſimam illum habe, qui non

mentiri, non falli, ſed neq; fallere poteſt; dic illud quod Pythagoræ diſcipuli ad reddendam doctrinæ ſuæ rationem interpellati uſitatum habebant: *ipſe dixit*, Credo, & in hoc feliciter ac ſapienter ſtultus perſeverabo, ut credam firmiter, quod nunquam mihi demonſtratum eſt; tenaciùs propoſitionibus ab Eccleſia mihi propoſitis adhærebo, quàm ſi ex quibuſcunq; Dialecticorum præmiſſis deducerentur.

VI. Nec ſolùm ſupernaturales, ſed etiam naturales multæ veritates addiſci non poſſunt, niſi Deo inſpirante ac docente. *Doctrinam Dei ſequimur*, inquit Lactantius, *qui ſcire ſolus poteſt, & revelare ſecreta. Cujus doctrina Philoſophi expertes, exiſtimaverunt naturam rerum omnium conjecturâ poſſe deprehendi, quod nequaquam fieri poteſt, quia mens hominis tenebroſo corporis domicilio circumſepta, longè à Dei perfectione ſummota eſt. Et hoc differt ab humanitate divinitas, quòd humanitatis eſt ignoratio, divinitatis ſcientia. Unde nobis aliquo lumine opus eſt ad depellendas tenebras, quibus offuſa eſt hominis cogitatio; quoniam in carne mortali agentes, noſtris ſenſibus divinare non poſſumus. Lumen autem mentis humanæ Deus eſt, quem qui cognoverit, & in pectus admiſerit, illuminato corde myſterium veritatis agnoſcet. Remoto autem Deo, Cæleſtiq; doctrinâ, omnia erroribus plena ſunt, rectèq; Socrates, cùm eſſet omnium Philoſophorum doctiſſimus, tamen ut cæterorum argueret inſcitiam, qui ſe aliquid tenere arbitrabantur, ait, ſe nihil ſcire, niſi unum quod nihil ſciret. Intellexit enim doctrinam illam nihil habere in ſe certi, nihil veri, nec, ut putabant quidam, diſſimulavit ipſam doctrinam, ut alios refelleret, ſed vidit ex parte aliqua veritatem. Teſtatus eſt etiam in Judicio, ſicut traditur à Platone, quòd nulla eſſet humana ſapientia, adeoq; doctrinam, qua cum Philoſophi gloriabantur, contempſit, deriſit, abjecit: ut idipſum pro ſumma doctrina profiteretur, quòd nihil ſcire didiciſſet. Si ergo nulla eſt ſapientia humana, ùt Socrates docuit, ùt Plato tradidit, apparet eſſe divinam, nec ulli alij quàm Deo veritatis notitiam ſubjacere. Deus igitur noſcendus eſt, in quo ſolo veritas eſt.*

De ira Dei cap. 1.

Mihi certum eſt, inquit S. Auguſtinus, *nunquam prorſus à Chriſti authoritate diſcedere, non enim reperio valentiorem. Eſt ſententia, quam in omnibus ſuis libris Plato tenet, quam & cum ipſo teneamus dicendo: quòd nulla certa & infallibilis notitia veritatis ſyncera à quoquam poteſt haberi, niſi aſpiciendo ad exemplar lucis, & veritatis increatæ.* Quidquid extra hoc veritatis exemplar, veritatem intellectui noſtro videtur

3. Contra Academ.

detur

Digitized by Google

detur ingerere, falſum eſſe poteſt ac deceptorium. Nos ut veram ſcientiam, quæ nec in hac, nec in altera vita falſitatis argui poſſit, aſſequamur, exemplar hoc divinæ veritatis devotæ menti præfixum ſemper habeamus, ſic fiet, ut *diſcamus in terris quorum ſcientia perſeveret in Cælo.* S. Hieronymus.

VII.

Adhuc obex unus amovendus reſtat, qui pro ſcientijs hac in materia opponi ſolet. Quâ, (inquiunt adverſarij) ratione ſcientiam dari firmiter negas, cùm vel neſciendo dari ſcientiam, id tamen ità firmiter aſſerendo ſis fatuus, vel ſciendo eam non dari, eo ipſo ſcientiam probes? Socrates facilè hanc ſolam ignorantiæ noſtræ ſcientiam admittet, & hoc ſe unum ſcire dicet, quòd nihil ſciat. Alius ex Academicis ſe hoc non ſcire aſſeret, ſed probabiliſſimè, non tamen metaphyſicè certò aut evidenter cognoſcere. Non eſt autem fatuum id affirmare, quod videtur probabiliſſimum, modò verum ità affirmetur, ut falſum ſubeſſe timeatur, quamdiu rationi humanæ judicium inſiſtit.

Audiamus quid in hac materia ſentiat Ludovicus Vives, qui in ſuis commentarijs ſuper libros S. Auguſtini de Civitate Dei, quodam loco citans Ariſtotelem, ità ſcribit: *Differentiæ rerum, inquit Ariſtoteles, hoc eſt rerum proprietates & naturæ, ignorata nobis ſunt, qui non modò recondita illa & abſtruſa naturæ non aſſequimur, ſed ad exprompta hæc, & quæ natura palam propoſuit, caligamus & hallucinamur, ut non malè Socrates affirmâſſe videatur nos nihil ſcire. Et tamen non deſunt, qui ſe nihil neſcire profiteantur, vel hoc ſolo nomine cæteris imperitiores, quòd nondum eruditione eò progreſſi ſunt, ut intelligant omnia ſic eſſe à natura involuta & abdita, ut nihil penè detectum apertúmq; noſtris ingenijs relinquat. Itaq; is mihi demum verum diſciplinarum confeciſſe circulum videtur, qui à rerum omnium ignorantia per artes omnes peregrinatus, ad rerum omnium ignorantiam, præterquam hujus ipſius redierit.* In lib. 21. de Civit. c. 4.

Novit hæc omnia perbellè Nicolaus de Cuſa, Eccleſiæ Romanæ Cardinalis, qui tres libros de docta hominum ignorantia conſcripſit; In quorum primo, cùm citâſſet Socratem reputantem ſe nihil ſcire, niſi quod ignoraret; Salomonem aſſerentem cunctas res difficiles, & ſermone inexplicabiles; Baruch Prophetam dicentem, abſconditam eſſe ſapientiam, & locum intelligentiæ ab oculis omnium viventium, ità ſcribit: *Si igitur ità eſt (ut etiam profundiſſimus Ariſtoteles in prima Philoſophia affirmat) in natura manifeſtiſſimis talem nobis difficultatem accidere, ut nycticoraci ſolem videre attentanti, profectò cùm appetitus* ſciendi *in nobis* Cap. 1.

 fruſtra

Digitized by Google

fruſtra non ſit, deſideramus ſcire nos ignorare. Hoc ſi ad plenùm aſſequi poterimus, doctam ignorantiam aſſequemur. Nihil enim homini etiam ſtudioſiſſimo in doctrina perfectiùs adveniet, quàm in ipſa ignorantia quæ ipſi propria eſt doctiſſimum reperiri, & tantò quis doctior erit, quantò ſe magis ſciverit ignorantem. De hac *ſcientia ignorationis* etiam S. Dionyſius multis in locis mentionem facit, eámq; *perfectiſſimam ſcientiam* appellat. *Tantò quisq; fit veritati vicinior* teſte Iſidoro, *quantò ſe eſſe longiùs ab ea fuerit arbitratus.* In Sent. lib. 3. c. 23.

Vides igitur candide veritatis amator, quàm vanè tot in orbe mortales de ſcientia glorientur, cùm ſecundùm rigoroſam & uſitatam ſui nominis acceptionem nulla detur. Vides mihi ad hoſtem aggrediendum accincto nullum comparere. Sed quidquid ſit, detur vel non detur ſcientia, datur tamen opinio vel divinatio, quæ ſe ſub glorioſo ſcientiæ nomine venditat; datur aliquid cui comparando tot vanorum hominum inſudant ingenia, quod tot in mundo ſcholæ crepant, à quo tot corda mortalium hodie tument & inflantur; ideóq; gaudeo certamini meo hoſtem, aut telis ſcopum omnino non deeſſe, ne irritâ intentione, & fruſtra conquiſitis belli præparatorijs, ex arena otioſus abſcedam.

Interim anagramma ludamus ex nomine SCIENTIA quæ mihi *AIT NESCI.*

In ſe vibratis ferienda ſcientia telis,
Quæ tot ſcire jubet, neſci ait *illa mihi.*
Neſciò profectò quem telis perſequar hoſtem,
Ipſum dum conor tangere, nullus adeſt.
3. Reg. 22. *Fertur* in incertum *quidam jeciſſe ſagittam,*
Fortuitò quæ olim vulnere ſtravit Achab.
Et meus incertum jaculabitur arcus in hoſtem
Spicula, nam certi nil meus hoſtis habet.

CAPUT. IV.

De ſcientiarum difficultate & falſitate.

SCientiam igitur nullam, in eo ſenſu quo à Philoſophis quæritur, dabilem eſſe aut humano ſtudio comparabilem, capite præcedenti abunde monſtratum eſt. Sed eſto dabilis eſſet perfecta veritatis notitia,

Digitized by Google

notitia, quantò tamen ſudore ad ejus aſſecutionem opus eſſet? cùm in ejus, quantulamcúnq; nunc habemus, veritatis indagatione, tot hominibus ſtudia, tot labores ſint exantlandi, ut non mirùm ſit Democritum eam in puteo quodam fundi experte collocâſſe.

Deplorat humanum irritúmq; in veritatis inquiſitione ſtudium D. Auguſtinus, dum de quibusdam vanis ejus ſectatoribus ità ſcribit: *dicebant inquit veritas, veritas, & multi eam dicebant mihi, & nusquam erat in eis, ſed falſa loquebantur, non de te tantùm, qui verè veritas es, ſed etiam de iſtis elementis hujus Mundi Creaturis tuis, de quibus etiam vera dicentes Philoſophos transgredi debui, pro amore tuo, mi Pater, ſummè bone, pulchritudo pulchrorum omnium.* I. *Confeſſ. lib. 3. c. 6.*

Etiam nunc, & vel maximè tumenti hoc ſæculo ubiq; ſonat veritas, pro illa aſtruenda ubiq; pugnatur, omnes illam ex concertationum ſuarum ſilicibus in medium nituntur excutere; vix tamen credam in omni ſcientiarum genere, ullo tempore tantas viguiſſe ineptias & falſitates, eliminatâ ferè penitus veritate. Hæc in profundiſſimo puteo demerſa jacet, ut vidimus, ac tantum abeſt, ut eam ſcrutatores ejus conentur extrahere, ut potiùs eam magìs deprimant, ſpe nullâ in lucem emergendi relictâ; ità ſæpe fit, ut, quod communi fertur adagio, unus ſtultus proijciat Lapidem in puteum, quem mille ſapientes non extrahent.

O quot hoc ſæculo eſt reperire, quales olim jam lamentabatur D. Auguſtinus, qui ſtudiorum ſectatoribus præſtruunt ærumnoſas vias, per quas tranſire coguntur, *multiplicato & labore & dolore filijs Adam*, à quibus veritas detinetur in obſcuro, ipſis, ut cum Lactantio loquar, *turbantibus eam potiùs, quàm illuſtrantibus.* Plures ſapientes dici, quàm eſſe malunt; quomodo ſe quid à parte rei habeat pauci inquirunt, plures malunt quidquid aſſeruerint ſcire defendere, quàm naturam rerum cum probabilitate indagare, & veritatem è ſpinis extrahere. Quibus omnibus illud unum Thomæ Kempenſis inſinuatum velim: *cui ſapiunt omnia prout ſunt, hic verè ſapiens eſt*; non ille qui in abſurditatum ſuarum defenſionem aliquid ex Cathedra novit garrire. *Conf. lib. 1, c. 9.* *De imit. Chriſti lib. 2. c. 1.*

Sed etſi ſcientiarum viæ, multiplicato labore & dolore filijs Adam, peſſimo quorundam ſtudio non præſtruerentur, ſatìs adhuc in ſe ærumnoſæ exiſterent, quia ſi non impoſſibilis, difficillimæ ſaltem aſſecutionis. *Cuncta res difficiles*, ait Salomon, *non poteſt eas homo explicare ſermone. Ego Eccleſiaſtes fui Rex in Jeruſalem, & propoſui in animo meo quærere,* II. *Eccle. 1.*

quærere, & investigare ſapienter de omnibus quæ fiunt ſub ſole. Hanc occupationem peſſimam dedit Deus filijs hominum, ut occuparentur in ea. O verè peſſimam occupationem, in qua quantò quis deſudat ampliùs, tantò inaniùs in ventum laborat. Pergit Eccleſiaſtes: *Vidi cuncta quæ fiunt ſub ſole, & ecce univerſa vanitas & afflictio ſpiritûs. Locutus ſum in corde meo dicens: ecce magnus effectus ſum, & præceſſi omnes ſapientiâ qui fuerunt ante me in Jeruſalem, & mens mea contemplata eſt multa ſapienter, & didici, dediq; cor meum ut ſcirem prudentiam atq; doctrinam, erroréſq; & ſtultitiam, & agnovi, quòd in his quoq; eſſet labor & afflictio ſpiritûs, eò quòd in multa ſapientia multa ſit indignatio, & qui addit ſcientiam, addit & laborem.* Indignatur ſcilicet eruditus, quantò plura cognoſcit, tantò plures quæſtiones, atq; difficultates incognitas ſibi exoriri; dolet, ut ait S. Hieronymus, tam in abdito, quàm in profundo latere ſapientiam, nec ità ſe præbere mentibus, ut lumen viſui, ſed per tormenta quædam, & intolerandum laborem, jugi meditatione & ſtudio provenire. Cornelius quoq; à Lapide in prædictum Eccleſiaſtæ locum ait, quòd Doctores quò magìs procedendo inveſtigant rerum notitiam, eò magìs ſe deprehendant doctè ignorantes vel ignoranter doctos; quia, ut ibidem addit, vix ullas rerum naturas clarè perſpicere poſſunt, ſed tantùm earum accidentia, quæ ſenſibus patent, imò & de accidentium natura nonniſi divinamus.

Poſſumus frequenter non ſolùm in divina, ſed etiam inferioribus Creaturarum ſcientijs, ad occurrentium molem difficultatum, quibus penetrandis Divo Auguſtino nunquam habiliores erimus, cum eodem ſuſpirare: *Ego certè Domine laboro hîc, & laboro in me ipſo, factus ſum mihi terra difficultatis & ſudoris nimij.* Et: *Domine Deus meus, lux mea, nónne & hîc veritas tua deridebit hominem?* Et: *Nimis longè eſt res hæc ab acie mea, invaluit ex me, non potero ad illam, potero autem ex te, cùm dederis tu dulce lumen occultorum oculorum meorum.*

Conf. lib. 10. c. 16. Conf. lib. 11. c. 15. Conf. lib. 11. c. 19.

III. Neſcio quibus ſimiliores videri poſſint avidi ſcientiarum ſectatores, doctè tamen ſemper ignorantes, quàm pueris, qui Cœlum tectis incumbere rati, poſtquàm altiora petiverunt loca, illud longè à ſe diſſitum admirantur; ſic illi dum ſcientiarum faſtigia ambiunt, eáq; ſe putant obtinuiſſe, vix tenent rudimenta; ſic & mons eminus intuenti demiſſus videtur, propiùs verò accedenti apparet excelſus; Sic nautæ quo ſe magis oceano committunt, eò profundiorem experiuntur. Plangebat jam id

Digitized by Google

id olim in ſemetipſo Salomon, quem D. Hieronymus ait ultra omnes homines quæſiſſe ſapientiam, & ad finem illius tentâſſe pervenire, ſed fruſtra. *Cuncta*, inquit, *tentavi in ſapientia, dixi ſapiens efficiar, & ipſa longiùs receſſit à me, multò magis quàm erat, & alta profunditas, quis inveniet eam? luſtravi univerſa animo meo, ut ſcirem & conſiderarem & quærerem ſapientiam & rationem, ſolummodò hoc inveni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus.* *Eccle. 7.*

Loquens de Fabiola prænominatus ſacri Nominis Doctor ait, eam ad ſcientiam addidiſſe dolorem; *quia non ſatiabatur* inquit *audiendi cupidine, ſed quaſi oleum flammæ adijciens majoris ardoris fomenta capiebat.* Quo ſcilicet magìs in intelligendo profecimus, tantò ardentiùs veritatem ſe à nobis elongantem conſequi laboramus, & doctiſſimo etiam cuicunq; uſuvenire ſolet, *ut non plus voluptatis ex eo quod invenit* (dicente Nazianzeno) *quàm mœroris reportet ex eo quod aſſequi non poteſt; quemadmodum qui ſitiens ab aquis delibatis avellitur, qui quod ſe putat habere manibus tenere non poteſt, vel qui fulguris illuſtratus ſplendore ſtatim deſeritur.* *Epiſt. 30.*

Ezechiel volumen in quo erant lugubres prædictiones comedit, erátq; in ore ipſius ut mel dulce; ſed poſtea abijt amarus in indignatione ſpiritûs ſui. Joannes quoq; Apoſtolus librum ſumpſit in ore dulcem, tanquam mel, ſed qui fecit amaricari ventrem ipſius. Sic ſcientia primò quidem animum ſitibundum recreat, ſed dum majorem ſui ſitim ſemper accendit, nec unquam explet, laborem gravem generat & dolorem, ut vera eſſe confirmetur illa in proverbijs ex translatione LXX. ſententia, quam Hieronymus, Poſſidiúsq; ſic latinè efferunt: *tinea oſſium cor intelligens.* *Ezech. 3.* *Apoc. 10.*

Sed audiamus adhuc Eccleſiaſten: *Vidi*, inquit, *afflictionem, quam dedit DEUS filijs hominum, ut diſtendantur in ea. Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & Mundum tradidit diſputationi eorum, ut non inveniat homo opus quod operatus eſt DEUS, ab initio usq; ad finem.* Ut ſcilicet in toto univerſo, à capite usq; ad calcem, nihil ex minimis etiam DEI operibus, quod ad comprehendendum quærebat, inveniat homo, ſed ignorantiam ſuam magnam circa quævis obvia fateri cogatur, & in multis dicere cum Divo Auguſtino: *Heu mihi qui neſcio ſaltem quid neſciam.* *Cap. 3.* *Conf. lib. 11. c. 25.*

Quantumcunq; igitur in ſcientiarum ſtudio quis emineat, non

majorem tamen honoris titulum, quàm amatoris & ſectatoris ejus, quam inquirit, ſcientiæ, illum arbitror promereri, & quod de Philoſophia dixit Lactantius, illud omnis generis diſciplinæ aptari poſſe. *Philoſophia eſt,* inquit ille, *ut nomen indicat, ipſíq; Philoſophi definiunt ſtudium ſapientiæ,* & ſubdit: *Unde probem magis Philoſophiam non eſſe ſapientiam, quàm ex ipſius nominis ſignificatione? qui enim ſapientiæ ſtudet, utiq; nondum ſapit, ſed ut ſapere poſſit, ſtudet. In cæteris artibus ſtudium quid efficiat, & quò tendat, apparet, quas cùm diſcendo aliquis aſſecutus eſt, jam non ſtudioſus artificij, ſed artifex nominatur. At enim verecundiæ cauſâ ſtudioſos ſe ſapientiæ Philoſophi, non ſapientes vocaverunt; imò verò Pythagoras, qui hoc primus nomen invenit, cùm paulò plus ſaperet, quàm illi priores, qui ſe ſapientes putaverant, intellexit nullo humano ſtudio poſſe ad ſapientiam perveniri, & ideò non oportere incomprehenſæ atq; imperfectæ rei perfectum nomen imponi; itaq; cùm ab eo quæreretur, quemnam ſe profiteretur? reſpondit: Philoſophum, id eſt quæſitorem ſapientiæ.*

Cap. 2. de falſa Sap.

Audi ulteriùs Salomonem vana nonnullorum in ſcientijs aſſequendis ſtudia ſugillantem: *Eſt homo,* inquit, *qui diebus & noctibus ſomnum non capit oculis. Et intellexi quòd omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem, eorum quæ fiunt ſub ſole; & quantò plus laboraverit ad quærendum, tantò minus inveniat, etiamſi dixerit ſapiens ſe nôſſe, non poterit reperire.* Dicunt hodie plurimi, ô Salomon, neſcio an ſapientes, ſe multa nôſſe, quibus nullum tam difficilem nodum propoſueris, quem non expeditâ ingenij ſui acie illico diſſolvere videbuntur, ſecreta rimantur naturæ, & pleraq; illius arcana ſe comprehendiſſe autumant, ſcientias inventionibus novis ſe illuſtrâſſe gloriantur, cùm tamen falſitatibus repleverint omnia, vanísq; auditoribus ignorantiſſimam ſuam doctrinam oſtentaverint, illud in ſe Pauli verum oſtendunt: *dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.*

Eccle. 8.

Rom. 1.

IV. Recolo nonnunquam cum admiratione, quomodo ſtultiſſimæ ſententiæ, & riſu explodendæ opiniones, quibus omnia in ſcientijs ſunt referta, in humanum intellectum aliquando cadere potuerint; quomodo plurimæ abſurditates aliquem nactæ ſint Patronum, ex illorum numero præſertim, qui ſapientes eſſe, dicíq; volunt. Sed multæ literæ veriùs quàm Paulum ad inſaniam multos deducunt, & ſi ullo, hoc vel maximè doctiſſimo (ut jactitant) ſæculo, enunciari cum veritate poteſt illud Prophetæ: *ſtultus factus eſt omnis homo à ſcientia.* Et bene paſſim dicitur,

Jerem. 10.

quòd

quòd proprietas hominis ſit eſſe *riſibilem*; magis enim riſibilis eſt (hoc eſt rideri meretur, in ſuis præſertim ſententijs & opinionibus) quàm *riſivus*; qui terminus potentiam ridendi propriè importat, ſicut admirativus potentiam admirandi. Quid dementius? quid riſibilius? quàm reclamante nonnunquam manifeſtâ experientiâ, & reluctante humano judicio, frivolas & commentitias ſententias tueri? tanquam prudenter atq; laudabiliter ijs luderetur, quia rationibus convinci non poſſunt; Hoc tamen multi faciunt, quorum commenta vix verbo impugnatorio dignanda arbitror, cùm ipsâ ſenſuum experientiâ nonnunquam, & primo mentis ſanæ intuitu abunde confutentur. Laudo Diogenem, qui cùm Zeno in ſcholis diſſerens acutiſſimis rationibus probaret, nullum eſſe motum, nec dari poſſe, ſurgens coram ipſo cœpit inambulare; idq; admiranti Zenoni, & quærenti: *quid agis Diogenes?* reſpondit: *confuto tuas rationes*, refutatione nullâ verbali dignatus ludicram inanis ingenij oſtentationem, utpote quæ manifeſtâ experientiâ ſatis confutaretur.

Laudo etiam illum Ruſticum, qui filij ſui ex ſtudijs domum reverſi frivolam atq; inanem ſubtilitatem non tam verbo, quàm facto confudit: Cùm enim hic Patri demonſtrare conaretur, tria ova quæ menſæ fuerant appoſita eſſe quinq;, dicens: *Ubi tria ſunt, ibi & duo ſunt, hic tria ſunt ergo & duo ſunt, ſed duo & tria faciunt quinq;, ergo hîc cùm ſint duo & tria erunt quinq;*; parens concedebat totum, dicendo: *Bene eſt fili, laudo acumen tuum, ego ex quinq; his ovis duo comedam, unum Matri dabo, reliqua duo tu comede.* Sic frivola ingenij oſtentatio fuit deluſa.

Pari modo ſubtiliſſima Philoſophorum Theoremata frequenter aperta confutat experientia, & ratio penitus evertit; Sunt aliqui ex his, qui docent terram ad pulicis ſaltum trepidare; Sunt qui negant in cane vivo, & nunc mortuo, eandem reperiri pilorum aut albedinem aut nigredinem; ſunt qui partes actu excludunt à continuo, aut ſi eas admittunt, docent illas etiam in minimo auri grano eſſe infinitas, & totam firmamenti ſuperficiem ijs poſſe obduci. Aliqui ut ſalvent totum eſſentiale à partibus unitis diſtinctum, duplicem in homine intellectum & voluntatem admittunt. Memini quòd non ita pridem vir quidam cæteroquin doctiſſimus, mihi ſubtilibus quibusdam argumentis perſuadere voluerit, bovem à me cogitatum, magis propriè ac rigoroſè in meo intellectu exiſtere, quàm exiſtat à parte rei. Quot & quanti ſunt qui modos admittunt ſine modo, & reſpectus ſinè omni reſpectu? quibus omnia replent

loca & tempora. Alij negationum & formalitatum tenebris omnia inficiunt, & in eadem re indiviſibili prioritatem & poſterioritatem naturæ non per ſigna rationis, ſed realia naturæ inſtantia explicatam, admittunt, arcanum quoq; ſanctiſſimâ Trinitate myſteriosiùs, per univerſale ſuum à parte rei in creata invehunt. Et pro his ſuis dogmatibus ita contentiosè atq; ardenter depugnant, ut videantur eſſe parati etiam jurejurando veritatem illorum aſtruere, cùm interim non ſolùm in his, ſed in plurimis quoq; alijs fallantur; nec enim majori certitudine nos miſeri homunciones rerum veritates intellectu noſtro dijudicare poſſumus, quàm cæcutiens oculus rerum figuras & colores valeat dijudicare.

V. *Maximum eorum quæ ſcimus*, ſi tamen aliquid ſcimus, *eſt minimum eorum quæ ignoramus*, inquit Ariſtoteles. Et, *magnum eſt pelagus ignorantiæ humanæ*, teſte S. Gregorio, cujus etiam illa eſt ſententia: *remoto fidei lumine fateri debemus nos plenos eſſe tenebris ignorantiæ.* * *In peccati pœnam, in hac Mundi peregrinatione & exilio tantâ cæcitate percuſſi ſumus, ut nobis ipſis ignoti ſimus.* Hugo Victorinus ſcribit tres oculos noſtræ rationi fuiſſe collatos, quorum primò divina contemplaretur, & hic excæcatus eſt; ſecundò naturalia diſſerendo ſpecularetur, & hic lippus effectus eſt; tertiò, quæ commoda corpori ſunt diſquireret, & hic ſolus perſpicax manſit.

S. Gregorius.

Cùm tanta ſit imbecillitas & obſcuritas intellectûs humani, major adhuc eſt obſcuritas rerum ab ipſo intelligendarum, adeo ut eas ſuâ quantâvis acie perſvadere nullatenus poſſit, atq; in tantis ignorantiæ tenebris neceſſarium ſit nos valde frequenter in obvios errorum lapides impingere. Ingenua eſt illa confeſſio Juſti Lipſij: *Ego me labi & errare poſſe non ſolùm fateor, ſed debere.* Legimus de quodam ſapientiæ hieroglyphico, quod olim extabat in templo Mercurij cum ſequenti epigraphe: *meum peplum nemo unquam mortalium detexit.* Cùm ergo ſapientiæ ac veritatis facies peplo ſit obtecta, ſpiſſum inſuper ac tenebroſum cæcitatis velum poſitum ſit ſuper oculos intellectûs noſtri, neceſſarium eſt nos in dignoſcendis rerum veritatibus frequenter decipi & hallucinari.

Eccli. 43. Opera Dei *multa abſcondita ſunt*, inquit Eccleſiaſticus, *pauca enim*
Eccli. 1. *vidimus operum ejus.* In quorum etiam viſione *non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur*; quia ſemper plura & plura nobis occurrunt, interim nec unius quidem perfectam notitiam aſſequimur. *Exquiſitè cuncta perquirere*, inquit Plato, *nec facile eſt nec poſſibile.* Adeo tenebris

Digitized by Google

nebris omnia ſunt obvoluta, ut propterea idem Philoſophus ſtatum hujus vitæ *nocturnum quendam diem* appellaverit. Si cuncta perquirere non poſſumus, multò minus eorum cauſas perveſtigando invenire, quod vel ipſi gentiles Philoſophi adverterunt. Hinc illud Ariſtotelis: *Non in omnibus quærenda cauſa eſt, ſed ſatìs in quibuſdam fuerit, ſi demonſtretur, quòd ſint.* Et illud Theophraſti: *Qui de omnibus rationem quærunt, primam cauſam rationis negant.* *in Ethicis.*

Ex his patet veriſſimum eſſe noſtris etiam temporibus illud pſalmiſtæ: *Diminutæ ſunt veritates à filijs hominum.* Et illud Eccleſiaſtæ: *Stultorum infinitus eſt numerus.* Seneca nos pueris cum ſcientia noſtra comparat: *Nos inquit ſemper pueri ſumus, ſed majora ludimus.* Ridet Deus cum omnibus Cœli civibus ſtultitiam & inſipientiam noſtram, ac infantilia ſententiarum noſtrarum crepundia. *Dixi,* inquit, *ſemper hi errant corde.* Tolerabilis adhuc eſſet hic error ignorantiæ, ſi non accederet vana ſcientiæ præſumptio. Odit Deus *pauperem ſuperbum*, qui cùm ſcientiæ ſit expers, multum tamen ſe habere putat, & de nihilo inflatur. Quot ſunt tamen hodie tales, qui ſe intima ſapientiæ arcana ingenio ſuo judicant penetrâſſe, & veritatem in judicando acu ſemper tangere, qui tamen toto Cœlo aberrant, & in ſententijs ſuis abſurdiſſimè hallucinantur, cúmq; ſe arbitrentur æternæ veritatis proferre theoremata, non niſi *doctas fabulas* crepant, *volentes eſſe legis doctores, non intelligentes, neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant.* Qui etiam tandem merentur dari à Deo in ſenſum reprobum, ut veram ſapientiam nunquam attingant. D. Auguſtini monito potiùs obtemperent: *Non erubeſcendum eſt homini confiteri ſe neſcire, quod neſcit; nè dum ſe ſcire mentitur, nunquam ſcire mereatur.* Invocet abyſſus humanæ ignorantiæ abyſſum divinæ ſapientiæ, ut dum ſe nihil ſcire fatetur, ſcientiam veram à Deo conſequi mereatur. Quod ſi nihilominùs quidam vanâ & inani ſcientiâ tumidi & inflati, illis, quæ hic dicta ſunt, velint obſtrepere, ego quidem altercantes dimitto, ſed diem illum appello, in quo vanitatem ſenſûs ſui, & commentorum, quæ pro veris aliquando contentioſè adſtruxerant, inſaniam, liquidò in multis agnoſcere compellentur, & confiteri ac dicere, utinam tamen non cum illis inſenſatis, quos memorat ſapientiæ liber: *Erravimus à via veritatis.* Horum aliqui putant ſe omnia ſcripturarum clauſtra reſerâſſe, & ſæculis noſtris adimpleri, quod olim Danieli Prophetæ de libro ipſius dictum legitur: *Tu autem Daniel*

Pſ. 11. *Eccli. 1.* *2. Petr. 1.* *1. Tim. 1.* *Ep. 157.* *Sap. 5.* *Dan. 12.*

Digitized by Google

claude ſermones, & ſigna librum uſq; ad tempus ſtatutum, plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia. Fateor ego quòd ſæculo noſtro multiplex ſit ſcientia, ſed quia *multiplex*, hoc eſt in plures ſententias ſchiſmaticè diviſa, ideo nulla. Vix enim ulla eſſe poteſt veritatis certa poſſeſſio, ubi de illa tantopere pugnatur.

Fertur quendam, cùm ei liber plenus erroribus ad cenſurandum offerretur, ſequentem de illo tuliſſe cenſuram

R tenet Auſonium liber hic, tenet atq; pelasgum,
R tenet Hebræum, prætereáq; nihil.
Scilicet Errores, *prætereáq; nihil.*

R námq; Auſonium, ſive Latinum exprimimus per - - ER
Pelasgum, ſive Græcum per - - - - - - RO
Hebræum per - - - - - - - - RES.

Idem ego dicam de noſtrorum temporum ſapiente mundo, ſepoſitis tamen fidei noſtræ articulis:

R tenet Auſonium Mundus, tenet atq; pelasgum,
R tenet Hebræum, prætereáq; nihil.

Optimum eſſet atq; ſecuriſſimum, ad præcavendos quoscunq; intellectûs noſtri errores, ſi ad omnes propoſitiones unicâ ſemper diſtinctione nobis uti liceret: *ſi eſt verum, concedo. Si eſt falſum, nego.* Sic omnis error præciſus eſſet.

VI. Videant jam illi quàm rectè ſentiant, qui eas plerumq; tuentur ſententias, quæ à pluribus tenentur, cùm tamen ſcire debeant, ſtultorum plena eſſe omnia, & veritatem à pauciſſimis teneri. Via falſitatis eſt via lata & ſpatioſa, & plurimi ingrediuntur per eam. E contra, via veritatis eſt via anguſta, & pauci ſunt qui inveniunt eam. Socrates ajebat eos qui multitudini fidem habent perinde facere, ac ſi quis tetradrachmum unum contemnens reijceret, & acervum è ſimilibus congeſtum probaret, reciperétq;. Trita eſt philoſophiæ regula: loquendum eſſe cum multis, ſentiendum tamen cum paucis, verum quidem eſt, ſi errare oporteat, meliùs eſſe cum pluribus errare quàm cum paucis. Hoc tamen in humanis diſciplinis circa quæſtiones controverſas mihi certum videtur, veritatem non eſſe quærendam in illis ſententijs quas plures tenent. Nihili curanda eſt nobis hominum authoritas, quos conſtat plerumq; falſitatis eſſe authores, & mendaces in judiciorum ſuorum ſtateris. *Quorum me authoritas opprimere poteſt, docere non poteſt,* inquit S. Hieronymus. *In Apolog. ad Domn.*

Veritas

Veritas ſuorum paucitate contenta eſt, & multitudine hoſtium non terre- *Idem.*
tur. Hinc etiam divina lex in Exodo præcepit: *Non ſequeris turbam,* *Exodi 23.*
&c. *Nec in judicio plurimorum acquieſces ſententia, ut à verò devies.* Certiſſimum eſt quòd veritas paucos inveniat diſcipulos, & ſectatores. Unde Jovinianum redarguit S. Hieronymus: *Ne glorieris,* inquit, *quòd multos diſcipulos habeas, filius Dei docuit in Judæa, & duodecim tantùm illum Apoſtoli ſequebantur.* Divina ergo ſolùm nobis curanda eſt authoritas: Hanc veneror in omnibus SS. Patribus, quorum doctrinæ unanimi ab omnibus meritò acquieſcendum eſt. Non enim naturali ſuo judicio innixi, ſed *Spiritu Sancto inſpirante, locuti ſunt ſancti DEI ho-* *2. Petri 1.*
mines.

Quàm ergo verum eſt quod dixit Democritus, in altiſſimo quo- VII.
dam puteo, fundíq; velut experte demerſam jacere veritatem, & fatuis nonnullorum ſtudijs, qui eam eruere conantur, magis depreſſam & impeditam, quam vix ætatis Neſtoreæ vel annorum Mathuſalem labor, unquam in lucem valeat extrahere. Quomodo igitur nos, & quàm vanè, accurtato ætatis noſtræ tempore, quod velut umbra præterit, breviſſimóq; dierum numero, eam in publicum educere ſperamus? an illud celebre dictum ignoramus? quo aphoriſticum ſuum opus divinus orditur Hippocrates: *Ars longa, vita brevis*: Vel illam Eccleſiaſtici ſententiam: *Cùm conſummaverit homo, tunc incipiet*; cùm videlicet labore ſuo ade- *Eccli. 18.*
ptam ſe tenere crediderit veritatem, & ſcientiæ perfectionem aſſecutum, tunc primùm incipere dicendus erit, nunquam conſummaturus. Notum eſt illud Platonis dictum: *Tunc primùm mentis oculus acutum cernere incipit, cùm corporis oculus defloreſcit.* Et illud Divi Hieronymi: *Ingenium quaſi vinum probatur antiquitate.* Naturam hanc ingenij ſe- *Epiſt. ad*
rò matureſcentis referre videntur meſpila, *non matura priùs quam putri-* *Nepotia-*
da. *SCIENTIA,* ut ex ejus nomine confectum teſtatur anagramma *num.*
IT E CANIS. Sapiens ille vir Græciæ Themiſtocles, referente eodem ſacri nominis Doctore, cùm expletis centum & ſeptem annis ſe mori cerneret, dixiſſe fertur, ſe dolere, quòd tunc egrederetur è vita, quando ſapere cœpiſſet. Tunc primùm, dum jam conſummandi tempus eſt, homo incipit, tunc copioſa retractationum occurrit materia, tunc ludicra juvenilis ingenij vitulamina reprobantur; tunc, ut cum Carneade loquar, peritiores ætate facti, ſicut polypus cirrhos ſuos auctos devorat, ità noſtras quoq; opiniones incipimus refutare. Quàm magna eſt hæc miſeria

Digitized by Google

miſeria mortalium! qui vix dum ſapere incipiunt, & oculos mentis aperire, coguntur è vita decedere; ut meritò Theophraſtus moriens naturam accusâſſe videatur, quòd cervis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil intereſt, hominibus verò, quorum maximè interfuiſſet, exiguam dediſſet.

VIII. Tolerabilis quidem, nec magni curanda eſt rerum illarum ignorantia, quæ ad æternam ſalutem nihil momenti vel detrimenti adferunt, ſi modò in rerum moralium diſquiſitione non caligaret mentis oculus, quo duce viam ſalutis incedere debemus. Nunc verò quis eſt, qui in actionum ſuarum formandis hîc & nunc regulis non ſæpè fallatur? Cujus conſcientia ſæpe non ſit erronea, & utinam inculpabiliter. Delicta quis intelligit? nec tantùm delicta, ſed & virtutes? Hinc eſt quòd multas hominum juſtitias DEUS aliquando judicabit, *non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ*, dicit Dominus, *quia ſicut exaltantur Cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.* Quod veriſſimum eſt non tantùm circa temporalium ſcientiarum materias, ſed vel maximè in materia æternæ ſalutis. Quis enim certò poteſt dicere, ſe hic & nunc meritorium cujuscunq; virtutis actum elicuiſſe? multò minùs poteſt ſcire an amore vel odio dignus ſit, ſed omnia hæc in futurum ſervantur incerta. Si ergo ſpiritus hominis neſcit ea quæ ſunt in homine, multò magìs illa ignorabit quæ extra ipſum ſunt.

Iſaia 55.

Nihil itaq; (ut tandem capiti finem imponam) eſt in ſcientijs, à quibus veritas potiori ex parte eſt proſcripta, quàm *verba plurima, multámq; in diſputando habentia vanitatem.* Quis ſitibundi inſtar Tantali illud vanè appetat, quod nunquam ſit conſecuturus? quis inanem in ſapientiæ venandæ ſtudio operam ludat? quid te ô mortalis, & cras non compariture homo inutilibus & infinitis miſces quæſtionibus? *Quid prodeſt magna cavillatio de occultis, & obſcuris rebus, de quibus non arguemur in judicio, quia ignoravimus? grandis inſipientia, quòd neglectis utilibus & neceſſarijs, ultro intendimus curioſis & damnoſis, oculos habentes non videmus.* Longè fac à me deſiderium inordinatum rei tam difficilis & moleſtæ DEUS meus, non ſim mihi terra difficultatis & ſudoris nimij, terra ſpinarum maledicta, quibus pungar, non compungar. *Stabo potiùs atq; ſolidabor in te, informa me à veritate tua, nec patiar quæſtiones hominum, qui pœnali morbo plus ſitiunt, quàm capiunt.*

Eccleſ. 6.

Kemp. de imit. Chriſti l. 1. c. 3.

S. Auguſt. Conf. lib. 12. c. 30.

Claudam

Claudam præſens Caput anagrammate, quod ſuggerit *SCIENTIA*, quæ ſuos Helluones nunquam plenè ſatiat, quantumlibet illâ fuerint ingurgitati tanquam illi à Deo eſſet imperatum: *SITI NECA.*

Plus homines docti ſitiunt de rore Minervæ,
Quàm capere ingenij vaſa minuta queant.
Dupliciter pereunt, quos ſic premit uber egeſtas
Doctrina interimit, tum ſitis ipſa necat.

CAPUT V.

Scientiarum incertitudo pluribus declaratur.

DIcant Scientiarum Patroni quantum in ſingulis facultatibus à nobis pro certo ſciatur. Nónne pleraq; diſputationi ac ventilationi ſubjecta ſunt? de ipſis ſcientiarum principijs quandoq; litigatur.

Utq; à Theologia facultatum omnium Regina capiam exordium, quid eſt in illa, de cujus evidenti notitia gloriari poſſimus? Multi ſunt, qui Dei exiſtentiam ſibi videntur metaphyſicè demonſtrare, quorum tamen univerſæ demonſtrationes intellectum non ita convincunt, quin diverſis reſponſionibus ab Atheo quopiam poſſint eludi. I.

Sunt qui exceptâ perſonarum Trinitate omnimodam in Deo unitatem ac ſimplicitatem defendunt; Alij non tantùm virtualitates, ſed actuales etiam formalitates in Divinitate admittunt.

Nonnulli diſparatas relationes ajunt ſufficere ad perſonalitatum diſtinctionem; alij relationum oppoſitionem, ad diſtinctionem illarum requirunt.

Secundùm quosdam DEUS eſt in ſpatijs imaginarijs, cognoſcit individuum vagum, facit ens rationis; alij negant hæc omnia.

Si de concurſu divino fiat mentio, ſi de efficacia gratiæ, aut de Phyſicis prædeterminationibus, vel præfinitionibus, illico Phariſæi cum Sadducæis confligunt. Illi ſcientiam mediam (quam quidem & ego defendo) tanquam providentiæ divinæ neceſſariam, & libertatis noſtræ cum infallibilibus Dei Decretis optimam conciliatricem ubiq; deprædicant, ita ut jàm etiam à nobilibus quibusdam Matronis Sanctarum numero in Litanijs inſeratur: *S. Scientia media ora pro nobis.* Alij è contra dicunt

Digitized by Google

dicunt eam ad nihil valere, niſi ut mittatur foras & conculcetur ab hominibus.

Quis hucusq; circa actus Dei liberos difficultatem enodavit? quis divinæ prædeſtinationis arcanum intellectu ſuo eſt aſſecutus? De ſpecie impreſſa Dei, de viſione beatifica, ejúsq; præciſionibus & reflexionibus, de majori proportione perfectioris intellectûs,cum æquali lumine gloriæ; de oculo corporeo ad viſionem Dei elevabili, aut non elevabili, quantæ verborum & ſententiarum pugnæ?

Jam ſi Deum mediante VERBI perſonalitate hominem factum conſideremus, quis unionis hypoſtaticæ modum attigit? quis tot myſteriorum tenebras circa Chriſti merita & ſatisfactiones, impeccabilitatem & libertatem elucidavit? Quis ſcire pro certo poteſt, an ſi Adam non peccâſſet, Dei filius in carne impaſſibili veniſſet, aut non veniſſet?

De lingvis Angelorum; de ſpecifica & numerica ipſorum diſtinctione, de modo intelligendi, de via, merito & peccato illorum, multis jam ſæculis diſcurritur, ac litigatur, & adhuc plurium quæſtionum ſub judice lis eſt. Quis dicere poteſt ſinè falſitatis periculo, quomodo dæmones ab igne infernali torqueantur?

In moralibus Theologiæ materijs quanta ſententiarum diſſonantia? In materia de virtutibus Theologicis quantæ tricæ? quis circa virtutes morales per ſe infuſas, ſcholarum opiniones conciliabit? De peccatis quid dicam? In quo peccatum conſiſtat acriter etiamnum diſputatur. Si de peccatis in particulari agitur, lege Caſiſtarum libros, quantas non ibi reperies Judiciorum contrarietates? nam frequentiſſimè quod unus condemnat, alter juſtificat; in nulla tamen materia periculoſiùs erratur. Quomodo Sacramenta ſuos cauſent effectus, an phyſicè, an moraliter influant, adhuc neſcimus. Circa illorum reviviſcentiam, & ſingulorum in particulari formas atq; materias, quàmplurima ſunt adhuc controverſa.

II. Nec tantùm in ſcientijs divinis, ſed etiam in humanis magna ſe offert altercandi materia. Prædicamentorum Decalogus non ab omnibus admittitur. Circa univerſale quanta ſchiſmata? Hi clamant illud à parte rei exiſtere; alij dicunt eſſe purum ens rationis. Circa univocationem entis quanta ſententiarum æquivocatio? Circa modos & relationes quanta prælia? Circa rerum eſſentias, exiſtentias, diſtinctiones, ſpecificationes, individuationes, negationes & privationes, tran-

tranſcendentales item reſpectus & connexiones, quanta opinionum diſſidia?

Perſonalitatem, ſeu rationem ſuppoſiti de fide novimus, in quo tamen conſiſtat hucusq; ab omnibus divinatur. Subſtantiæ perſeitatem, & inalietatem accidentis nemo perfectè hactenus explicuit, nec genuinum rei ſpiritualis, & corporeæ diſcrimen ullus adhuc aſſignavit.

Sed relinquamus hæc à ſenſibus abſtracta, ea enim ipſa, quæ ante pedes noſtros jacent, ignoramus.

Aſtruitur paſſim materia pro formarum ſubjecto, & neſcitur hucusq; in quo ſubjecti ratio conſiſtat. Quantum in illa materia eſt chaos? quantæ tenebræ? an dependeat eſſentialiter à forma, an unam appetat præ altera, an ejusdem ſit ſpeciei in ſublunaribus & cœleſtibus, quis poterit definire? Quin imò de ipſius exiſtentia meritò dubitatur, nec enim ejus neceſſitatem ullus adhuc demonſtravit.

Quis hucusq; dignovit an redeant formæ corruptæ an non? Sunt qui unicam formam ſubſtantialem in homine admittunt; alij præterea defendunt formam corporeitatis in plures partiales diviſam. Quidam in materia ferri candentis formam ferri ſolam agnoſcunt; alij duas in illa formas propugnant, docentes formam ferri & plurimorum aliorum corporum formæ ignis eſſe ſubordinatam.

Aliqui generationem novæ formæ, alij corruptionem antiquæ in mutatione ſubſtantiali priorem ſtatuunt. Sunt qui generationem & corruptionem ſubſtantialem penitùs è medio tollunt, ut infra videbitur. An omnes partes pertineant ad quidditatem compoſiti, & an compoſitum diſtingvatur à partibus unitis, adhuc pro & contra diſputatur.

Veniamus ad quatuor cauſas, è quarum numero materialem aliqui eliminant. De mutua cauſalitate & productione ſui ipſius non omnes eodem modo loquuntur. An accidens aliquando ſaltem inadæquatè producat ſubſtantiam, quis poteſt pro certo decidere? & tamen ea de re tot jam annis clamatur. De potentia obedientiali ſubjectiva & effectiva, de potentia creativa creaturis communicabili vel non communicabili quanta ingeniorum colliſio? & tamen vix adhuc ex illis excuſſa eſt vel unica ſcintilla veritatis.

Circa infinitum in multitudine, extenſione vel intenſione, item Creaturam perfectiſſimam, infinitos difficultatum obices nemo tam facilè perrumpet.

Digitized by Google

Circa ſpatia & tempora imaginaria quàm diverſæ imaginationes? Circa replicationem quantæ replicæ? Alij gloriantur ſe vacuum inveniſſe, alij inventionem veritate vacuam explodunt. Sunt qui motum in vacuo imaginabili admittunt, alij è contra negant.

Non pauciores circa plenum, quàm circa vacuum ſunt controverſiæ. Certè quomodo vas plenum cineribus adhuc ferè tantum aquæ capiat, quantum ſinè illis cepiſſet, nobis eſt incognitum. Sunt qui penetrationem in certis corporibus, diſpoſitionibus, ac circumſtantijs naturaliter dari admittunt, ſed alij pertinaciſſimè negant. Dicant hi, quomodo ſubſtantia rarefacta condenſari poſſit ſine penetratione, & unicum thuris granum in ſui rarefactione tot partes extra partes emittere, ut illis replere poſſit locum centies & vigeſies millies ſe majorem.

De modo ubicationis & durationis quantæ controverſiæ? De creatura ab æterno creabili immenſum diſputationis chaos. Æternitatem nullus hucusq; comprehendit, quin imò quid ipſum tempus ſit ignoramus. *Quid ſit tempus*, inquit S. Auguſtinus, *ſi ex me nemo quærat, ſcio; ſi quærenti explicare velim, neſcio. Et quia explicare neſcio, ſcire meum eſt ignorare.*

Lib. 12. Confeſſ.

Materia continui etiamnum doctiſſima ingenia exercet; nullus adhuc poteſt explicare quomodo minima feſtuca componatur, vel quomodo rota, ſive virgula, ſinè partium diſcontinuatione & fractione circa axem ſuum rotetur. Quis perfectè novit continuum à contiguo diſtingvere?

Motum facilè videmur capere, revera tamen non ita facilè ipſum definimus & explicamus. Sunt multi, qui morulas in illo judicant neceſſariò eſſe admittendas, alij habent illas pro abſurdiſſimo commento.

De primis elementis quantæ diſcordiæ? Sunt qui negant ignem elementarem, æthereum verò judicant eſſe omnino fabuloſum. Unde mihi Philoſophus aliquis demonſtrabit, quòd ignis ex ſua eſſentia calorem exigat? Nunquam videmus ignem ſinè calore; quid inde? ergo calorem eſſentialiter exigit, vel nunquam ſinè illo naturaliter poteſt eſſe, nego conſequentiam; ab actu enim ad potentiam negativè non valet illatio, & multa poſſunt aliter contingere, quàm defacto & ordinariè contigerint, vel contingant. Quid ſi tantùm virtualiter eſſet calidus? nec enim ex eo quòd nos calefaciat, calorem formaliter debet continere; Nam & ſol in multorum ſententia nos calefacit, non ſuo calore, ſed

virtute

Digitized by Google

virtute calefactivâ; nec acicula cuti trajectæ dolorem inferens, illum in ſe habet ſubjectatum. Quid ſi talis eſſet ſenſus caloris qualis eſt doloris?

Utrùm elementa formaliter an virtualiter ſint in mixtis, quis poteſt dijudicare? quis cuilibet illorum qualitates ſuas in intenſo & remiſſo perfectè aſſignare? De gravitatione illorum ac impetu quo moventur, ambiguè diſcurrunt Philoſophi, nec omnes adhuc credunt ſilicem citiùs cadere, quàm panis ramentum. Multi hucusq; mirantur; quomodo veſica inflata ſit gravior quàm vacua; an proinde aër gravitet, litigatur. Similiter an aqua conſtringatur, an verò magìs rarefiat per congelationem. In conſtructione mobilis perpetui multi hucusq; in caſſum laborant.

Pleriq; ſibi videntur habere ſanos corporis & mentis oculos, & tamen hi nivem albam eſſe credunt, alij nigram potiùs eſſe contendunt, quamvis alba videatur, ſicut atramenti ſpuma. Experientiá certè compertum eſt nivem nigras poſt ſe relinquere maculas, & optimum ex illa confici atramentum. Alii nec nigram eſſe putant, nec albam, ſed cæruleam & coloris ſaphirini, talis enim videtur beneficio lentis in cubiculo ſeu camera clauſa, modò non fuerit à ſole foris illuſtrata.

An mare ſit altius terrâ quis dimenſus eſt? Circulationes aquarum, montium hydrophilacia, & fontium origines, cauſas ventorum, æſtúsq; marinos quis ad plenum indagavit? Quis fulminis vim atq; potentiam explicuit?

De numero & motu, de ſubſtantiali ſimplicitate, ac ſoliditate Cœlorum, quàm fallibilia ſunt hominum Judicia? alij ſolem formaliter, alij virtualiter tantùm eſſe calidum aſſeverant. Cur Veſpertinus nubium rubor ſerenitatem portendat, non matutinus, veram diſcriminis cauſam nullus adhuc aſſignavit.

An & quomodo lumen propagetur in inſtanti, quis aſſecutus eſt? cauſam & radicem colorum tam apparentium quàm permanentium quis pro certo poteſt edicere? Multa quidem de refractione dicuntur, per illam tamen nullus adhuc iridis vel bullarum colores exactè diſtinxit. Multò minùs per refractionem lucis internæ, ac variam denſi & ſubtilis permixtionem, colorum permanentium naturam ac diverſitatem ſufficienter elucidavit, quorum in minimo ſubjecto æqualiter denſo maxima ſæpe diverſitas eſt.

Digitized by Google

Quomodo & per quales gradus fiat intenſio qualitatum, quàm diverſæ ſunt ſcholarum ſententiæ. De actione ſimilis in ſimile, & intenſione qualitatis per ſemetipſam non omnes conveniunt.

Utinam ſaltem miſeri homines ea ſciremus, quæ ſunt in homine. Quis autem poteſt dicere pro certo, ex quot principijs homo componatur? alij unicam, alij plures in illo animas ponunt, ut infra videbimus, quarum potentias alij realiter multiplicant, alij aſſerunt eſſe à ſe invicem, & ab anima realiter indiſtinctas. Nondum ullus intellexit, quomodo intelligat. De ſpeciebus impreſſis & expreſſis omnia quæ loquimur ſunt incerta. Modum quo viſio & aliæ ſenſationes externæ peraguntur, nullus hucusq; ad plenum aſſecutus eſt. Neq; ullus evidenter probavit, facilitatem, quæ poſt frequentatos actus à nobis advertitur, in habitus eſſe referendam.

III. Non multò plura circa humanum corpus, tametſi viſibile ac palpabile, quàm circa animam noſtram intelligimus. Nondum ſcimus an ungves, capilli, ſangvis, aliiq; humores ſint corporis humani partes de vita totius communicantes. Cuinam parti debeatur principatus, non concors eſt omnium ſententia. Dubitatur etiam paſſim, an detur aër auribus à natura implantatus; an ventriculus vi ſuâ, an verò alienâ concoquat, an aëris ſubſtantia per arteriam aſperam & venoſam ad cor usq; deferatur, ut taceam alia hujusmodi dubia plusquàm ſexcenta. Neſcimus defactò ad quid ſerviant renes ſuccenturiati, vel aqua pericardij, aut quibus uſibus deputata ſint vaſa lymphatica.

Quis eſt adeo peritus atq; induſtrius anatomicus, qui gloriari poſſit omnes naturæ vias in corpore humano ſibi eſſe compertas? multæ teſtantur hiſtoriæ, res incautè per os deglutitas, per urinam fuiſſe redditas, ut ceraſorum ac prunorum oſſicula, lactucæ fruſtula, uvarum acinos, ſemina fœniculi & aniſi, acus non tantùm parvas, ſed etiam crinales. Legimus etiam muſcam, quæ cujusdam os involaverat, per veſicam exijſſe, ad quam tamen vix ullus rebus ita ſolidis patere videtur acceſſus.

Miramur defactò, quibus vijs pulmo ad inteſtina delatus per ſedes aliquando excernatur, aut quomodo plevriticorum ſputa ad aſperam arteriam perveniant. Taceo hic metaſtaſin, & viam nobis ignotam, per quam humores in colica paræſi ex inteſtinis ad nervos deferuntur. Legimus præterea cultellos & aciculas devoratas, multo poſt tempore per abſceſſus crurum & ingvinũ à natura factos exiviſſe, & acum incautè deglutitam,

Digitized by Google

glutitam, poſt unum menſem, exitum circa aurem quæſiviſſe, ſagittas etiam dorſo infixas, per alvum innocuè fuiſſe redditas.

Super hæc omnia videntur admirandi abortus facti per vomitum. Legimus etiam infantium ſat magnorum Skeleta per os fuiſſe aliquando rejecta. Ad hæc & ſimilia nullus medicorum aliter meliùs poteſt reſpondere, quàm multas in corpore noſtro partes & vias dari, naturæ quidem notas, nobis verò hucusq; incognitas.

Circa officinam ſangvinis medici non concordant. Ejus circulatio non eodem modo ab omnibus explicatur. Humorem illum, qui ſangvini è vena miſſo ſupernatat, aqueum eſſe vulgariter creditum eſt, donec experientia docuit, illum calore non reſolvi, ſed coagulari. Ejus tamen originem atq; naturam nullus adhuc exquiſitè dignovit.

Communiſſima eſt perſuaſio inter medicos, nigrum illud ſangvinis è vena miſſi ſedimentum eſſe melancholicam ſangvinis fæcem. Experientia tamen probat, illam ſangvinis portionem ab alio ſangvine non differre, ſed ideò ſolùm nigram apparere, quia non eſt aëri expoſita. Si enim aëri exponatur, parem cum alio ſangvine ruborem induit, prout teſtatur Carolus Fracaſſatus in Epiſtola anatomica, cujus quidem rei experimentum nunquam feci.

Venas Meſeraicas chylum ad hepar vehere, diu fuit creditum, donec alij lacteas repererunt, quas tamen omnium Medicorum ſchola nondum recepit.

Quid hìc dicam de diebus criticis? de ſtatis & ordinatis febrium periodis? de annis climactericis? de morbis Epidemicis & malignis? de apoplexia, epilepſia, pica mulierum, & plurimis alijs morbis, quorum cauſæ adhuc ignorantur, tametſi quidam ſuperciliosi ſibi videantur eas omnino comprehendiſſe.

Pro quartanæ febris alimento, aliqui craſſum, alij verò tenuem humorem aſſignant, & conſequenter illam diverſiſſimè, imò contrariè curant. Nihil communiùs apud Medicos quàm quòd bilis copia gignere ſoleat febres, ſive intermittentes, ſive acutas; alij è contra omnes febres oriri potiùs ajunt ex defectu bilis. Communis etiam hucusq; fuit ſententia, in ſomno magìs, quàm in vigilia concoctionem vigere, video tamen à nonnullis R R. contrarium doceri, non ſinè rationum pondere.

Quomodo generatio hominis perficiatur in utero, quis hucusq; pro certo novit? bene Mater illa Hebræa ad filios ſuos dixit: *Neſcio qua-* *2. Mach. 7*

liter

liter in utero meo apparuiſtis. An Mater activè, an tantùm paſſive concurrat, adhuc divinatur. Quis crediſſet dari ova uterina, alia maſculis, alia fæmellis concipiendis dicata? quæ virilis ſeminis acceſſu prolifica reddantur, ut docet Beckius ratione ſimul & experientiâ ſuffragante, per quorum etiam copiam ait, optimè explicari mulierum fœcunditatem.

An ſingula purgantia omnes indifferenter humores, an certos duntaxat evacuent, & quomodo explicari debeat vis illa purgatrix, hucusq; relinquitur ambiguum. An gravidis aut peſtiferis ſangvinem mittere, vel apparentibus jam exanthematibus venam ſecare liceat; Similiter an gravidis vel peſte laborantibus catharticum exhibere, non omnium concors eſt opinio. Nec adhuc exactè cognitum eſt, utrùm in pleuritide venam in parte affecta, an adverſa ſecari expediat, pilulas cephalicas ante ſomnum, alij commendant, alij reprobant. Sunt qui omnem purgationem & venæ ſectionem, in morborum quorumcunq; curationibus explodunt.

Potior Medicorum pars certas venas certis partibus credit appropriatas, per Cephalicam caput, per baſilicam hepar, per medianam præcordia putat revelari, ſalvatellæ miſſionem lieni ſalubrem exiſtimat. Alij videntes ab eodem brachij trunco omnes haſce venas ortum ducere, hunc inter eas delectum judicant eſſe fruſtraneum, jubentes illam ſecari, quæ tutiùs & commodiùs ſecari poteſt, ſalvatellæ ac minoris cephalicæ ſectionem omnino explodentes. Multi ſunt, qui in venæ ſectionibus, ſcarificationibus, & quorumcunq; medicamentorum exhibitionibus, lunæ incrementa, vel decrementa, aliorúmq; ſiderum aſpectus religioſiſſimè obſervant, quæ alij omnia contemnunt.

Diætam certam ſuis patientibus complures Medici præſcribunt, alij ejus præſcripta omnino negligunt.

Levis videtur quæſtio, an raphanus ante, an verò poſt menſam ſit ſumendus, ut proſit ſanitati; circa illam tamen Medicorum pugnant ſententiæ, nec adhuc ſufficienter hucusq; diſcuſſum eſt, an opium ſit calidum, an frigidum. Idem eſt de Camphora, nitro, vitriolo, aceto, & acidulis, ex quarum uſu hepar non modicè calefactum ſe retuliſſe nonnulli ſcribunt; hæ tamen vulgò refrigerare creduntur.

Omitto hic infinita ferè Medicorum & Philoſophorum problemata, per quæ conjecturaliter magìs naturæ arcana diſcutiuntur, quàm certâ indagine explorantur. E quibus unicum hic propono, quanquam ridicu-

Digitized by Google

ridiculum, non ridendæ tamen difficultatis: *Cur ebrij ex vino antrorſum, ex cereviſia verò retrorſum cadant?*

Quàm frequenter diſſident, ſibíq; contrariantur Medicorum conſilia & curationes, dum unus calidum ſuadet, alius frigidum; hic hecticam, ille contrarium in homine morbum curat; quin imò ſæpe vix ullus morbi naturam aſſequitur; adeóq; parum quandoq; prodeſſe videtur Medicorum copia, niſi ut verificetur illud Raſis: *Qui plures vocat Medicos, incidit in errores plurimorum.* Et tamen non de lana caprina, ſed de corio humano tunc agitur.

Quantæ jam in medicamentorum delectu Medicorum ſunt diſcordiæ? aliqui in morborum curatione utuntur rebus chymicis arte ſpagyrica præparatis, quibus ſe jactant profligare morbos etiam cæteroquin incurabiles, non tantùm citò, ſed etiam tutè ac jucundè. Alij hæc omnia cane pejùs & angue, tanquam naturæ inimica, vel ad minùs periculoſa execrantur. Sunt qui Magiſterijs, item fæculis & alijs quibusdam officinarum præparatis majorem vim, quàm crudis rebus attribuunt. Alij è contra hæc rident tanquam mortua prorſus corpora, omníſq; virtutis expertia. In ipſis medicamentorum præparationibus quanta difformitas? quot non circa tincturam corallorum, circa aurum potabile, tincturam lunæ, &c. circumferuntur proceſſus? è quibus hunc iſte, alius alium præfert. Quin etiam in Galenicis medicamentorum præparationibus maxima eſt varietas. Inſpice Zvvelfferum, invenies ab ipſo paſſim traduci officinarum inſaniam. Neſcio tamen an ipſe rem acu ſemper tetigerit; nam in multis ſuis reformationibus, non tantùm ab æmulis, ſed etiam ab aſſeclis reprobatur & reformatur. Deniq; tanta eſt circa rerum naturas Medicorum ignorantia, ut non ſciant exquiſitè virtutem unius herbulæ, quam pedibus quotidie calcant. Simplicium qualitates non niſi ab experientia diſcere poſſunt, *experimentum* autem in medicinalibus eſſe *periculoſum* pronuntiat Hippocrates. Hinc etiam pauci ſtudent novis rerum experimentis, ne in humano corio ludere videantur. Neceſſarium eſt ergo ut magna ſit Judiciorum medicinalium fallibilitas, & neſcio an pronuntiare debeam injurioſum eſſe Medicis illud cujusdam Poëtæ diſtichon:

Nulla quidem veſtri eſt tam regula firma Galeni,
Quam non interdum curva refellat anus.

Quid hìc dicam de Mathematicis diſciplinis? Utinam omnis illarum IV.

demonſtratio cum metaphyſica infallibilitate ſemper ſubſiſtat. In multis etiam Mathematici ſuam fateri coguntur ignorantiam. Laborant usq; in hodiernum diem Geometræ in quadratura circuli; Arithmetici in calculationibus ſuis divinatorijs frequenter divinant; in plurimis falluntur Geographi, & certum modum locorum longitudines,ſeu meridianos inveniendi adhuc ignorant. Nihil hîc dico de fallibilibus Aſtrologorum judicijs; Aſtronomi ſtudijs tot annorum certum ac perfectum hujus univerſi ſyſtema nondum conſtruxerunt. Quàm incerta ſint Horographorum fundamenta, docent horologia ſecundùm artis ipſorum gnomoniſticæ præſcriptum facta, quorum tamen umbræ plus aliquando à vero tramite declinant, quàm quæcunq; lingvulæ magneticæ à locorum meridianis, ità ut ſæpiùs etiam reverti à nonnullis dicantur. Optici nondum habent perſpectas omnes reflexionum & refractionum leges, & poſt multas ipſorum explicationes, iris manet nihilominus *Thaumantis* ſive *admirationis filia.* Copioſa deniq; admirationis materia nobis ubiq; relinquitur.

V. A rebus phyſicis & naturalibus, ad illa tranſeo, quæ ab humano pendent inſtituto, circa quæ tamen Authorum opiniones ſæpe non minus diſcrepant. Sæculares principatus Jura pro morum & juſtitiæ regula condiderunt,ſinè quibus etiam Jurisconſulti loqui erubeſcunt; Quàm tamen contrariæ ac incertæ ſunt illorum interpretationes? quàm diſſonæ conciliationes? Multæ leges cereum dicuntur habere naſum, quas unus in hanc, alius in illam partem trahit, & inflectit. Nolo hæc omnia exemplis probare; ſufficiat quòd nuper ſpectabilis quidam & clariſſimus Vir, à theoria ſimul & praxi Juris laudatiſſimus, edito quodam libello, plures quàm ducentas Juris communis & Bohemici differentias à ſe obſervatas, citatis Jurium textibus, publicæ luci expoſuerit. Cùm ecce paulò poſt quidam alius præfatas Jurium differentias moderari conatus, etſi non in omnibus, ſaltem in plerisq; contrarium calamum oppoſuit. ità ut præfatorum Jurium conſonantias, in ijsdem ipſis allatis differentijs, paucis exceptis, luculentiſſimè demonſtrâſſe ſibi videretur. Cujus quidem cenſuras non adeo moderatas tametſi non approbem, quia tamen etiam ipſe doctrinâ non mediocri fuit præditus, hinc ſaltem clariſſimum reddi puto, plurima in Jure eſſe dubia, ac in utramq; partem à Jurisperitis diſputabilia. Quid enim in ejus Theorematibus adeo certum eſſe poteſt, cùm clara & obvia Jura uni videantur ſimilia & conſonantia, alteri verò

Digitized by Google

verò diſſonantia, & ſicut album & nigrum ſibi oppoſita. Heu! quanta ingeniorum & ſententiarum differentia, quæ ſi tanta eſt in dijudicandis ipſis Juribus, quanta non erit in iiſdem ad praxim applicandis?

Hinc eſt quod non minùs in Jure, quàm in alia cujuscunq; ſcientiæ vel artis materia, quilibet ſcriptor tametſi ſapiens & cordatus timendum habeat, ne reperiatur aliquis, qui doctrinæ illius ſe opponat, ejúsq; ſententias & theoremata convellat. Quod etiam initio ſtatim, ſpectabilis idem vir, cujus ante mentionem fecimus, videtur fuiſſe ſubveritus, dum in præfatione ad Lectorem ſibi ex Guevarra in mentem retulit: quomodo Socrates qui Apollinis oraculo omnium mortalium ſapientiſſimus eſt judicatus, à Platone fuerit reprehenſus; Plato ab Ariſtotele, Ariſtoteles ab Averrhoe, Cæcilius à Sulpitio, Lælius à Varrone, Marinus à Ptolomæo, Ennius ab Horatio, Seneca à Gellio, Eratoſthenes à Strabone, Thaſſalus à Galeno, Hermogenes à Cicerone, Cicero à Saluſtio, eodem modo paſſus eſt Homerus à Zoilo, qui etiam propterea dictus eſt Homeromaſtix, ſeu Homeri flagellum. Sed ad Jurisprudentiam redeamus. VI. *Horolog. Princ. in vita Marci Aurelij.*

Nihil dicam de dominio duorum in ſolidum, de mero Imperio Magiſtratûs, de venditione hypothecæ contra pactum cum debitore initum, circa quam inter ſe digladiati fuiſſe leguntur Bartolus & Baldus Jurisconſultorum clariſſimi. De valore plurimorum Contractuum, & innumeris alijs quæſtionibus, quæ varijs tam rationibus quàm authoritatibus adductis, pro & contra usq; in hodiernum diem diſputantur. Pervadamus Tribunalia, inveniemus in ijs non pauciores Juris quàm facti quæſtiones in utramq; partem agitari, & cauſas divinatoriè ſæpius decidi. VII.

Quin imò ſunt qui gloriantur ſe ejusdem Juris adminiculo cauſam injuſtiſſimam poſſe ſtabilire, & æquiſſimam ſubvertere, quod utinam ſpeculativè ſolùm noverint, & non etiam practicè; digni alioquin eodem præmio, quod Galeatius Dux Mediolanenſis dediſſe legitur cuidam Cauſidico, quem lites in Jure quantumvis liquido ſerere ac ſatas alere ſolitum ad ſe aliquando advocavit, & ſic affatus eſt: *Debeo piſtori meo centum aureos, non lubet ſolvere, poteſne me tueri præſidio Juris, & ab obligatione liberare?* Annuit repente cauſidicus, & ſuam Principi operam promptiſſimè adpromiſit. Hic verò in fraude deprehenſum, & facto proprio convictum, verbis acerrimè priùs increpatum publicè in furca ſuſpendi juſſit. Quo ſupplicij genere plures hodie affici deberent, qui ſuorum ingeniorum verſutiâ cauſas diſtorquent, injuſtitiam palliant,

Petrus Bleſenſis. æquitatem explodunt. Quorum eſt *Jura confundere, lites ſuſcitare, tranſactiones reſcindere, dilationes innectere, ſupprimere veritatem, fovere mendacium, quæſtum ſequi, æquitatem vendere, inhiare actionibus, verſutias concinnare.*

VIII. Nec Jus Canonicum eſt ſemper ſufficiens certitudinis regula, in quo plurimæ adhuc ſunt controverſiæ, quæ judicem expectant. De peculio Clericorum, & ſuperfluorum proventuum Eccleſiaſticorum dominio contrariæ ſunt Authorum ſententiæ. An detur actio ex nudo pacto ex Jure Pontificio, inter Authores adhuc diſputatur. Nihil hîc dicam de occiſione bellica, quam Clericis non eſſe prohibitam multi de Clero, ipsâ etiam praxi tenent; alij verò Juris, & SS. Patrum authoritatibus ſibi videntur contrarium demonſtrare.

In omni ferè materia cauſæ in Conſiſtorijs, & Curia Romana quotidie tractantur, quibus pro & contra non deſunt Patroni, neq; Canonum ambigui textus, quorum contrariæ interpretationes adferuntur. Interim certum eſt non intentionem verbis, ſed verba ſervire intentioni. Quis jam hîc genuinum Juris ſenſum, & Legislatoris veram intentionem acu tangere poteſt, niſi is, qui legem tulit, verborum ſuorum agat interpretem?

IX. Parum igitur in ſcientijs noſtris & certitudinis & veritatis. In Philoſophicis omnia ferè ſubjecta ſunt erroris periculo. In Medicina *Judicium difficile*, ut Hippocrates ipſe teſtatur; In Jure, ipſorum Juriſtarum teſtimonio, *omnis definitio periculoſa*; In Theologicis ſumus ad ſolem noctuæ; In Ethicis tandem quot erronea ſunt dictamina? maximè dum generales gnomæ ad particulares caſus & materias applicantur. Ipſi qui mundana gubernant ſubjecti ſunt erroribus, nec Mundus regitur ſcientijs ſed opinionibus. Utq; paucis verbis ea quæ dixi complectar: *Diminutæ ſunt veritates à filijs hominum*, & de ipſa veritate vix aliquid veri tenemus. Nemo igitur de illa glorietur, quantumvis nobili & acuto ſit præditus ingenio, nondum enim habet lydium lapidem, quo veritatem pro certo poſſit explorare, unde in multis frequenter hallucinabitur, & cùm ſibi videbitur ſapientiſſimos circa Phyſica & moralia, terreſtria & cœleſtia, humana & divina formâſſe diſcurſus, verè tamen

Job. 42. poterit cum Job dicere: *Inſipienter locutus ſum, & quæ ultra modum excederent ſcientiam meam.* Excedunt haud dubiè ultra modum quàmplurima intellectûs humani captum; SCIENTIA noſtra quæ ſe jactat

Digitized by Google

ſtat multiſciam, nihil penè ſcit, & anagrammatiſmo etiam id confirmante *IT NESCIA.*

CAPUT VI.

Magna hominum ignorantia in explicandis naturæ magnalibus; inter quæ primo loco rerum Sympathiæ cenſentur.

AGendum jam de varijs naturæ miraculis, quæ in hoc univerſo contingunt, & humanam detegunt ignorantiam. Tritum eſt illud carmen: I.

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas.

Dicendum verò potiùs in tanta rerum difficilium & abſtruſarum copia:

Non eſt qui poſſit rerum cognoſcere cauſas.

Non tantùm raros atq; inſolitos naturæ effectus, ſed etiam quotidiana ejus opera miramur, quam admirationem parit ignorantia; non enim miraremur, ſi cauſas illorum perſpiceremus. Hinc ſequitur, cùm eſſe admirativum ſit proprietas hominis, ignorantiam ei magis eſſe propriam, & priorem admirativo, non obſtante, quòd in negativo videatur conſiſtere. Adducemus hîc primò in medium ſympathias rerum, quarum cauſas & modos ſe aſſecutum, nemo cum veritate gloriari poteſt.

Eſt verò Sympathia, mutua quædam conſenſio inter res aliquas, II.
per quam, unâ aliquid ſentiente, altera quantumlibet diſtans idem ſentire videtur; unâ motâ, moveri altera; patiente unâ, pati altera. Unde à quibusdam vocari ſolet compaſſio. Galenus nominat amicitiam, Plinius concordiam, Cicero convenientiam & naturæ cognationem, alij appellant concentum & ſymphoniam.

Sympathia duplex eſt, una quæ fit cum actione alterius attractiva, & vocatur magnetiſmus, de quo infra. Altera quæ fit ſinè ulla ſenſibili aut notabili actione rei unius in aliam ſympathicè affectam, & in nudo rerum conſenſu conſiſtit, hæc propriè ac ſpecificè ſympathia nominatur, cujus jam exempla ſubnectam, non curioſitatis paſcendæ, ſed veritatis ob oculos ponendæ, ſcientiæ confundendæ, ac ignorantiæ humanæ detegendæ causâ.

Digitized by Google

III. Vinum in Cellarijs turbatur florentibus vineis, ſimiliter turbatur cereviſia in cadis florente hordeo.

Piſa difficulter coquuntur florentibus in agro piſis. Si farina ex tritico, eo tempore quo id in agris germinat, coquatur, pultes non ſpiſſantur, ſed longiori coctione magis ſemper colliqueſcunt.

Grana tritici aduſtas producunt ſpicas, ſi ponantur ad ſaccos, è quibus farina pro pinſendis panibus fuit deprompta; quotquot enim granis tritici pulvis farinæ in ſacco reſiduus adhæſerit, illa omnia uredine inficiuntur.

Cœpæ ſiccæ in granario denuo germinant, dum aliæ in hortis ſatæ, ex terra prodeunt.

Mantile vel ſtrophiolum colore mori, ceraſi, vel rubri vini maculatum, facilè maculam dimittit, ſi lavetur, dum illæ arbores aut vites florent; alio quovis tempore & operam & lixivium in eluendis ejusmodi maculis perdes.

Si quis morum vel fragum in gravidam proijciat, pars in fœtu correſpondens parti matris attactæ, eodem ſigno ſæpe notatur. Talia mora vel fraga per matris imaginationem ſeu terrorem cuti prolis impreſſa, viſa ſunt quotannis virideſcere, flaveſcere, rubeſcere, ac prurire, cum moris arboreis, & fragis terreſtribus, ſubſidere autem & ſemi evaneſcere, tempore mororum & ceraſorum transeunte.

Territis ab inopinato lunæ aſpectu mulieribus, fœtus quandoq; luniformi maculâ ſignati ſunt, lunæ incrementa & decrementa ad amuſſim ſequente, quæ etiam ſequi dicitur lapis Selenites. Scribitur quoq; de panthera, quòd in pelle ſua circumferat maculam lunæ phaſes exactè repræſentantem.

Si panis è furno extractus cultro dividatur, panes reliqui in furno læduntur, cortéxq; à medulla recedit. Obſervatum eſt etiam, ſi quis furnum conſcendat, vel quacunq; ratione percutiat, quando panes in eo pinſuntur, idem accidere.

Gallinâ ovis incubante, ſi in ijsdem ædibus ovum igne aſſetur, intereunt pulli excluſioni vicini.

Carnes cervorum & damarum quamvis optimè conditæ, fætent, quando ejus ſpeciei animalia luxuriantur & libidinantur.

Naſus factitius computreſcit poſt ejus obitum, ex cujus humero exciſus eſt.

Digitized by Google

Si felem maſculum quis occidat, fæmellâ quæ ex ipſo concepit prægnante, mox illa abortum patitur, & catelli mortui eduntur. Idem contingit in ovibus, aſinis, vaccis, ſuibus; Unde Laniones verrem nunquam occidunt ſcrophâ parturiente.

Pereunt etiam plantæ, ſi ramaſculi earum igni lento admoveantur, vel tumbis mortuorum imponantur, quod in roſmarino maximè obſervatum eſt.

Matrona quædam Lipſiæ tres filios in Matrimonio enixa eſt, cum quibus ſingulis dens unus ipſi accrevit, morientibus illis, ſinguli dentes eidem pariter exciderunt.

Neſcio an etiam Sympathiæ ſit accenſendum, quòd in quodam Galliæ Monaſterio, Maurilio dicto, tot vivant Monachi, quot in ſtagno vicino piſces reperiuntur. Ægrotante aliquo Monacho ſupernatat piſcis quispiam infirmus, idémq; fratri morituro præmoritur.

Expertum eſt, ſi conſangvineis procul diſſitis aliquid triſte contingat, id quâdam cordis gravitate & anxietate, nec non aliquâ corporis alteratione nobis prodi, & uno ex familia peſte correpto, luem per omnes, quamvis à ſe remotos, interdum ſerpere.

Obſervatum fuit etiam aliquoties, ad mortem conſangvineorum ſpatioſiſſimo intervallo diſtantium, ſangvinem in quibusdam ita fuiſſe commotum, ut etiam aliquot guttulæ, citra aliam evidentem cauſam, de naribus ſubitò proſilierint.

Spiritus ſangvinis in vitro ſervatus, monſtrat valetudinem ejus, à quo detractus eſt ſangvis, quantumlibet longè abſentis; nam ſi ægrotat, turbatur, & claritatem amittit.

Huc ſpectat *lampas vitæ & mortis*, quam quidam præparare docet ex humano ſangvine deſtillato, & debitè purificato, quem ait non ſecus ac oleum nutrire flammam; & ſi lychnus incombuſtibilis eidem adhibeatur, tamdiu ardere, quoad vixerit homo, ex cujus ſangvine præparata eſt lampas; extingvi autem eodem temporis puncto, quo ipſe moritur. Ejusdem lampadis flammam luculentam, elevatam, tranquillam & immotam, ait indicare bonam hominis conſtitutionem; Sin verò flamma variè moveatur, aut ſcintillet, ſi depreſſior ſit, aut nubiloſa & torpida, iræ, anxietatis, triſtitiæ, aut infirmitatis eſſe indicium.

Sunt qui carnem ex brachio, vel aliunde ſibi mutuò dant, & arte chirurgicâ inſerunt, certis deinde carunculæ illius puncturis, quas alter,

de

de quo deprompta eſt, quantumlibet diſtans ſentire dicitur, cordium arcana ſibi mutuò pandunt.

Huc etiam pertinere videtur aqua, quam nonnulli divinam appellant, ob mirabiles ejus virtutes, & ſic conficiunt: Accipiunt totum cadaver hominis, morte violentâ perempti, qui ſanus antea fuerit, ejus carnem cum oſſibus & viſceribus in fruſtula minutiſſima ſecant, & omnia quàm optimè inter ſe invicem permiſcent, poſtea per alembicum aquam inde proliciunt, eandémq; rectificant. Hæc aqua, præter alias in medicina virtutes dicitur de vita vel morte infirmi certum ferre judicium. Si videlicet tres vel novem guttæ ſangvinis ab ægro aliquo extracti, uni drachmæ circiter illius aquæ imponantur, & igni lento admoveantur. Si ſangvis & aqua invicem commiſcentur, ſignum eſt vitæ; ſi manſerint incommixta, mortis imminentis eſt indicium. In defectu ſangvinis, ſimiliter procedunt, majori tamen doſi, cum urina, ſudore, ſanie, aliiſq; corporis excrementis.

IV. Contingit frequenter quòd de nobis cogitantes, & fixè nos intuentes, velut admoniti reſpiciamus; videntes alium oſcitantem, oſcitemus; ridentem, aut dolentem, rideamus aut doleamus.

Cutis humani capitis cum ſuis capillis viventi abſecta, ſiccata, & in loco aliquo clauſo diligenter aſſervata, caneſcente homine, à quo deſumpta eſt, canos exhibet, & calveſcente, calveſcit.

Pellis vitulo marino detractæ pili, accedente maris æſtu eriguntur & rigeſcunt, recedente flacceſcunt.

Teſtacea ferè omnia extra mare quamdiu vivunt, accedente maris æſtu hiant, eodem abſcedente clauduntur.

Adeps urſinus in pyxide ſervatus augetur hyeme, dum urſi in ſuis latibulis pingveſcunt.

Terra ex Nilo deſumpta, exiccata, & diligenter aſſervata, toto anni tempore nihil in pondere mutatur usq; ad diem 17. Junij, cùm ſolito fit gravior, quo tempore Nilus exundat.

Notatum eſt aquam in vaſis æneis aut vitreis aſſervatam notabili incremento attolli, dum nubes in pluviam colliguntur.

Humores in omnibus ſublunaribus, exceptis cœpis & allijs lunâ creſcente augentur, decreſcente deficiunt. Maris etiam æſtus lunæ incrementis & decrementis regulantur.

Selenites lapis, ut ſupra fuit inſinuatum, lunæ imaginationes ſequitur.

Digitized by Google

tur. Talis fortè fuit gemma Leonis X. quæ ut ſcribitur, cum luna creſcebat, & decreſcebat, cujus lumen & colorem æmulabatur.

Datur & Helites gemma ſolaris, cujusmodi fuit illa in manu Clementis VII. Papæ, auream habens maculam, quæ juxta ſolis motum ſingulis diebus oriens & occidens circumagebatur.

Dantur quædam gemmæ conjuges mas & fæmina, moto mare, ſimiliter movetur & fæmina, quamvis longè diſtans, unde illarum ope amici procul diſtantes invicem colloqui poſſunt.

Pulſatâ unâ chordâ, ſonat altera ipſi concordans & æquitenſa, imò & octava & quinta. Fiſtulæ quoq; ac tubæ chordas ſimili tono gaudentes ſonare faciunt. Sic qui alios canere audiunt, canunt etiam ipſi non cogitantes.

Si quinq; ſcyphi vitrei diverſis liquoribus pleni, ut cremato, vino, cereviſiâ, oleo, aquâ, ejusdem magnitudinis & capacitatis prope ſe invicem ponantur, rasâ unius ſuperficie in ora ſuperiori, usq; dum tinnitum edat, omnes humores concitantur, magìs verò ſubtiliores. Ad hunc fortaſſe modum animi noſtri per Muſicam commoventur.

Notæ ſunt quarundam partium in corpore humano ſympathiæ, ob quas unâ parte affectâ, altera compatitur, & per conſenſum ægrotat. Sic ventriculus cum corde, cor cum digito annulari, ſpecialem dicitur habere ſympathiam. Similiter cerebrum cum ventriculo & pedibus tametſi remotiſſimis; Hinc pedum frigefactio nocet capiti, & pedum lotio cum aquis ſomniferis ſomnum procurat. Nec tantùm caput, ſed etiam pectus pedibus conſentit. Experimentum hujus conſensûs ſic capere poteris. Curaturus tuſſim vel raucedinem quantumvis diuturnam & moleſtam, accipe duo vel tria capitella de allio, mundata tere, & cum porci pingvedine ad ignem liquefacta in formam ungventi redige; veſperi antequam eas cubitum, pedes & plantas præcipuè, ad ignem quàm optimè calefacito, & prædicto ungvento perunctos pannis calefactis circumligato, deprehendes manè omnem abſceſſiſſe raucedinem. V.

Experimur oculo uno dolente, etiam alterum dolore corripi. Et ſæpe fit, ut ſurgente à dextris puſtulâ, ſimilis in parte ſiniſtra excitetur. Inter frontem & pectus mirabilis conſenſio à quibusdam obſervata eſt. Si quis nævum in fronte habeat, ſimilem ordinariè habet in pectore vel dorſo. Similem quoad maculas ſympathiam dicuntur habere oculi cùm axillis, aures cum brachijs, brachia cum cruribus. Miram etiam

Digitized by Google

dicuntur habere connexionem labia oris cum labijs uteri. Huc etiam ſpectat aurium ſympathia cum dentibus. Sunt enim quibus ad ſtridorem cultri, ad limationem ferri, & ſericarum veſtium ſibilos dolent dentes. Imò etiam aliqui ad ſolum rei acidæ aſpectum dentium ſtupore afficiuntur.

VI. Non debent hîc ſilentio præteriri Sympathiæ prolis cum Matre. Inprimis cum ejus mamillis, quæ ſi duræ fuerint, fætus bene valet in utero, ſi molleſcant, infirmatur. Maſculi placantur faciliùs mammâ dextrâ quàm ſiniſtrâ, quia dextram in utero partem tenuerunt. E duobus gemellis in lucem editis, unus dextram, non ſiniſtram, alter ſiniſtram non dextram ad ſugendum arripit. Taceo hîc Sympathiam cum alijs membris corporis materni, unde multis ex ſignis colligi poteſt prolis in utero conceptus aut geſtatio.

Huc etiam ſpectat, quòd quidquid edulij abhorret mulier tempore geſtationis aut conceptionis, illud idem fætus abhorreat toto vitæ tempore.

Mirabilior eſt illa ſympathia, quam habet fætus cùm imaginatione materna, ob quam admirandæ ac ſubitæ in ipſum aliquando fiunt impreſſiones. Sic vulnere thoraci Matris inflicto, viſus eſt prolis thorax vulneratus, etſi gladius illum non tetigerit.

Quidam ſtricto gladio Matris fronti minabatur, & infans in utero latens vulnus in fronte accepit, atq; ex nimio ſangvinis fluxu interijt.

Simile quid narrat Sennertus de alia gravida muliere, quæ cùm duorum monomachiam vidiſſet, atq; alterum ab altero transfodi aſpexiſſet, vehementer perterrita, digitis oculorum palpebras contigit, & paulò pòſt mortuum puellum in lucem edidit, cui caput erat transfoſſum. Miram vim habet ille certarum partium contactus, terriculoſæ alicui conjunctus imaginationi. Novi ego Religioſum Ordinis noſtri, qui ſubitâ inviſæ cujusdam rei apprehenſione correptus, cùm caput palmâ extenſâ ſupernè contigiſſet, quinq; digitorum veſtigia eidem impreſſit, capillis quos tetigerat ſubitò de nigris in canos mutatis.

Mirabiliora longè ſunt illa exempla, quæ proprijs ſe oculis hauſiſſe ait Helmontius, & ſequentibus verbis deſcribit: *Sartoris uxor Mechliniæ, præ foribus vidit in conflictu quendam manum amittere, ſtatim perculſa horrore peperit filiam unâ manu, altero autem cruentóq; brachio extinctam, quòd manus ejus non reperiretur, & hæmorragia infantem inter-*

Cap. de Injectis materialibus.

interimeret. Uxor Marci de Vogeler Mercatoris Antverpienſis, Anno 1592. videns militem mendicantem, cui pila ferrea, in obſidione Oſtendana dextrum brachium abſtulerat, illudq; adhuc cruentum circumferebat, mox abinde filiam peperit orbam brachio, & quidem dextro, cujus cruentus adhuc humerus per chirurgum ſolidari debuit. Nuſpiam reperibile fuit brachium dextrum, nec oſſa, nec ulla apparuit putrilago, in quam brachium contabuiſſet parvâ horulâ. Attamen nondum conſpecto milite fœtus bina habebat brachia, nec potuit brachium avulſum annihilari; ergo clauſo utero ablatum eſt brachium? Certè non quadrant triviales rationes in tanto portento, aut paradoxo. Subdit deinde aliam hiſtoriam: *Uxor cujusdam Mercatoris Antverpiæ, ut audivit quòd uno manè decapitarentur tredecim, ſtatuit ſpectare detruncationes. Aſcendit ergo cubiculum familiaris ſibi viduæ in foro morantis, viſóq; ſpectaculo ſtatim illam adorſus eſt dolor parturientis, peperítq; maturum infantem cruento collo, cujus caput nusquam apparuit:* Hæc ille.

Unum hìc adhuc exemplum adijciam, ex quo mirabilis planè ſympathia corporis materni cum corpore fætûs elucet. Videbat fœmina quædam prægnans Æthiopem inopinatò accedentem, & exhorreſcebat tam inexpectato acceſſu, ut animi ferè deliquium pateretur. Ex adſtantibus unus, quòd inſignem imaginationis vim probè perſpectam haberet, prudenter metuebat, ne fætus aliquando edendus nigrâ cute veſtitus prodiret, author itaq; erat adſtantibus, ut lavarent fœminam totam, ſi fortè impreſſa fætui Idæa, ſuperveniente aliâ deleri poſſet. Lavatur fœmina, ſecuráq; redditur, nullum jam poſt lotionem nigrorem in fætu obſervatum iri. Peracto geſtationis tempore fætum enixa eſt candidum quidem, aſt nihilominus aliquot in locis impreſſi ſibi nigroris veſtigia oſtendentem. Obſervabantur enim omnia adhuc loca nigredine imbuta, quo diligens lavantis manus non pertigerat; interſtitia nempe digitorum, manuum æquè ac pedum, ingvinis, ac præter hæc unus in dorſo locus, cæteræ partes omnes omni nævo liberæ videbantur. Plura exempla ſimilium maternarum impreſſionum hìc prætereo.

Nota eſt pica mulierum, quâ etiam interdum laborant non prægnantes. Appetunt ligna, vermes, lanam, ſtupas, cretam, ſalem, gypſum, calcem, arenam, cineres, crudas carnes etiam humanas. Legimus quandam mulierem hoc appetitu adactam, maritum ſuum occidiſſe, & carnes illius voràſſe. Quod ſi res, quas appetunt, illis denegentur,

Digitized by Google

gentur, patiuntur abortum, vel aliud grave malum fœtus incurrit. Cujus rei exemplum extat apud Doctorem Marci, quod Pragæ contigiſſe narrat: Mercenaria quædam mulier uterum gerens menſæq́; accumbens, avidiùs comedebat de capite carpionis; accedens coqua, quòd hanc partem ſibi deſtinârat, graviter increpat fœminam, quæ pudore ſuffuſa in patinam rejecit ambeſum piſcem. Et quamvis ab adſtantibus fœminam uterum gerere cogitantibus, ad caput carpionis comedendum poſtea invitaretur; pudor tamen doloríſq; acerbitas ipſam de menſa ſurgere fecerunt; Surrexit ergo incœnata continuas lacrymas fundens, cubitóq; capiti admoto (utì mœſti ſolent) nihil niſi piſcem illum meditabatur, infeliciſſimo eventu; peperit námq; infantem, cujus caput non prorſus humanum, ſed ex dimidio piſcem referebat, illâ videlicet parte, quæ cubito matris fuerat compreſſa, ita ut ipſum quoq; os in duo ſemiora, ínq; partes humano ori, & quale carpioni eſt, aſſimiles divideretur; quin & color Cyaneus, & ſquamarum ſimilitudo eidem ineſſent.

VII. Morſi à Phalangijs ac Tarantulis, poſt curationem morsûs aliquam tamen quotannis patiuntur recidivam. Hyeme quidem appropinquante bene habent, dum animalia illa frigore torpeſcunt; redeunte autem æſtate, dum venenum in illis animalibus incipit referveſcere, eodem iterum malo nonnihil corripiuntur, & ita per ſingulos annos, donec araneus ille, à quo læſi ſunt, moriatur.

In Anglia, ubi valde furioſi ſunt canes, & facilè in rabiem aguntur, ſi aliquis à cane demorſus fuerit, ſtatim canis ſolet occidi; quòd ſi enim poſt vulnus inflictum rabie corripiatur, etiam ille qui ante rabiem ab eo fuit demorſus, malignitate inficitur.

Multi morbo Gallico, aliíſq; contagioſis morbis correpti ſunt, qui jacuerunt in mundis ab omni contagione pulvinaribus, ſi poſt illorum diſceſſum, in eadem adhuc calentia ſe alius poſuit, contagioſo aliquo morbo infectus.

Dicitur equus claudicare, ſi in recens ipſius veſtigium clavus immittatur. Homo quoq; veſicæ dolorem pati, ſi in terram urinâ ipſius conſperſam & adhuc calentem acus infigatur.

Si excrementa recentia canis, vel etiam hominis, in ignem ſæpe conijciantur, vel carbonibus vivis operiantur, aut baculus ferreus ignitus illis infigatur, & hoc frequenter repetatur, cani vel homini anus urente ſcabie inficitur, exulceratur, & excoriatur, animal febre corripitur, ac tandem

Digitized by Google

tandem etiam, ſi id repetitis vicibus cum alijs excrementis iteretur, omnino moritur.

Sunt aliqui nebulones, qui vinum aduſtum cum ſulphure aut pipere ſtercori calenti ſuperfundunt, & dyſenteriam inferunt illi qui excrevit. Sunt qui eidem veſicatorium imponunt,& inteſtina corrodi faciunt. Alij piſa recens frixa injiciunt, & tot in poſteriori corporis parte puſtulas excitant, quot piſa fuerunt. Huc etiam ſpectat quòd mingens ad ſylveſtrem urticam urinæ ardorem contrahat.

Emplaſtra, aut petiæ vulnerum, ſive ulcerum purulentæ, ſi putreſcant, parti affectæ malum & corruptionem inferunt.

Sangvis per venæ ſectionem emiſſus in fluvium proijci non immeritò ſolet; ſi enim putredine corrumpatur, vel ab aliquo animali abſorbeatur, minuto ingens malum creari poteſt. Vulgò notum eſt, quòd aceti aut vini portiuncula in fimum effuſa,reliquum in vaſe acetum aut vinum faciat corrumpi.

Fœminæ vel vaccæ lac, ſi in prunas ardentes emulgeatur vel effundatur, facit ubera ejus ſterileſcere, inflammari, & exulcerari. Unde cavent mulierculæ ne vel caſu in ignem incidat, quod ſi factum fuerit, illico ſalem deſuper proijciunt, & ſic animal à nocumento præſervant. Similiter ſecundinas poſt partum ſolent comburere, aut proijcere in profluentem; ſi enim frigido aëri diu maneant expoſitæ, vel ad loca putrida proijciantur, maximum inde damnum enixæ contrahunt; uti etiam, ſi à radijs lunæ tangantur, à quibus etiam infantum linteamina nutrices cuſtodiunt, alioquin infantes grave valetudinis periculum incurrunt.

Ut nutrices ſibi lac multiplicent, cibum vel bolum à fœmina lacte plena comeſtum ſeu demorſum manducant, & occultâ quadam vi, ubera ipſarum lacte replentur.

Pulveris Sympathetici vis & efficacia ubiq; jam ſatis eſt decantata. VIII.
Curantur per illum vulnera & ulcera, maximis etiam locorum ſpatijs diſtantia, non modò partium externarum, ſed etiam internarum, ad quas nulla interdum vis medicamenti alterius valet pertingere, quantumcunq; etiam ſint periculoſa, & vulgò incurabilia cenſeantur, qualia ſunt pericardij, tenuium inteſtinorum, veſicæ, &c.

Eſt autem hujus pulveris ſympathetici ſequens uſus: Immerge vulneri vel ulceri linteum aliquod, vel pannum, aut etiam lignum admove, & ſangvine aut pure quàm maximè potes, imbue atq; humecta, hinc

Digitized by Google

pulvere ſympathetico aſperge, in locum aliquem temperatum colloca, & pannis vel linteis frequentiùs mutandis obvolve, ſerva in loco quocunq; libuerit, meliùs tamen eſt, ſi in propinquiori aſſervetur. Vulnus tepido ſolùm vino abluatur, mundis cum pannis debitè colligatum ſervetur, & vino vel urinâ patientis quotidie eluatur. Interim patiens in loco temperato commoretur, uti & linteum aſperſum, cum pannis vulneri ſuperimpoſitis; ſi tamen calida ſit vulneris intemperies, linteum in frigido ſervetur; ſi frigida, in calido; ſimilem enim temperiem vel intemperiem parti affectæ inducit. Quod ſi fractura vel luxatio vulneri ſit conjuncta, oſſa priùs debitè conjungi atq; connecti debent.

Poteſt etiam pulvis in aqua diſſolvi, & linteum pure vel ſangvine madefactum in illam imponi, loco temperato conſervandum. Si lubet ſympathiam ſolvere, in profluentem aquam totum conijciatur. Eodem pulvere excrementis aſperſo dyſenteria curatur. Item ſputum ſangvinis, vel profluvium ejus ex naribus, ſi ſangvini ut dictum eſt, ſive in ſicca, ſive in liquida forma adhibeatur. Linteum autem quo ſangvis excipitur, præſtat non eſſe lotum. In morbis etiam quibuscunq; internis multùm valere dicitur, ſi in urinam patientis conijciatur. Conficitur autem pulvis ex ſolo vitriolo, poſt punctum æſtivi ſolſtitij, ad ſolares radios per menſem calcinato, quem ferro tangere nonnulli prohibent.

A pulvere ſympathetico tranſeo ad ungventum ſympatheticum, quod telo, quo quis vulneratus eſt adhibetur, aut lignello, ſangvine vel pure vulneris imbuto. Sufficit verò illud, niſi ſit ingens, ſecundo vel tertio quovis die perungere, usq; ad plenam curationem. Imò poteſt etiam telum vel paxillus pure vel ſangvine imbutus in ungventum immergi, modò ſemper in loco temperato, utì & ipſum vulnus conſervetur. Aliqui etiam ad ſedandos dolores dentium eodem utuntur: dentem dolentem tamdiu ſcalpello compungunt, donec ſangvinem emittat, & ſcalpellum poſt ſangvinis exiccationem ungvento immittunt. Conficitur verò ungventum hoc ſympatheticum ſeu vulnerarium, ex muſci de cranio hominis diu ſuſpenſi, vel oſſium ejusdem, item axungiæ humanæ, ſingulorum uncijs duabus; Mumiæ, ſangvinis humani, boli armeni, ſing: uncia una; olei lini uncijs duabus. Hæc omnia teruntur in mortario, donec in ungventum ſubtile redigantur.

Alij addunt oleum roſarum, axungiam cervi, apri, caſtoris, lumbricos, hæmatiten, adipem urſinum, ſantala, vitriolum, therebinthinam,

radicem

Digitized by Google

radicem conſolidæ. Alij quodcunq; ungventum ſanativum pro cura Sympathetica putant valere; nam experientiâ compertum eſt, vulnera ſolis inſtrumentis quibus inflicta ſunt, in lardum infixis, vel eo perunctis, ſinè omni dolore ac inflammatione, feliciter conſolidari. Sicut etiam è contra expertum eſt, ſi talia inſtrumenta veneno inficiantur, malignitatem vulneribus communicari. Tranſeo nunc ad alias curationes ſympatheticas.

Omnes morbi ex humano corpore in alia animalia ſequenti remedio transplantantur: pars ſuillæ carnis coquitur in urina patientis usq; ad liquoris conſumptionem, quod cùm ſecundò vel tertiò factum fuerit, coctum carnis fruſtum cani vel porco vorandum objicitur. IX.

Icterici, cachectici, hydropici, & pluribus alijs morbis laborantes curantur, ſi ſangvinem illis ex mediana extrahas, ovi gallinacei teſtæ includas, & gallinæ alicui per quatuordecim dies ſupponas, eidémq; famelicæ, vel cani devorandum exhibeas.

Pellitur etiam Icteritia, ſi urina infirmi, die quo emiſſa eſt, formicarum acervo ſuperfundatur, vel radix Thamariſci urinæ patientis imponatur, & deinde comburatur. Sunt qui contra eundem Regium morbum ſequenti remedio utuntur: Herbam Cichorij matutino tempore cum radice illæſa extrahunt, redditâ in ſcrobem urinâ plantam reponunt, & terrâ debitè cooperiunt. Alij veſicam toties quoties urget neceſſitas in linteum complicatum exonerant, illúdq; in aëre ſuſpenſum reſiccari ſemper permittunt, usq; dum omnem è corpore flavedinem extrahat.

Si dyſentericus puſillum ceſpitem in vireto quopiam effodiat, & in foſſulam inteſtinorum fæces excernat, cáſq; viriditate ceſpitis introrſum verſâ obtegat, à morbo liberatur.

Pleriq; morbi, præſertim verò tertianæ febres curantur, ſi reſciſſi ungves ex manibus pedibúsq; infirmorum alligentur piſci vel cancro vivo, & in aquam fluviatilem vel mare ſimul demergantur. Alij eosdem ungves vel etiam capillos ex diverſis corporis partibus hinc inde abraſos ovo includunt, illúdq; poſt coctionem avibus devorandum objiciunt. Ad vires corporis recuperandas, eosdem ungves & capillos ceraſi radici inciſæ imponunt, & vulnus fimo cooperiunt. Ferunt etiam nimios menſium fluxus cohiberi, ſi pannus ſangvine imbutus, ejusdem ceraſi radicibus in cortice apertis indatur, & debitè contegatur.

Strumæ,

Digitized by Google

Strumæ, aliiq; tumores abolentur, ſi pars affecta affricetur ad manum cadaveris humani; ſenſim enim poſtea tumores evaneſcunt, prout ſenſim cadaver putreſcit, quod hyeme tardiùs, æſtate citiùs contingit.

Verrucas quidam ſinè dolore abigunt, lardi pelle illas egregiè perfricando, quam poſtmodum in terram defodiunt, vel in feneſtra meridiem ſpectante ſuſpendunt; illâ putreſcente, etiam verrucæ pereunt. Alij caput angvillæ ſangvinolentum adhibent vice lardi, illúdq; poſt verrucarum contactum, in terram defodiunt. Sunt qui ad idem utuntur pulpâ cujuscunq; pomi, quâ deinde putreſcente, verrucæ pariter evaneſcunt.

Hæmorrhoides radice tuberosâ chelidoniæ minoris attactæ ſiccantur, ſi illa ſiccetur, corrumpuntur ſi illa corrumpatur. Unde in camino ſuſpendi & ſiccari ſolet. Thapſus quoq; barbatus eaſdem curare dicitur, ſi poſtquam illis fuerit applicatus, in terram ſepeliatur.

Scyrrhum lienis ita quidam diſſolvunt: Urinam trium vel quinq; noctium ab ægro redditam ſingulis auroris cum ſufficienti quantitate cinerum commiſcent, totúmq; illud mixtum ſolaribus radijs quotidie ſiccandum exponunt; exiccatione peractâ, maſſam reliquam igni domeſtico adhibent, & paulatim ex ſe diſſolvi permittunt. Maſſæ diſſolutione perfectâ, etiam ſcyrrhus diſſolutus eſt. Alij capræ lienem per unum diem alligant ſupra lienem infirmi, die ſequenti deponunt, & penes fornacem vel ad ſolem ſuſpendunt, quantùm ille per calorem exiccatur, in tantùm credunt lienem patientis diminui.

Hydropici detumeſcunt, ſi veſica bubula ægrotantium lotiore pleatur, in furnum fumantem aliquamdiu ſuſpendatur, deinde lotium effundatur, & veſica in cloacam proijciatur.

Ad febrem expertum ſcribitur eſſe remedium, ſi ovum in urina ægri inſtante paroxiſmo ebulliat, donec omnis humiditas ſit abſumpta, deinde idem excorticatum in cumulo formicarum ſepeliatur; quàm citò à formicis conſumitur, tam citò febris ceſſat. Alij ad febrem abigendam cor eximunt viventi Lucio, illud crudum devorant, & Lucium denuo in fluentem aquam conijciunt.

Morbus gallicus, cancer, ſimileſq; morbi perſanantur, ſi linteum Mercurio illitum corpori infecto applicetur, & poſtea in terram profundè defodiatur.

Scorbutici

Digitized by Google

Scorbutici curantur, ſi ramulo, ſeu paxillo ſalicis dentes egregiè confricent & compungant, deinde paxillum fumo camini exponant, cum ejus exiccatione ſanantur dentes.

Dentium dolorem multi curant ſequenti medio: pergunt ad juvenem ſalicem, & in aliqua ejus parte corticem à ſummo usq; deorſum abſcindunt. Ex medio lignellum, ſecundùm longitudinem execant, quo affectam gingivam compungunt, & ſangvine tinctum ſiccari permittunt, deinde ad locum ſuum reponunt, corticem abſciſſum ſuperinducunt, & limo vulnus obligant. Alij idem faciunt in Sambuco. Alij lignellum quodcunq; dentium cruore tinctum, vel radicem prunellæ denti dolenti affricatam, in quercum vireſcentem, & ad medullam usq; terebratam imponunt, cuneo deinde aliquo foramen claudunt, & fimo vaccino vulnus obtegunt. Volunt autem foramen in arbore fieri occidentem verſùs, & patientem ad locum illum non ampliùs accedere. Curatur etiam atrophia, membrorum ſangvine, qui per membri affecti puncturam debet elici, arborum truncis immiſſo.

Sunt qui verno tempore, arboribus ſuccum recipientibus, pilos podagricorum ex pedibus, vel chiragricorum ex manibus deraſos accipiunt, junctisq; manuum vel pedum extremis ungvibus facta in arboribus foramina opplent. Sanantur hoc modo & præſervantur ægri à doloribus, modò ad illa loca nunquam deinceps accedant.

Alij ad tollendam podagram, vivæ teſtudini maſculæ, aliquot diebus ante novilunium crura omnia amputant, & in ſacculos anguſtos ex pelle hædina confectos imponunt, eáq; membris alligant, ita ut crus dextrum teſtudinis quod eſt poſterius, dextro cruri ægrotantis reſpondeat, ſiniſtrum ſiniſtro. Item anterius crus dextrum brachio dextro applicetur, ſiniſtrum ſiniſtro. Deinde cùm putreſcere cœperint, in terram infodiunt.

Ad ulcera & vulnera, tam hominum quàm jumentorum ſananda, imò & dentium, aliarúmq; partium dolores curandos, commendatur perſicaria maculoſa, ſi illam aquâ fluminis madentem, & inter duos lapides contuſam, ſuper partem affectam ſinas incaleſcere, deinde in terra vel fimo ſepelias. Cùm putruerit, etiam malum ſanabitur. Interim ulcus aut vulnus fontanâ tantùm aquâ quotidie eſt eluendum. Idem attribuitur conſolidæ, ſerpentariæ, & pluribus alijs herbis. Hæc de morborum transplantatione, ſeu ſympathetica curatione dicta ſufficiant.

Quibus etiam accenſeri poteſt, quòd percuſſor percuſſionis aut læſionis pœnitens dolorem in percuſſo levet, ſi ſtatim in mediam ſuam manum, quá percuſſit, expuat.

X. Huc etiam referri poteſt amor & amicitia, ſive naturalis conjunctio, quæ non tantùm inter animalia, cæteráq; viventia, ſed etiam inter inanimata reperitur.

Vitis gaudet ulmo aſſociari. Lupini juxta ſati vitem reddunt meliorem. Cucumeres, alni, & ſalices amant aquam. Olea viti amica. Aſparagus delectatur arundinetis. Lilia roſis adplantata meliùs creſcunt, & redolent fragrantiùs. Similiter roſæ allio radicibus adplantato. Coralla ſinapi ſeminibus obruta pulchriora fiunt, & rubicundiora. Dicuntur etiam in nativo colore diu perſiſtere, ſi cum purpura, aliiſq; rebus ejusdem coloris reponantur. Camphora piper diligit, in auras alioquin avolatura, niſi grana piperis eidem apponantur. Alij apponunt illi ſemina lini, aut milij. Nymphæa ranunculi commercio gaudet. Pulegium diligit aſparagos. Polypodium accreſcit quercui, Epithymum thymo. Ruta & ficus ſibi invicem afficiuntur. Mas & fœmina in ſpecie palmarum ſe tam arcto proſequuntur amore, ut cum ramus unius ramum alterius tetigerit, ſe in mutuum amplexum complicent, nec fructum ferat fœmina ſinè maſculo.

Similes amicitias quàmplurimas habemus inter animalia, quæ aliquando ſunt mutuæ ac reciprocæ, aliquando non. Delphini, lacertæ, elephanti, canes, hirundines & philomelæ, amant hominem. Apiculæ diligunt virgines incorruptas & menſtruo nondum maculatas, quas etiam aculeo ſuo non lædunt, niſi fuerint ab ijs graviter offenſæ. Sargi piſces diligunt capram; Attagenes & perdices cervum; Luſcinia pavonem; Capræ perdices; Anas, capo, & coturnix, bufonem. Cornices ſturnorum gregibus ſe aſſociant. Vulpes cum ſerpente familiariter degit. Equus cum ariete, picus cum vulpe, corvus cum lupo. Teſtudo amat cicutam, urſus mandragoram, apri hederam, catti nepetam & valerianam, cervus dictamnum, ſerpentes fœniculum, hirundines chelidoniam, coturnices veratrum, columbæ verbenam. In ſpecie humana ex naturali mentis propenſione, unus uni quàm alteri familiarior.

XI. Huc etiam pertinent medicamenta, quæ occultâ quadam naturæ familiaritate certas corporis partes adjuvant. Ita capiti non tantùm manifeſtâ, ſed etiam occultâ quadam ſubſtantiæ proprietate conducunt:

Sal-

Salvia, bethonica, roſmarinus, majorana, ſerpillum, flores liliorum convallium, ſtæchas, nicotiana, thymus, chamæpitis, ſpica, lavendula, flores tiliæ, calendulæ, cardamomum, cubebæ, macis, ſuccinum, benzoinum, Xilaloë, Ambra, Moſchus, Caſtoreum, & alia cephalica, inter quæ palmam ferè tenent omnia lunaria, ſeu ex argento præparata. Nec hîc omittenda eſt herba Thee, ingenij panacea, cujus decoctum caput mirabiliter ſerenat, & intellectum exacuit, utì & ſuccolatæ potio.

Ophthalmica, ſeu oculis grata ſunt: fœniculum, verbena, chelidonia, ruta, valeriana, flores albi roſarum, flores cærulei ex cichorio, & conſolida regia.

Pnevmonica, ſive pectori dicatæ ſunt omnes herbæ capillares; Item polypodium, tuſſilago, ſcabioſa, enula, crocus, & omnia ex ſulphure præparata.

Cardiaca, ſive cordi amica ſunt: Meliſſa, baſilicum, grana khermes, mala granata & arantia, ros ſolis, flores boraginis, bugloſſæ, roſarum, violarum, tunicæ, ſantala, cariophylla, cinnamomum, coralla, perlæ, ſmaragdus, aliíq; lapides pretioſi, & omnia ſolaria, ſeu ex auro præparata: qualia ſunt aurum potabile, tinctura ſolis, &c.

Stomachica vocamus abſynthium, mentham, piper, galangam, zinziber, & omnia aromatica, quæ non tantùm calefactivâ, ſed etiam occultâ quadam naturæ vi conferunt ventriculo.

Hepatica ſunt Rhabarbarum, Aloë, fragaria, agrimonia, &c.

Splenetica: Filix, ſcolopendrium, cuſcuta, thamariſcus, epithymus, Cappares, lupulus, fumaria, fraxinus, & omnia martialia.

Artubus dicata ſunt: Verbaſcus, ebulus, Iva arthretica, &c.

Hæc familiaritas in multis ex ſimilitudine colligitur: Sic nux muſcata *caput* repræſentat, item nux Indica, pæonia, ſcillæ radix. *Aures*, aſarum. *Oculos*, flores Euphraſiæ. *Dentes*, ſiliquæ hyoſcyami. *Pulmones*, pulmonaria maculoſa & ſaxosa. *Jecur*, jecoraria. *Cor*, pomum citrinum, acetoſella, fructus anacardi. *Lienem*, lingua cervi. *Inteſtina*, calamus aromaticus, Caſſia fiſtularis. *Veſicam*, fructus Alkekengi. *Genitalia*, ſpecies omnes orchidum. *Uterum*, Cyclaminus, Ariſtolochia rotunda. *Capillos*, Muſcus arborum, capilli Veneris, polytricum, abrotanum, lanugo cydoniorum, herba crinita flore albo, in fluviis creſcens, quæ omnia capillorum defluvio medentur. Faciunt etiam pilos citò creſcere, ea quæ in genere animalium citò naſcuntur, ut XII.

muſcæ, apes, quarum pulvis & cinis ungventis immixtus, barbæ & capillitij germen promovet.

Ità etiam cerebrum cerebro adjuvatur, cor corde, ventriculus ventriculo, pulmo pulmone, articuli oſſibus & articulis. Spiritus cerebri humani cerebrum mirè confortat. Cerebrum perdicis & gallinæ frequenter comeſtum caput roborat, memoriam & ingenium exacuit.

Os de corde cervi, & aqua de corde diſtillata, item cinis pericardij bovini, cor humanum recreat. Ventriculus gallinæ conducit ſtomacho, prout & lupi inteſtinum inteſtinis.

Aqua è pulmonibus vituli diſtillata curat pulmoniacos. Veſica ovilla, ſuilla, vel caprina, crematæ & exhibitæ veſicam confortant, valéntq; ad urinæ incontinentiam. Lixivia ex cineribus oſſium equinorum vel aſininorum conducunt arthriticis.

Oleum ex manibus humanis chiragricos, ex pedibus verò confectum podagricos dolores unctione ſublevat.

Celeberrimum non ità pridem fuit per univerſam Italiam nomen cujusdam Medici, qui ſolo pulvere ex ſingulis corporis humani partibus arte propriâ confecto, omnes affectus contra naturam ſingularum partium radicitus tollebat, & cordi infirmo ex meris cordibus; hepati ex jecinoribus medicinam parabat. Idem quoq; apud Arabes hodie adhuc in uſu eſſe ſcribitur. Hæc de ſympathicis effectibus naturæ dicta ſufficiant.

Cùm vigeat tantus rerum conſenſus in orbe,
Doctorum ingenijs vix tamen ullus ineſt.

CAPUT VII.

Ignorantia noſtra in explicandis magnetiſmis.

I. OMnia in hoc univerſo plena ſunt magnetiſmis. Eſt verò magnetiſmus nihil aliud, quàm vis quædam attractiva, quâ res una aliam determinatæ tantùm ſpeciei ad ſe allicit, & attrahit. Si omnia promiſcuè attrahat, dicitur vis electrica, qualem habent electrum, gagates, ſuccinum, unicornu, & cornu cervi, quæ chartulas, micas, ovorum teſtulas, & fruſtula lignorum attrahunt; Item maſtix,

maſtix, cera ſigillaris, ſulphur, arſenicum, & plurima medicamenta, quæ Medici vocant attrahentia, ut Ariſtolochia, thapſia, dictamnus, fermentum, fimus columbinus, radix arundinis, pyrethrum, Euphorbium, helleborus, quæ non tantùm malas qualitates & humores, ſed etiam ſpicula è corporibus extrahunt.

Mira, & vulgò nota eſt virtus magnetis in ferro attrahendo. Ferreus annulus ad contactum rudis hujus & malè politi lapidis ſurſum attrahitur, hic alium juxta ſe poſitum ſecum elevat, ille tertium, tertius quartum; ità ut aliquando unus magnes duodecim annulos ſurſum trahat, & liceat videre catenam abſq; nexibus, per ſolam lapidis virtutem, in omnes annulos inſenſibiliter manantem. Vide S. Auguſtinum lib: 21. cap: 4. de Civit: Dei, ubi etiam refert, quòd quidam tenuerit magnetem ſub argento, & ferrum ſuper argentum poſuerit. Deinde ſicut ille ſubter lapidem manu movebat, ità ferrum ſupernè motum fuerit, concitatiſſimo curſu ac recurſu, argento intermedio nihil patiente. Nec tantùm metalla, ſed etiam ligna, lapides, oſſa, teſtas, aquam, terram & ignem, vis magnetica intra ſphæram ſuæ activitatis penetrat. II.

Sicut magnes ferrum ad ſe attrahit, ità ipſe viciſſim â polo ſive cæleſti ſive terreſtri trahitur, & certis ſui partibus certas mundi regiones exactè reſpicit, ſi libera ipſi concedatur libratio. Cauſam hujus converſionis polaris nonnulli referunt in montes, qui ſub polo ſunt, ferri & magnetis feraciſſimos, unde & nautæ ibidem naves clavis ligneis compactas dicuntur habere; ferrei namq; è navibus ſcopulos magneticos tranſeuntibus, extraherentur. Quæ vis etſi non deprehendatur in montibus Ilvenſibus juxta populoniam Italiæ, è quibus omnes ferè noſtri magnetes effodiuntur, fortaſſe tamen activitas illorum montium non eſt tanta, quanta ſeptentrionalium.

Quin etiam unus magnes è minera effoſſus alium ad ſe magnetem attrahit, ſecundùm certam tamen partem: Auſtralis enim pars unius lapidis attrahit ad ſe Borealem alterius, repellit Auſtralem; Borealis attrahit Auſtralem, repellit Borealem.

Vim ad polum converſivam etiam habet lingvula, ſeu acus magnete ſemel perfricta, quam etiam per plura ſæcula retinet. Hoc mirum, quòd pars magnetis, quæ eſt Auſtralis, ſi ferrum tetigerit, illud non ad Auſtrum, ſed ad Aquilonem convertat; Borealis quoq; partem attactam non ad Septentrionem, ſed ad Auſtrum inclinet. Cultellus

quoq;, ſi tantùm ſemel magnetem ſuâ cuſpide attigerit, clavículos & acus ad ſe dicitur attrahere. Quin imò bonus quicunq; chalybs æquè ramenta ferri ad ſe attrahit, abſq; ullo affrictu ad magnetem, non ſecus ac ſi fuiſſet affrictus.

Acus ſutoria, ſive ferrum ex una parte cuſpidatum, ex altera obtuſum, ſubtiliter elaboratum, ſemper cuſpidem in auſtrum convertit. Quòd ſi partem obtuſam acuas, & alteram oppoſitam cudendo dilates aut reddas obtuſam, etiam ferrum ſitum ante ſuſceptum ſponte mutabit, ídq; toties, quoties placuerit. Expertum eſt fila ferrea, vel ſtylos ferreos in filo ad æquilibrium pendulos, vel aquis ſuberis beneficio ſupernatantes, extremitates ſuas ad mundi polos convertere. Efficacior redditur vis hæc ad polum converſiva in quocunq; ferro debitè priùs elaborato, ſi illud adhuc candens ſupra lineam meridianam poſitum aliquo tempore ſuper terram jacere permittatur. Quòd ſi denuo candefiat, & in contrario ſitu ſuper terram poſitum frigeſcat, contrariam virtutem in ſuis extremitatibus induit.

Plures ejuſmodi dantur, & quidem longè magìs admirandæ in ferrea corpora magneticæ impreſſiones. Applica Compaſſum cuicunq; ferro, quod uno vel altero anno ſitum tenuit perpendicularem, & nullum contigit magnetem, qualia ſunt paſſim ferramenta longa in ædibus, feneſtras vitreas continentia & firmantia; videbis illud ſupremâ ſui parte poli arctici naturam præſeferre, & obtuſam lingvulæ magneticæ partem attrahere, inferiore autem ſui parte poli antarctici qualitatibus eſſe imbibitum, & eandem lingvulæ partem â ſe repellere, cuſpidatam verò attrahere.

Si ferramenti ſitus mutetur, & illa pars quæ cœlum ante ſpectabat terræ aliquanto tempore permittatur adhærere, etiam virtutem trahendi mutat; nam Auſtralem lingvulæ partem attrahit, ſeptentrionalem quam priùs attrahebat, repellit.

Quòd ſi ferreum tale inſtrumentum per medium liberè ſuſpendatur, aut in aquis quieſcentibus ſuper corticem aut ligneam cymbulam natare permittatur, inferiorem ſui partem quæ videbatur Auſtralis ad Septentrionem vertit, ſuperiorem verò ad Meridiem; non ſecus ac in verſoriis acubus contingit, quarum extremitates polo magnetis Auſtrali attactæ vertuntur ad Boream, Boreali verò attactæ Meridiem ſpectant.

Si ferrum aliquod, nullâ adhuc magneticâ virtute imbutum, eâdem

dem

Digitized by Google

dem quâcunq; ſui extremitate, lingvulæ magneticæ in ſuperiori parte adhibeatur, trahit ad ſe partem lingvulæ Auſtralem; ſi eadem extremitas admoveatur infernè ſub Compaſſo, trahit ad ſe partem ſeptentrionalem. Quo nihil hac in materia mihi videtur mirabilius. Nam in momento, modicâ ſitûs mutatione, nunc Auſtralem, nunc Borealem virtutem ferrum contrahit. Hæc de magnete dicta ſufficiant.

Ut ferrum magnes, ſic virum trahit Agnes. Amoris namq; illicia non ſinè magnetiſmo peraguntur. Eſt herba quædam paſſim obvia, teſte Helmontio, quam ſi quis manu teneat & foveat, donec intepeſcat, mox alterius manum detineat, donec & illa tepeſcat, illum mox amore ſui inflammat. Addit Helmontius ſe id eſſe verum, etiam in cane comprobâſſe, cujus pedem cùm dicto modo detinuiſſet, ille confeſtim eum licèt peregrinum ſecutus eſt, & multis noctibus ad ejus cubiculum, herâ ſuâ, cujus erat, abrenuntiatâ, ejulavit. Quem in finem etiam aliqui panem ſub axillis ſuis aliquamdiu detentum cani vorandum porrigunt, vel os ipſius ſalivâ frequenter conſpuunt. Jam ad alios magnetiſmos tranſeamus. III.

Flores Heliotropij, ſive Solſequij ſolem perpetuò ſequi dicuntur, quamvis ego id verum eſſe cognoverim in ipſis plantarum ſummitatibus, flore adhuc latente, quo cum fuerint gravatæ, impediuntur quò minùs ſe poſt ſolem huc illúcve ampliùs poſſint circumvertere. Eadem proprietas tribuitur tragopogo, cyclamino, convolvulo, chamæleonti, chryſanthemo, lupino, chaltis, tulipis, lilio perſico, loto aliiſq; floribus, præſertim verò cichorii, qui ſolem ità ſequuntur avidè, ut etiam dicantur illum nocte mediâ apud Antipodes meridiantem reſpicere. IV.

Hæc omnia cum ſole circumvertuntur, ſicut ſi ſol magnus quidam magnes foret, omnes lingvulæ magneticæ in ſuis pixidibus cum illo circumverterentur. Simili forſan virtute circumagebatur ſtatua illa à Severino Boëtio Ravennæ facta, quæ vultum toto die ad ſolem convertebat. Circumaguntur etiam cum ſole olea, populus alba, & folia ſalicis, at nonniſi die ſolſtitij.

Mirabile quoddam heliotropium reperitur in Inſulis Quitola, & Mindam, quod non modò diurnum, ſed etiam annuum ſolis motum ſequitur, & tam Auſtrales quàm Boreales parallelos, cum ſole in Auſtralibus vel Borealibus ſignis exiſtente, ad amuſſim deſcribit. Videtur in igneam ſolis naturam vis illa referri debere; nam etiam ignis ſublunaris

helio-

Digitized by Google

heliotropia movendi habet virtutem. Experimentum capere poteris; ſi plantam ſoliſequam caule ſuo orbi ſubereo infigas, & vaſi aquâ pleno imponas, ità ut erecta maneat, & liberè verti queat. Igne poſtea vaſi ſubjecto, planta in gyrum verti incipiet.

V. Ad magnetiſmum quoq; referri poteſt, quòd omnia ſublunaria, præſertim verò oſtreacea, bulboſa & cucumeracea, lunæ incrementa & decrementa ſervent, accreſcendo & decreſcendo. Item pupilla felium, cerebella, & medullæ omnium animalium, & omnia ferè cætera, ſi cœpas cum alliis excipias. Lunam autem plurimùm humoris in aëre cauſare, quem ſublunaria magneticè attrahunt, inde probabis: radios lunares in ſpeculo concavo, vel ſplendida pelvi collige, ubi ſolares urere ſolent, ibi iſti frigefacient, & humectabunt, ità ut etiam manus in lunari lumine lavare poſſis. Relinquitur etiam ſuper pelvim ſubſtantia quædam aquoſa, viſcida, & glutinoſa. Æſtus quoq; maris, utì & nocturnæ lunaticorum in ſomnis obambulationes lunæ magnetiſmo adſcribi fortaſſe poſſunt. Jam â cœleſtibus ad ſublunaria tranſeamus.

VI. Datur herba quædam in Inſulis Bengala & Zeirano, quæ ligna violentiſſimè ad ſe attrahit, ut illa ex hominum manibus extrahere videatur.

Si globus ligneus exactè rotundus demergatur in aquam, ſupernatat illâ parte, quâ dum eſſet in arbore, cœlum aſpexit. Imò etiam quoad cæteras ſui partes ſitum veterem ſervat ad partes univerſi, quem dum creſceret ſervavit. Sunt etiam qui affirmant magnetem è terra extractum, eoſdem polos Auſtro & Aquiloni obvertere, quos in fodina latens obvertebat.

Si in vaſe aquâ pleno ponantur partes ſurculi Alicujus diſſecti fulcris ſubereis ſubnixæ, confluunt extremitatibus, in quibus facta fuit ſectio, vel ſi non ſic confluant, parallelum ad minus ſitum affectant. Sic etiam partes confracti magnetis illum ſitum inter ſe affectant quem in minera habuerunt, & ſuperficies ſeptentrionalis trahit Auſtralem, cui in terra cohæſit.

Datur in Ægypto piſcis, qui Phyſa, ſeu orbis dicitur, & ſemper faciem ad eam partem cœli, dum vivit dirigit, de qua ventus ſpirat. Dicitur eandem retinere proprietatem exiccatus, & in domo ſuſpenſus.

Idem tribuitur hirundini marinæ, quæ non ſolùm viva, ſed etiam ſiccata, & in cubiculo licèt clauſo ſuſpenſa, conſtantiſſimè ſemper ad flan-

Digitized by Google

ſlantem pro tempore ventum, vel regionem, unde ventus imminet, roſtrum ſuum convertit.

Naphta ſeu petroleum trahit ignem. Sic & flamma major flammam minorem. Calor febrilis in viſcerum foco ſuccenſus, partium externarum calorem introrſum vocat, quod idem præſtat ſpiritus vini moderatè ſumptus. In febribus ardentibus applicari ſolet capiti vel pedum plantis raphanus cum ſale, vel chilidonium majus, pulmo arietis, vel columbæ in duas partes diſſectæ. Urtica etiam manuum carpis alligata æſtum febrilem extrahit. Combuſta membra igni admovemus, ut halitus ignei extrahantur. Gelu aduſta, nive operimus. VII.

Si gluten ad fractas quorumcunq; vaſorum terreſtrium, lapideorum, aut vitreorum partes ferruminandas velis conficere, admiſce glutini pulverem ejuſdem materiæ ex qua vas conſtat. Sic & aurifabri aurum vel argentum conjuncturi, ſimilia ſemper metalla ſuæ chryſocollæ admiſcere conſueverunt.

Permitte aquam in conclavi bene clauſo evaporare, ubi nihil ſit quod aquam evaporantem attrahat, aqua per totum conclave parietibus adhærebit. Si verò in aliquo conclavis angulo plenum aquâ vaſculum colloces, omnem ad ſe vaporem derivabit, ità ut nihil poſtea ibidem humectatum deprehendatur.

Mulier quædam urinæ profluvio laborans, nihil aliquot diebus bibens, ſubinde unâ die duodecim urinæ libras excrevit, aquam proculdubio ex aëre per os magneticè attrahendo. Idem ſcribit Cardanus de alio quodam infirmo, qui per ſexaginta dies quotidie triginta ſex urinæ libras reddebat, cùm tamen in cibum & potum ſupra ſeptem libras per diem nunquam abſumeret. Mille igitur & centenas aliquot libras aquæ, inſenſibiliter ex aëre, per id tempus attraxit, cùm ipſum corpus vix centum & quinquaginta libras ponderaret. VIII.

Alnus aquam attrahit, & viciſſim ab aqua attrahitur, unde virgula vel tabella ex alno prodit aquam ſub terra latentem.

Nymphæa in loco arido plantata inclinatur ad vas aquâ plenum juxta poſitum.

Si viperas nuper excluſas pollicis magnitudine recludas in magnam cucurbitam, papyro quàm optimè clauſam, ſed perforatam ut aër ingredi poſſit; ſex, octo, vel decem menſium ſpatio, in prodigioſam magnitudinem excreſcent, alimentum ſibi proprium ex aëre ſugentes. Eodem

dem fortaſſe modo naturaliter contingere poteſt, ut quis dimidio anno, vel diutius, prout aliquando contigiſſe legimus, inediam perferat.

Expoſuit quidam aëri vitriolum, quod aliam vitrioli quantitatem decuplo majorem ab aëre attraxit. Eodem naturæ privilegio ſal petræ puriſſimus gaudere ſcribitur. Tartarus quoq; calcinatus dicitur plus novies aëris ad ſe attrahere, quàm ipſe ponderet, & ſi una illius libra exponatur aëri, decem olei libras ſuppeditare.

Confecit quidam oleum Tartari per deliquium tempore florentium roſarum, quarum flores in eodem cellario fermentationis cauſâ habuit. Oleum inde diſtillans odorem roſarum contraxit, quem poſtea quidem amiſit; ſed altero anno, eodem tempore, & ità per annos duodecim eundem recuperavit; per quod & illa, quæ de ſympathia ſuperiùs dicta ſunt, confirmantur. Huc etiam referri poteſt ſpirituum chymicorum vis extractiva.

Ex ſex libris Mercurij tres vel quatuor unciæ aquæ puræ poſſunt elici, idq; toties quoties Mercurius aëri exponitur.

Colcothar ſub dio relictum novo ſpiritu vitrioli imprægnatur. Ambræ caput mortuum, juxta ſuam eſſentiam poſitum, eandem attrahit.

Si ſpiritum ſalis aut vitrioli, vel balſamum ſulphuris diſtilles, inde aliquid de ſimilibus ſpiritibus recipienti, ne alioquin ſpiritus à capite mortuo attrahantur & revertantur.

Ut Mercurius in Alembicum ſublimetur, qui aliàs inſtar fumi recipientem ſolet ingredi, particulam ejus cucurbitæ capitello illine, & omnis in Alembicum Mercurius congregabitur.

IX. Valde admirabilis eſt vis Mercurij attractiva in auro. Si Mercurium in vaſculum aliquod vitreum immittas, cúmq; manûs unius digito agites, advertes annulum aureum, ſi quem in altera manu habes, albo mercurij colore obductum, etſi nullo modo manum unam alteri admoveris.

Imò quod mirabilius eſt: lamellam auri vel ducatum ore clauſo comprime, poſtea digitum ſaltem pedis in Mercurium immerge, ibíq; modicum retine, reperies aurum in ore, eodem Mercurij colore obductum.

Si virga ex auro ſolido erecta tangat imâ ſui parte contentum in ſubjecto vaſe Mercurium, aſcendit uſq; ad virgæ ſummitatem Mercurius,

Digitized by Google

ſius, nec ſolùm extrinſecus illam tingit, ſed etiam intrinſecus pervadit atq; inficit.

Si in loco quopiam clauſo exponatur vas aureum, & Mercurius igne ſuppoſito evolare in auras permittatur, paulò poſt Mercurius vaſi aureo conſpicitur inhærere.

Si quis in locis, in quibus hydrargyrum elaboratur annulum aureum geſtet, vel lue venereâ infectus, dum mercuriali ungvento perungitur, numum aureum ore detineat, tam annulus, quàm numus inalbatur, veluti argento eſſet obductus.

Hinc aurifabri contra noxium Mercurij fumum, dum vas aliquod inaurant, numum aureum ſolent in os accipere, vel etiam penitus degluti[illegible], qui omnem hydrargyri ſubſtantiam, ore, naribus, auribus, oculis, poris, hauſtam ad ſe prolicit, unde totus argenteus apparet, vel ore exemptus, vel per ſeceſſum emiſſus. Non ſilendum hìc eſt, quòd Mercurius â Magnete aliquoties abſtractus vi ejus impregnetur, ut ſicut hìc ferrum, ità ille aurum trahat, & auri corpus in menſa poſitum motu locali ad ſe tranſire cogat.

Admirandum genus Bruti Sagittatoris novus orbis alit. Animal eſt magnitudine canis mediocris, & ſpinas quibus eſt obſitum, jaculatur in canes perſequentes, quas illi nullo conatu vel induſtriâ poſſunt excutere, donec ſenſim magis magiſq; corpus ſubingrediantur, & viſcera confodiant. X.

Si corio quantumcunq; craſſo ſpicula illa admoveantur, unius noctis ſpatio corium totum inſtar aciculæ manu hominis adactæ perforant. Utuntur illis Indi loco ſanguiſugarum, admovent enim fronti ac temporibus in dolore capitis, ut noxium ſanguinem ebibant. Fæminæ etiam aures ſuas ad inaurium ſuſpenſionem illis perfodiunt. Hæc aculeorum penetratio in nihil veriſimilius, quàm in virtutem magneticam ſangvinis & carnis refundi poteſt.

Cervi angues attrahunt, & bufones muſtelas. Dantur ſerpentes quidam in America hominis craſſitiem exæquantes, ſed duplo longiores, hi cervos attrahunt, & alias feras, atq; animantes, quibus deinde veſcuntur. Plinius etiam narrat de quodam frutice, qui equos quantumlibet invitos ad ſe trahat & abducat.

Si ſupra tabulam ex biſmuto ponas ſuccini fruſtum, & tribus abinde

de

de ſpithamis colloces vitriolum viride, ſtatim vitriolum colorem & acredinem ſenſibiliter amittit.

Purpura & corallium cum alijs rebus ejuſdem coloris, in nativo colore diu perſiſtunt. Rerum rubrarum intuitus commovet ſanguinem: hinc etiam Eupatoris bellatores, ut ſcribitur lib: 1. Machab: cap: 6. oſtenderunt Elephantis ſanguinem uvæ & mori, ad illos in prælium acuendos & exacerbandos. Galenus hæmoptoicos & ſanguinis fluxum undecunq; patientes, prohibet ſanguinem aut rubicundas res aſpicere, ſed ad nigra potiùs & cærulea jubet oculos convertere. E contra præcipit in variolis rubicunda intueri, ut hoc modo foràs proliciantur.

Aureolus avis Icterici flavedinem extrahit, mediante ſolo ſui aſpectu. Solent etiam vivæ Tincæ Ictericorum umbilico & hepati, una poſt alteram imponi, donec moriantur. Sic impoſitæ Icterum extrahunt, & luteum contrahunt colorem. Sic etiam anas viva, retro deplumata & umbilico appoſita, colicos dolores extrahere dicitur.

Aquæ roſarum, & arantiorum nullum vel modicum odorem emittunt, dum roſæ atq; arantia florent.

Radix carlina in Septembri, dum viribus & ſucco pollet, evulſa & geſtata, hominem reddit infatigabilem, vires & robur alteriùs hominis ſimul itinerantis attrahendo. Simile quid allium comeſtum præſtare dicitur.

Corpus hominis ſubmerſi in aquis deliteſcens proditur pane in aquam conjecto, qui ſupra corpus conſiſtit.

Panis ſiligineus adhuc calidus, in aëre de contagione ſuſpecto ſuſpenſus, omnem ejus malignitatem ad ſe attrahit, quam prodit muciditas panis. Hunc ſi cani vel gallinæ comedendum objeceris, non comedet, aut ſi comederit, morietur.

Alij malignitatem ſequenti medio explorant: Infundunt aquam in aliquod vaſculum, cui libram unam vitrioli admiſcent, deinde in illa mixtura ferrum candens extingvunt, & ſic per unum alterúmve diem in aëre permittunt. Si aër eſt venenoſus, oritur cuticula ſuper aquam, eritq; certum malignitatis indicium. Si panem aut carnem in aqua illa maceratam canis devoraverit, illico mortuus concidit. Dicuntur etiam cæpæ in domo vel cubiculo ſuſpenſæ aëris malignitatem attrahere.

Lapis Ætites fœtum humanum ad ſe prolicit; unde ad fœtum in utero continendum, & contra abortum adhiberi ſolet, collo vel brachio

chio applicatus. Ad partum autem facilitandum, interno femori alligatur. Poſt partum verò ſtatim debet amoveri, ne ipſum quoq; uterum detrahat. Trahit etiam fructus arborum. Papinius ſcribit ſe hoc proprijs oculis in ficu expertum; huic enim ſubmiſſo lapide, omnes groſſuli ſponte intra decem horas deciderunt, arbor quoq; deinceps ſterilis permanſit, ſed frondibus ſolito viridioribus luxuriavit.

Saphirus cæruleo colore ſatur, ſi ad peſtiferum anthracem, ſive carbunculum aliquamdiu affrictus fuerit, mox ſi auferatur, non ceſſat venenum ex ægri corpore attrahere, modò id fiat viribus à morbo nondum debellatis. Atreſcit locus poſt contactum, ob arſenicale venenum inde expirans. Id mirum, quòd unius carbunculi attactus ad omnes cæteros ejuſdem corporis carbunculos perſanandos ſufficiat; neq; ſaphirus inde quidquam nocumenti contrahit, & quantò ſæpius venenum aſſuxit, tantò melior & potentior ad idem redditur. XI.

Fruſtum ſuccini lucidum, vel etiam Saphirus, ſi ſeptem pulſibus planetariis affricetur, & collo periapti vice appendatur, eſt luis peſtiferæ amuletum certiſſimum. Sunt autem hi pulſus planetarij: in gutture, carpis manuum, prope pedum malleolos, & ad cordis thronum.

Venenum ab alio veneno attrahitur, hinc multis locis prodeſt animalium venenoſorum copia; Et tempore peſtis araneas in domibus & cubiculis retificantes relinquimus, ut venenum attrahant. Hinc etiam radix Hellebori nigri ſolet inter carnem & pellem inſui jumentis, à vipera demorſis.

Bufones in ſole exiccati & in cubiculo ſuſpenſi, aëris malignitatem attrahunt; ità ut intrà paucos dies aliquando intumeſcant; iidem carbunculis venenatis impoſiti, omne venenum extrahunt, quod etiam præſtat lapis bufonites.

Non debet hîc præteriri mirabilis ille magnetiſmus, non ità pridem in Europa divulgatus. Sunt quidam ſerpentes in India orientali, qui ob formam pilei, quem capite geſtant, pileati appellantur. In his reperiri ſolent lapides, ex quibus contuſis, unà cum cæteris ſerpentis partibus, additâ terrâ ſigillatâ vel melitenſi, Indigenæ lapides artificiales conficiunt. Hujuſmodi lapis ſive naturalis ſive artificialis, appoſitus vulneri à quocunq; venenoſo animali inflicto, protinus inſtar tenaciſſimæ ſanguiſugæ adhæret, donec omni veneno exucto, ſponte decidat, quod lacti impoſitus revomit, albúmq; illius colorem in flavo-viridem com-

Digitized by Google

mutat. Non minorem oſtendit virtutem Buboni peſtifero applicatus.

XII. Quælibet herba ſuccum ex terra ſugit, imò quælibet herbæ pars aliam ſucci portionem ſibi convenientem. Hinc arbores & plantæ ſalubres ſunt vel inſalubres, bene aut malè creſcunt pro regionum diverſitate. Arum Ægyptiis optimum eſt edulium, in noſtris verò regionibus ob acrimoniam vix poteſt guſtari. Braſſica in Ægypto amara miniméq; comeſtibilis, apud nos cibus eſt optimus. Perſica Perſis & Ægyptiis venena Europæis ſunt ſuavia & innoxia. Nux moſchata, ſeu myriſtica creſcit ſub Zona torrida, in Europa in juglandem degenerat. Cupreſſus in ſeptentrionalibus Regionibus ægrè creſcit, & in aliquid Sabinæ ſimile mutatur; è contra abies, abſynthium, Auſtrales plagas abhorrent. Helleborus in tractu Tridentino nòn purgat. Papaver apud nos lethali qualitate caret, ſecus Thebis, & in Græcia. Hyſſopus, & abrotanum in germania optimum ſpirant odorem; In Italia ferè nullum habent. E contra ocimum in Italia fragrantiſſimum, apud nos obtuſi eſt odoris. Ruta & malva apud nos humiles, alibi arboreſcunt.

Ob eandem cauſam non omnis fert omnia tellus, ſed fervens Lybia mittit nobis odorata aromata, Syria balſamum, Saba thus; Arabia myrrham, caſſiam, & cinnamomum; Mons Libani cedrum, Bactriana therebinthinam, Creta cupreſſum & dictamnum, Pontus abſynthium.

Etiam in animalibus quodlibet membrum congruum ſibi de ſanguine alimentum per venas attrahit. Ità hepar dicitur chylum attrahere, cor ſanguinem, cerebrum phlegma, renes ſerum, ſplen melancholiam, veſicula fellis flavam bilem.

Paſſim etiam vis medicamentorum cathartica per tractionem humorum explicatur; ſic Rhabarbarum trahere dicitur choleram, Turbith phlegma, helleborus melancholiam, aquas Elaterium.

Metalla in terræ viſceribus, vel murorum, aut ædificiorum latibulis abſcondita, bifurcam coryli virgam violentiſſimè movent. Quin etiam experientiâ compertum eſt, tantam vim tractivam venis metallorum ineſſe, ut arborum ſupra ſe, vel juxta creſcentium, ramos ad ſe interdum inflectant.

XIII. Sicut herba quævis congruum ſibi è terra ſuccum attrahit, ſic & animalia venenoſa venenoſum, quem illis ad ſui nutrimentum ac defenſionem natura tribuit. Sic ſerpentes venenum terreſtre attrahunt, & veneno

Digitized by Google

veneno ſemel adempto, ſi terram ſinantur vel modice caudâ ſuâ contingere, illud recuperant.

Dypſades aquaticum virus, araneæ ut ſupra vidimus, aëreum ad ſe proliciunt. Erucæ, papiliones,& cætera inſecta ex arboribus & plantis noxias attrahunt qualitates.

Demorſi â viperis nullo etiam alio medio juvante, illarum eſu curantur; caro etenim comeſta ſuum attrahit venenum, quod relicto peregrino humani corporis domicilio in illam redit, ac tandem â natura pariter expellitur.

Huc ſpectant amuleta ex arſenico, mercurio, & ſulphure confecta, quæ tempore peſtis in collo ſolent geſtari. Aliqui geſtant araneum nuci incuſum; alij lapidem bufonitem.

Scorpius, vel araneus, vulneri â ſe inflicto appoſitus omne venenum attrahit.

Fœtor fœtorem ad ſe prolicit, unde curatur os graveolens, ſi diu ſuper os latrinæ apertum teneatur. Idem â corruptione peſtifera hominem dicitur præſervare, ſi fiat quotidie.

Niger digitorum color ex decorticatione juglandium contractus citò extrahitur, ſi digiti pelliculâ nuclei, vel ipſo etiam nucleo probè confricentur.

Haleces & alia ſalſa ſi in aqua marina macerentur, citò perdunt ſalſedinem.

Terra terram attrahit, quæ fortè cauſa eſt, quòd corpora ſolida in mare demerſa ad litus revehantur, & naves quantò magis terræ approximant, tantò velociùs ac fortiùs propellantur. Sunt & qui omnia gravia ad centrum vi quadam magneticâ trahi aſſerunt, de quo plura inferiùs. XIV.

Altiſſimi montes ad ſua culmina, mediantibus terræ venis, aquam aſſugunt, ſicut & arbores, quarum aliquas verno tempore, ſauciato trunco, copioſiſſimum liquorem fundere videmus.

Cancer coctus, in vitrum aquæ, aut vini ſuſpenſus, ità ut caudæ extremitas liquorem tangat, totum ex vitro exhaurit, & effluere facit.

Aqua aquam magneticè attrahit, quod videmus in guttis & bullis, quæ ſe ſibi invicem avidè conjungunt & commiſcent, ſicut oleum oleo, Mercurius Mercurio; difficulter aqua oleo vel Mercurio; ſimile enim â ſimili potiſſimùm trahitur. Huc etiam ſpectat lapis ille foſſilis in agro

Bono-

Digitized by Google

Bononienſi, qui certâ ratione præparatus, & lumini ſolari expoſitus, illud adeo attrahit atq; imbibit, ut deinde in loco tenebroſo collocatus tenebras diſpellat.

Omnia deniq; adeo plena ſunt magnetiſmis, ut neq; milleſima illorum pars recenſeri poſſit. Sunt qui aſſerunt, quodlibet corpus aliud ſibi vicinum trahere, præſertim cùm per motum vacui periculum imminet. Sed hujus tractionis cauſam magìs in continuationem rerum, quàm in magnetiſmum refero, prout infra pluribus declarabitur.

Rebus ineſt cunctis virtus magnetica; namq;
In magnum nos tota trahit natura ſtuporem.

CAPUT VIII.

De rerum Antipathijs, earúmq; mirabilibus.

I. ANtipathia eſt inimica rerum contra ſe invicem affectio, quâ ſe invicem ex natura ſua averſantur, & impugnant; ſolet etiam appellari diſcordia, diſſenſus, inimicitia, lis, hoſtilitas, odium, averſatio, diſconvenientia, diſpathia. Opponitur magnetiſmo, qui datur inter illa, quorum unum trahitur ab altero. Antipathia verò eſt inter illa, quorum unum ab alio abhorret, & ab alio pellitur. Hinc etiam Antimagnetiſmus dici poteſt, qualis ſpectatur in lapide Theamede, qui tam potenter ferrum â ſe abigit, quàm potenter magnes illud attrahit.

Summè admirabile eſt, ipſum magnetem unâ ſui parte ferrum attrahere, oppoſitâ parte illud â ſe repellere. Unicornu quoq; micas, & res omnis generis, aquæ, quam contigerit, ſupernatantes attrahit, obolum autem â ſe repellit.

II. Venena omnia, cor vitæ arcem antipathicè oppugnant, eidémq; debilitatem, palmos, deliquia, & ſyncopen inducunt.

Venena ex animalibus homini lethalia ſunt, ſpuma & ſanguis bufonis, qui etiam halitu ſuo venenoſo herbas, maximè verò ſalviam ſolet inficere. Ictus ſcorpionis, Tarantulæ, araneæ, quam etiam pedibus tantummodò calcatam, legimus venenum per calceorum ſoleas interdum tranſmiſiſſe; Item leviſſimo ejus tranſcurſu ſpeculum aliquando ruptum fuiſſe. Mor-

Morſus viperarum, earúmq; ſanguis apertam carnem attingens, alij quoq; ſerpentes, quibus omnibus cum homine ſpecialis eſt inimicitia, ità ut ſolo illorum tranſgreſſu mulier abortiat. Hinc ad facilitandum partum mulieres ſerpentûm exuvijs ſe circumcingunt.

Præterea cervinæ caudæ extremitas, menſtruus ſeu puerperalis ſanguis, & plurima alia venenata animalia, eorúmq; partes, inter quæ Baſiliſcus eminet, qui ſolo intuitu hominem interficit.

Inter vegetabilia, in venenorum homini exitialium claſſem referuntur: Napellus, Aconitum, ſtramonia, cicuta, mandragora, taxus præſertim Narbonenſis, cujus umbra ſub eadem conſidentibus lethalis eſt, & plurimæ aliæ plantarum ſpecies.

Omnia electivè purgantia non immeritò etiam venenis adnumerantur, quæ ſemper aliquid vitæ cum noxiorum humorum purgatione deferunt. Hinc fit, quòd hypercatharſes theriacâ exhibitâ remittant. Illud mirum, quòd naturis quibuſdam diagrydium, & fortiora medicamenta contemnentibus, manna fuerit lethifera.

Inter mineralia, nihil arſenici veneno potentius; huic ſuccedit antimonium, deinde mercurius.

Huc etiam pertinent charonei ſpecus, in quos ſi homo, vel aliud animal ingrediatur aut inijciatur, illico moritur. Unus ejuſmodi reperitur in agro puteolano, cui injecta animalia cùm ſpiritu deſtituta fuerint, eximuntur, lacui autem vicino immerſa vitali auræ reſtituuntur.

Dantur etiam aquæ mortiferæ, qualis eſt illa, in qua cannabis diutius fuerit macerata, potu namq; interficit, & continet putredinem peſti generandæ aptiſſimam. Vidi fontem in quodam prato, cui quotquot aves ſupervolant, mortuæ decidunt; pecora tamen, quod non parum eſt mirabile, innoxiè illo potantur.

Venena quædam ſunt acutiſſima: tale quoddam eſt in Nubia, Regione Aphricæ, cujus ſi granum unum diviſum propinetur decem hominibus, omnes ſpatio unius quadrantis jugulat; uni verò ſi detur integrum protinus interimit.

Dantur & venena ſolo attactu, & eodem quidem die interficientia; quorum aliqua dantur tam ſubtilia & potentia, ut ſtapedibus minimâ etiam portione illitâ, ocrearum ſoleas, & carnem pedum ad cor uſq; inſenſibiliter penetrent, & brevi temporis ſpatio vitam tollant. Talibus

libus inficiuntur quandoq; peſſuli ſolo attactu interficientes, uti etiam literæ, legentem halitu maligno perimentes.

Fuit aliquando Venetijs quidam maleficus, qui damnatorum ad triremes animas emebat, promittens liberationem, & numerans decem aureos pro unaquaq; anima, quam chyrographo, proprio ſanguine notato, miſeri diabolo & venefico vendebant. Mox ne retractare poſſent, certo contactos veneno confeſtim necabat.

Tempore Domitiani & Commodi Impp: fuerunt nonnulli, qui acubus certi generis veneno oblitis, quos libitum erat pungebant, & læſorum pleriq; ſinè ullo doloris ſenſu expirârunt.

III. In Arabia felici herba quædam invenitur, cui incubantes ſuaviſſimo ſomno deliniti intereunt.

Paſtinaca Marina puncturâ ſui aculei nervorum diſtenſionem inducit.

Torpedo hamo capta manum piſcatoris torpefacit. Eandem vim per rete & quemcunq; baculum ipſam tangentem tranſmittit. Idem piſcis torpidiſſimus alios etiam vivaciſſimos ità expugnat; dum eſurit, immotus hæret in arena, vel loco ubi multi piſcium greges ſtabulantur; ſi qui ex his illum propius acceſſerint, eos torpore ſuo ità ſtupefacit, ut omni motu privati eidem in eſcam cedere cogantur. Illud mirum, quòd torpedo viva inter mortuos piſces poſita eos moveri parumper facit, tremorem etiam mortuis inducens.

Eſt etiam quoddam conchilij genus â natura elegantiſſimo quodam artificio elaboratum, quod ſolo ſui attactu ſtuporem & ſiderationem membris quibuſcunq; inducit. Datur etiam piſcis quidam in Zeilam Inſula, attrectatione ſolâ febrem accendens.

Sunt & quædam venena quibuſdam ſolummodò partibus adverſantia. Sic lepus marinus ſumptus vel tactus ſanguinis ſputum & pulmonis ulcus infert. Cantharides non ſolùm aſſumptæ, ſed etiam duntaxat genui applicatæ, vel manu detentæ veſicam exulcerant, ſanguiniſq; per urinam profluvium cauſant.

Huc ſpectant venena hominem dementantia, cerebro præcipuè infenſa. Talia ſunt: vinum radicibus mandragoræ conditum, pulvis ſeminum ſtramoniæ in vino propinatus. Eodem pulvere cibis modicè inſperſo, qui eos comederit, ſatis jucundè per diem unum alterúmve inſanit. Eandem vim habet ſemen hyoſcyami, decoctum cicutæ, vel

drach-

Digitized by Google

drachma una radicis belladonnæ; Cerebrum quoq; urſi comeſtum cerebro potiſſimùm nocet, vertiginem atq; ſtoliditatem inducit, quod etiam facit cerebrum cati, cujus etiam anhelitus homini maraſmum cauſat; pili quoq; felium exitiales ſunt, uti etiam Equorum.

Illud mirum, cor hominis veneno infecti & enecti igne non abſumi. Non minùs admirabilis eſt lapis galacia, qui medijs in flammis poſitus minimè tamen incaleſcit. Horum cauſa videtur etiam in Antipathiam referenda.

Sunt verò multi, qui privilegium à natura conceſſum habent, ut eis venena non noceant; ipſi verò rebus & morbis venenatis ſint exitio. Ità Marſi & Pſylli ſerpentes illæſi tractant, & ſolo attactu vel modico ſuctu demorſis à ſerpente medentur. Quidam araneos innoxiè comedunt. Æthiopes Hydaſpis fluvij accolæ impunè veſcuntur ſcorpionibus & ſerpentibus, ſicut & Marſi carnibus anguium. IV.

Fuerunt nonnulli, qui mediam unciam, imò & drachmas decem opij inoffensè ſumpſerunt. Multi fortiſſimis ex helleboro medicamentis nihil purgantur. Scimus unciam unam ſcammonij ab aliquibus ſinè vitæ periculo ſumptam fuiſſe. Arſenicum pariter unciæ unius pondere quidam ſumebat citra vitæ diſpendium.

Qua in re multùm poteſt lenta & longa conſuetudo. Sic multi veneno aſſueſcentes, illud ſibi tandem reddiderunt innoxium. Talis fuit Rex Ponti Mithridates; Talis puella in munus Alexandro Magno ab Indorum Rege miſſa, cujus conſortio omnes proci intoxicati peribant; Talis etiam erat filius Regis Cambajæ, qui teſte Scaligero, cùm eſſet veneno educatus, in adulta ætate adeo factus eſt venenoſus, ut muſcæ, quæ modico ſuctu cutem illius perſtringebant, turgidæ mox interiêrint.

Homo quidam demorſus ab animalibus quibuſcunq; venenatis, ea ipſa occidebat, ità ut ſtatim ab illato morſu extinguerentur.

Cardanus teſtatur quendam fuiſſe, qui ſuum corpus cùm volebat reſolvere poterat, ità ut ſenſu careret, quem etiam ſerpentes non niſi coacti mordebant; qui verò coacti læſerunt moriebantur. Cùm aliquando magnus ſerpens morſu illum ſauciâſſet, homo ex illo vulnere nonniſi ephemeram incurrit, ſerpens verò mortuus eſt.

Nati octavo kalendas Februarij in feſto Converſionis S. Pauli non horrent ſerpentes, & ſolo ſputo morſibus illorum medentur.

Habent quidam in Flandria donum febres curandi, qui ſcilicet nati ſunt ipſo die Paraſceves, & quotquot nullo fœmineo fœtu intercedente, ſeptimi maſculi è legitimo thoro ſunt progeniti.

Sunt aliqui in Hiſpania, quos vocant Salvatores, qui ſolo attactu, ſalivâ, vel halitu, ſanant non homines tantùm, ſed & pecudes. Reges Franciæ ſolo attactu ſanant ſtrumoſos. Simile donum S. Edvardo Regi Angliæ conceſſum eſt, & ad omnes Succeſſores etiam hæreticos, ipſámq; impiam Eliſabetham dimanavit. Sed hæc in gratias gratis datas referenda ſunt.

Pyrrhus Rex lienoſos ſolo pedis dextri pollice contactos ſanabat, qui etiam pollex in rogo comburi non potuit, neq; poſtea ſucceſſu temporis contabuit. Veſpaſianus Imperator ſalivâ viſum cæco reſtituiſſe ſcribitur. Sed ad venena redeamus.

V. Dantur venena unam tantùm ſpeciem perimentia, non alteram. Sabina & Rhododaphne quodcunq; animal enecant, homine excepto. Nux vomica perimit omne animal, quod ſinè viſu naſcitur; cæteris non eſt exitialis. Atriplex ſuibus noxia, quæ tamen ſalamandras impunè devorant. Chamæleon canibus & alijs multis animalibus eſt venenum, homini verò alexipharmacum. Cicuta virus homini, non ſturnis, aut capris. Sues nutriuntur hyoſcyamo & mandragorâ; hirundines cantharidibus, quæ tamen homini ſunt lethifera. Coturnices veſcuntur helleboro, cujus malignitas homini nocet. Napellus hominibus exitioſus, animalibus quibuſdam propitius eſt. Sic peſtile venenum aliquando tantùm in homines, aliquando in oves, aliquando in boves, & alia jumenta graſſatur.

VI. Dantur & venenorum venena, hoc eſt, antipathicè venenis oppoſita. Sic multi homines, ut jam ſupradictum eſt, venenatis animantibus ſunt venenum; & ſaliva cujuſcunq; jejuni hominis ſerpentibus lethalis eſt, quos & dictamnus noſter, ſeu fraxinella fugare dicitur. Sub cujus radicibus cùm aliquando multa ſerpentum oſſicula, & pellium exuvias inveniſſem, eos vi plantæ alexipharmacâ ibidem interijſſe judicavi. Echium pariter & raphanus fugare dicitur ſerpentes. Lignum colubrinum morſibus illorum medetur. Fraxinus nihil ſub umbra ſua venenatum patitur. Serpens hinc ramo fraxini, illinc igne concluſus, citiùs ſe in ignem præcipitabit, quàm fraxinum tranſeat. Dicitur etiam coryli virgâ percuſſus torpeſcere. In Hybernia, ſerpentes, bufones, araneæ,

araneæ, aliæq; venenatæ beſtiæ non generantur; & ſi aliunde illuc allatæ fuerint, quantocyus moriuntur. Dantur etiam in Oceano Atlantico novem Inſulæ, dictæ Azores, quæ pulicibus, cimicibus, & pediculis ità ſunt inimicæ, ut nautis illas præternavigantibus omnia illa animalcula in navibus extinguantur. Sunt etiam nonnulli homines, qui pulices & cimices occultâ quadam vi â ſe abigunt. Sed ad venenorum venena redeamus.

Huc pertinent quæcunq: alexipharmaca. Qualia ſunt: Angelica, vincetoxicum, valeriana, ſcordium, veronica, gentiana, dracontium, ariſtolochia utraq;, morſus diaboli, baccæ paridis, juglandes, allium, fraxinus, ruta, ſalvia, carlina, tormentilla, petaſites, zedoaria, ſcorzonera, contrayerva, bezoar, terra ſigillata, bolus armenus, lapis hyppolithus in ventriculo vel inteſtinis equi repertus, cerebrum cuniculi, ſanguis anatis & anſeris; lacryma, ſanguis & cornu cervi; unicornu, mumia ſerpentum, ciconiæ, & tunica interior ex illarum ventriculis, omnia item ex ſulphure præparata, ſmeragdus & cornu Rhinocerotis, vaſa ex aurichalco & ophite, ſeu lapide ſerpentino, præſente veneno colorem perdere, ac ſudare dicuntur.

Providè quoq; â natura factum, ut haud procul â veneno ejus remedium plerumq; inveniatur. Ità napello muſcæ quædam inſident, quæ illius veneno adverſantur; nec procul ab illo creſcit anthora ejus antidotum. Ità contra ſerpentinum & aliud quodcunq; virus, ex ipſis ſerpentibus pulverem conficimus, & trochiſci de viperis theriacæ primarium ſunt ingrediens. Buſo nobis præbet lapidem buſonitem, ſui & cujuſcunq; alterius veneni antidotum, quo præſente colorem mutare ac ſudare dicitur. Hydrophobis, pili canis â quo demorſi ſunt, auxiliantur. Inteſtinorum lumbrici pulverizati & introſumpti, alios lumbricos enecant. Etiam alijs morbis naturæ beneficio oppoſita ſunt in ſalutem hominis vicina remedia. Fuchſius præclarus Medicus, homines quocunq; in loco, chronicis verò morbis potiſſimùm ægrotantes, ſolo herbarum illarum deſtillato curabat, quas circumcirca copioſiùs creſcere videbat. Lignum guiacum cum morbo Indico, ſive lue venereâ eandem habet patriam. Cochlearia Scorbuti medicina in regionibus ſeptentrionalibus omnia prata paſſim ornat. In Italia, calida Regione, copioſæ creſcunt lactucæ, in Ponto frequens abſynthium.

Neq; hìc præteriri debet mentio quorundam medicamentorum, VII.

 quæ

quæ ſingulari quâdam & occultâ eſſentiarum proprietate morbis quibusdam adverſantur.

Contra *Epilepſiam*, ſeu morbum caducum valent: cranium humanum, præſertim verò triquetrum ejus oſſiculum, ſanguis humanus, hirundines cum nidis ſuis, pulli ciconiarum, picæ, ungula Alcis, & annuli ex illa confecti; ſuilli, aprini, equini & urſini teſtes; ungula aſini, raſura cornu bovini, ebur, fel vulturis, guttulæ aliquot ſanguinis ex venula cati maris ſub cauda extractæ, pulvis vertebrarum ex cauda leporina, oſſiculum tali leporini, quod etiam ad colicam, & calculum commendatur, cinis milvi, cuculi, pullorum corvi, cerebrum corvinum, ſtercus pavonis, ſpina muſtelæ fluviatilis, lapis carpionum, oſſiculum cruciforme ex capite lucij, ſanguis teſtudinis exiccatus, flores tiliæ, pæoniæ radix & ſemen lunâ decreſcente collectum collóq; appenſum, viſcus quercinus, coralla; omnia etiam ex vitriolo præparata, ſicut & omnia lunaria. Hæc morbum hunc herculeum non tam apertâ, quàm occultâ quâdam vi expugnant.

Dolori capitis medetur, verbena & betonica.

Melancholia lapis lazuli, & coralla, quæ etiam faſcino medentur. Ab eodem præſervant rubri panni animalibus appenſi.

Anginæ, album græcum, excrementa & cinis noctuæ, cinis cuniculi, cinis hirundinum, & nidus ipſe decoctus, atq; foris appoſitus.

Phtiſi, Veronica, ſcabioſa, pulmonaria, bellis minor, piloſella, hedera terræ, ſuccus parvarum urticarum, pulmo vulpis.

Pleuritidi, papaver erraticum, carduus benedictus, cardomaria, jus pavonis, maxilla lucij, dens apri, ſcabioſa, pulvis rubrorũ corallorũ.

Icteritiæ, lapis repertus in felle taurino, ſtercus anſerculi, lumbrici terreſtres, & aſelli præparati.

Colicæ, pulvis teſticulorum equi caſtrati, caro upupæ pulveriſata, tunica interior ex ventriculo erinacei, cinis alaudæ.

Variolis, Semen napi, & aquilegiæ.

Febribus putridis intermittentibus, pulvis concharum, aranearum tela conciſa, & in pruno cocto, ante paroxiſmum exhibita.

Quartanæ, aranei juglandis teſtæ incluſi, & in collo portati, decoctum raparum, cor leporis præparatum, in tres doſes diviſum, & patienti paroxyſmis ingruentibus exhibitum.

Urinæ retentæ, anima halecis, medulla calami anſerini ſiccata & pulveriſata, cinis erinacei & leporis. Cal-

Digitized by Google

Calculum frangunt reſta bovis, ſemen lappæ majoris, pimpinella, ruta muraria, petroſelinum, veronica, raphanus ruſticus, fructus cynorrhodi, ſemen alkekengi, erinaceus uſtus, oleum ſcorpionum, therebinthinæ, ſuccini, avis motacilla calculoſis ſaluberrima.

Vermes interimunt: ſemen ſanctum, Tanacetum, Matricaria, mentha criſpa, cortices arantiorum, abrotanum, cornu cervi, lumbrici uſti vel præparati, ſemen coriandri, citri, radix dictamni albi, præſertim verò Mercurius omnium vermium infenſiſſimus hoſtis, datus in forma cruda ad ſcrup: unū, vel ſolum ejus dilutum cum aqua portulacæ.

Contra *morbum gallicum*, *ſcabiem*, *& maligna quæcunq; ulcera*, idem Mercurius, ſive crudus, ſive præparatus nobiliſſimum præſtat remedium, vermes qui nunquam ab ejuſmodi cutaneis morbis abſunt perimendo, & humores mirabili quâdam vi per ſalivales glandulas evacuando. Nervis tamen, dentibus, & oſſibus eſt ſummè inimicus. Radix etiam ſcabioſæ majoris flore purpureo, tanquam ſpecificum contra luem veneream commendatur.

Sanguinem coagulatum diſſolvunt chærefolium, morſus diaboli, millefolium, ſanguis hirci, ſperma ceti, terra ſigillata, ſuccus ex cancris crudis & contuſis expreſſus, oculi eorundem cancrorum, carbones ligni quercini, vel tiliæ.

Frigidis nervorum morbis confert decoctum formicarum.

Morſus & puncturas culicum, aliorúmq; inſectorum terra ſimplex mirabiliter curat, ſi ipſis ſtatim adhibeatur.

Vulnera curant non tam ſtypticâ, quàm occultiori quâdam qualitate: radix Rhapontici, Symphitum, benedicta, numularia, piloſella, ſanguinaria, ſanicula, alchymilla, perfoliata, millefolium, Conſolida Saracenica, pirola, nicotiana, Therebinthina, gummata, & alia medicamenta balſamica. Famoſum eſt lignum fraxini, cæſum in æſtivo ſolſtitio ante ſolis ortum, quod non tantùm ſolo affrictu vulnera curat, ſed ad alios etiam quoſcunq; dolores & tumores, ſive integrum, ſive in ſcobem redactum adhiberi ſolet.

Multorum ſimilium vis & efficacia per ſimilitudinem nobis innotuit, eò quòd morbos, vel mala corporis, quibus opponuntur, repræſentent. VIII.

Sic *calculum* repræſentant omnis generis calculi, lapis manatin, oculi cancrorum, lapis Tiburonum, Nephriticus, lyncis, ſpongiæ, & alij

alij in veſicula bovini fellis vel hepatis reperti, præſertim verò calculus microcoſmi. Item milium Solis, radix ſaxifragæ albæ, filipendulæ, cryſtallus, ſilex, cortices lapidei nucleorum, teſtæ cochlearum, mandibula Lucij, teſtacea quoq; omnia, & cruſtacea.

Tartarum corporis humani, tartarus dolii vinacei, & arenæ matularum, ex quibus confectum oleum ludi tartarum diſſolvit, & calculos frangit.

Humores craſſos & viſcidos Therebinthina, & quædam gummatum ſpecies attenuant & diſſipant.

Lentes referunt *exanthemata*, ijſdémq; medentur.

Petechias petechiaria, ſeu ruta capraria colore ſui floris æmulatur, quas etiam è corpore pellit.

Anificus repræſentat nodoſa ſcrophulariæ radix, uti & chelidoniæ minoris, quâ etiam utrâq; curantur.

Icteritiam flavo ſuo colore repræſentant flores Croci, chamomillæ luteæ; amaranthi lutei, calendulæ, geniſtæ, tanaceti, flava illa granula in liliorum calicibus, ſuccus chelidoniæ, rubia tinctorum.

Pleuriticas puncturas exprimunt ſuis aculeis Carduus benedictus, & Carduus Mariæ.

Bufo tumidum animal *hydropicum* repræſentat, hinc pulvis bufonum hydropicos curat. Idem bufo quia maculoſus eſt contra cutis maculas adhibetur.

Scabri arborum cortices, præſertim betularum, valent ad *ſcabiem*, & omnia cutis mala.

Spaſmi ſignaturam habent limaces, erinacei, lumbrici, aſelli, levi enim occaſione ſe contrahunt, unde etiam ad omnes nervorum contractiones adhibentur.

Vulnera curant: herba perforata, & hypericum, quæ ſanguinem in floribus & foramina in folijs exhibent.

Sanguinem colore repræſentant ſanguinaria, corallium, hæmathites, radix Tormentillæ, Colcothar, quæ etiam ſanguinis fluxum reprimunt.

Scorpiodes herba repræſentat *ſcorpiones*, & ictus ab ipſis inflictos ſanat.

Serpentaria exprimit *ſerpentem* Ophiogloſſum, lingvam ſerpentis, unde contra ſerpentum morſus utiliter adhibentur.

Semen

Semen pſyllii figuram habet *pulicum*, quos etiam fugare dicitur.

Non omittendum nobis hîc eſt venenum luis peſtiferæ. Legimus multos peſte correptos illico expirâſſe. Sicut diverſa ſunt in Mundo venena, ità diverſæ obſervantur peſtes. Aliæ Narcoticæ, aliæ in ſummo gradu inflammativæ, aliæ exulcerantes, aliæ humorum concentrativæ, aliæ reſolutivæ. Illud mirum, non omnes pariter lue peſtiferâ infici. Animadverſum eſt fortiores naturas infectionis periculo magìs expoſitas eſſe, & periculoſiùs cum peſte luctari, quàm imbecilles. IX.

Narrat Cardanus, in Baſileenſi quadam peſte ſolos Helvetios obijſſe, Italum aut gallum vix unum eſſe mortuum. Infans quidam, Camerario teſte, duabus Nutricibus, quæ ambæ peſte obiêrunt, lactatus, vivus tamen & optimè ſanus permanſit. Neq; noſtris temporibus plura deſunt exempla eorum, qui media inter funera, & contagionum pericula, ſalvi & incolumes evaſerunt. In regno quodam novæ Hiſpaniæ, certus quidam morbus, ſolis Indis contagioſus eſt & lethifer, externis neutiquam. Satis hucuſq; de morbis; jam alias quoq; antipathias proſequamur.

Braſſica horret cyclaminum, hinc juxta illum ſata areſcit. Similiter braſſica & ruta ſi ſimul ſerantur. Vitis ſi ei applantetur braſſica, exiccatur, & flectit ſe in adverſum; unde ad ebrietatem ex vino compeſcendam braſſicâ quidam potatores uti ſolent, eâq; ſe præmunire. Obſervatum eſt ſi braſſicæ in olla bullienti vini pauxillum infundatur, illam nec coqui, nec tenereſcere. Laurum ſimiliter vitis abhorret. X.

Cucumeres cum olea inimicitiam habent. Quercus & olea juxta ſe poſitæ areſcunt. Arundo filicem horret, unde ne in piſcinis naſcantur arundines, filicem nonnulli ſpargunt, vel eâ vomeri impoſitâ locum proſcindunt. Quercus juglandi vicina moritur. Cicuta flacceſcit â vite, unde & vini potio ejus veneno medetur. Nucis umbra arboribus omnibus & plantis eſt exoſa. Hedera omnibus pariter arboribus ſatiſq; nocet. Similiter lavendula herbas prope illam ſatas deſtruit. Putamina fabarum, arbores, quarum radicibus applicata fuerint, faciunt ſterileſcere. Hedera viti adverſatur, unde illâ coronati non inebriantur. Salix inimica frugibus; Ruta Baſilico & Cicutæ; Roſæ cæpis; mala medica panem abhorrent, unde ſi cumulo panem inſpergas, ſtatim putreſcunt.

Oliva cum meretrice in tantum diſſentit, ut ſi ab illa fuerit plan-

Digitized by Google

tata, vel maneat infructuoſa, vel areſcat. Similem antipathiam habent omnes menſtruatæ mulieres erga res plurimas, ſanguis illarum homines dementat, canes in rabiem vertit, illius contactu novellæ vites areſcunt, & hortorum germina exuruntur, linteamina illo infecta, ſuſpenſa ex arbore, ipſam interimunt; aſpectu ſolo mulieris menſtruatæ ſpecula fædantur, & labe quâdam inficiuntur; coralla in ejus corpore geſtata palleſcunt; crocus in hortis fit decolor ad ſolam menſtruatæ mulieris præſentiam; quidquid fæminæ fluxûs iſtius tempore tractant, corruptioni eſt obnoxium. Imò etiam extra Menſtruorum tempus corpora mulierum malignitatem quandam tranſpirant; hinc eſt quòd coralla â viris geſtata ſemper ſint rubicundiora, quàm ſi geſtentur â mulieribus; & nuces moſchatæ â viris portatæ maneant bonæ & ſucculentæ, apud fæminas autem citò deſtruantur & exareſcant. Jam ad alia quoq; animalia tranſeamus.

Leo animalium omnium terror, cujus pinguedine perunctos cunctæ fugiunt beſtiæ, galli cantu terretur, & igne. Homines â lupo priùs viſi rauceſcunt, & vocem amittunt. Gallus gallinaceus timet accipitrem nunquam antè viſum. Agnus modò enixus timet lupum & vulpem. Chordæ agninæ cum lupinis nunquam concordant. Si tympanum ex pelle lupina ſonet, muteſcit tympanum ex pelle vitulina vel agnina. Lupinæ chordæ pulſatæ oves reddunt attonitas. Tympanum ex pellibus lupinis, camelinis, vel elaphantinis confectum & pulſatum, fugat equos & in rabiem agit. Sonitus lyræ ex vulpinis extis gallinas exterret, & in fugam vertit. Tympanum factum ex pelle ericij marini, fugat omnia reptilia, ubicunq; auditur. Hinc fortaſſe nebulo ille ſceleratiſſimus Schiska, juſſit ex corio ſuo poſt mortem fieri tympanum, ut ſcilicet hoſtes, qui ipſum viventem timuerant, ſono pellis audito in fugam verterentur. Teſtudo ex viperinis aut ſerpentinis chordis concinnata, ſuo ſonitu prægnantes facit abortire. Lanæ pellibus ovinis decedunt, ſi lupina inter illas ponatur. Sic plumæ cæterarum avium cariem ſubeunt, aquilinis admixtis.

Non tantùm crocodilus homini eſt infeſtus, ſed etiam ſæpe unus homo alterum hominem, etiamſi nihil injuriæ ab illo fuerit paſſus, â natura quodammodo habet exoſum, ut teſtatur illud diſtichon.

Non amo te Sabidi, non poſſum dicere; quare;
Hoc tantùm poſſum dicere, non amo te.

Legi-

Legimus quendam parentem â ſuo filio ità abhorruiſſe, ut illo præſente deliquium pati conſveverit. Huc etiam ſpectat, quòd hominis cadaver præſente homicidâ ſanguinem fundat ità floridum, acſi homo adhuc viveret. Quin etiam labia ſuo motu figuram quandoq; talem repræſentant, acſi jam jam in ſermonem vellent prorumpere, & præſentis homicidæ facinus accuſare.

Araneæ ac bufones mutuo ſe odio perſequuntur. Item aranea & bombix, ſerpentes & bufones; mures, glires, & ſues timent phaſeolum, & citiùs perirent, quàm eum comederent. Muſtela timet bufonem, & ſi diu teneatur in ejus conſpectu, moritur. Lacerti oderunt cochleas, quas etiam ſimiæ adeò perhorreſcunt, ut ad ſolam teſtarum præſentiam ſe contrahant, & præ formidine alvi fæces egerant. Canes inſequuntur canicidam non ante viſum, Hiænam quoq; odio ſpeciali perſequuntur, & contactu umbræ illius obmuteſcunt. Gallinæ milvum exhorrent, & capite milvi eis appenſo quieſcere non poſſunt. Columbæ fugiunt accipitres, eorúmq; pennis in columbario poſitis fugantur. Odor cancrorum apes interficit, & ab alvearibus pellit. Iiſdem etiam ulmus eſt inimica. Mures odio perſequuntur ſcorpiones, eóſq; interimunt. Serpentibus adverſantur cancri, lupi timent lepores, teſtudines aquilam.

Elephas furens ad conſpectum arietis manſueſcit, & ad porcelli grunnitum terga vertit; rhinocerotem quoq; perhorreſcit. Hyppopotamus immanis eſt bellua, multa tamen illorũ millia parvulus unus facem accenſam manu tenens in fugam dat. Sic etiam lupi fugiunt ignem, lapidis jactum, erinaceum, & allium ſilveſtre. Delphini & Balenæ ſe oderunt mutuò, Polypum locuſta marina in tantum pavet, ut ſi illum juxta ſe videat, moriatur.

Equus timet lupum; ſi equa lupi veſtigia calcaverit torpeſcit; & abortit; & cuilibet equo lupi veſtigia diutiùs ſequenti pedes obſtupeſcunt & rigeſcunt. Dicuntur pecora non tranſire per viam, in qua luporum inteſtina defoſſa jacuerint; & caput vel cauda lupi ſi in ovilibus vel ſtabulis aliorum pecorum appendatur, prohibere, ne animalia quidquam pabuli guſtent. Timet præterea equus camelum. Veſpertiliones horret Ciconia, qui ova illius ſolo attactu reddunt ſterilia, quos proinde ut fuget, folia platani veſpertilionibus exoſa in nidum ponit. Alauda & Luſcinia timet ſerpentes, Noctuas cunctæ volucres perſequuntur.

tur. Pavo terror eſt bufonum, ejus quoq; vox ſerpentibus eſt terribilis. Vermes fugiunt talpam; talpæ ricinum, & ſambuci frondes; cancri polypodium, muſcæ perſicariam; omnia venenata cervum, & ciconiam; unde ſanguis cervinus, cornu & lapides in ore concreti, eorúmq; mumia, ſicut & ciconiarum, venenis, ut ſupra vidimus, adverſatur.

XI. Magnetis vis ligatur præſente adamante; eandem obtundunt ignis, humiditas aëris vel aquæ, allium, pingvedo, oleum, rubigo, radij ſolis, fumus Mercurij. Quòd ſi detineatur puſillum in aqua, quæ adhiberi ſolet in ſerrandis lapidibus, totam vim amittit, quam tamen modico calore recuperat.

Inter metalla Saturnus & Mercurius antipathicè opponuntur: vapor enim plumbi ligat pedes Mercurio, ſimiliter Antimonium & Mercurius dicuntur inter ſe hoſtilitatem exercere.

Huc pertinet faſcinus, quo aliqui homines, præſertim vetulæ, & fæminæ menſtruatæ rebus nocent; cùm namq; oculis ſuis aliquid fixiùs aſpexerint, & ſolito magìs admiratæ fuerint, vel laudaverint, ut pulchros infantes, pecora, ſegetes, vel arbores, illico res conſpectæ exareſcunt & emoriuntur.

In Aphrica certæ quædam familiæ fuiſſe ſcribuntur, quarum aſpectu & laudatione ſegetes interibant, areſcebant arbores, moriebantur infantes. Ejus generis erat apud Triballos & Illyricos gens quædam, quæ viſu quoq; faſcinabat, imò ſtatim interimebat inſtar Baſiliſci, ſive homines, ſive canes, quos diutiùs intuebatur, iratis præſertim oculis. Quod etiam de Calabro quodam ſcribit Maldachinus.

Memoriæ ſimiliter proditum eſt quoſdam, cùm marmora affabre elaborata fixo intuitu aſpicerent, illa protinus diffregiſſe. Quidam Valentinus Eques cùm ex gravi morbo convaluiſſet, & patinas fictiles in menſa poſitas aſpiceret, ſolo aſpectu illas findebat in partes.

Narrat Vairus fuiſſe quendam, qui cùm in lapidarij cujuſdam manibus gemmam pretioſam miro artificio politam vidiſſet, fixíſq; oculis contemplatus eſſet, illam ſubitò in duas partes diſſiluiſſe.

Smaragdus & Saphirus oderunt omnes actus venereos. Unde ſi ſmaragdus tangat cutem hominis venerem exercentis, rumpitur; ſaphirus verò nitorem amittit.

XII. Dantur & antipathiæ corporum quorundam cum ſpiritibus, quas quidem multi negant. Si tamen anima ſpiritualis ſympathiam habere dicitur

Digitized by Google

dicitur cùm humano corpore, cur non etiam ſimiliter antipathia cum aliquibus rebus ſpiritui concedatur? Legitur in exercitu Veſpaſiani quidam fuiſſe Hebræus nomine Eleazar, qui annulo quodam, cujus ſignaculo radix aliqua à Salomone quondam reperta ſubdita erat, energumenis applicato, dæmones pellebat. Adhuc hodie quidam lapis in Nilo reperiri dicitur, qui naribus energumeni applicatus dæmonium abigit. Simili fortaſſis efficaciâ jecur piſcis in domo Thobiæ ſuffumigatum, dæmonem expulit. Hypericum, abrotanum, antyrrhinum, adiantum aureum, rhamnus, pervinca, ricinus ſeu palma Chriſti, contra incantationem, aliáſq; magias, item contra ſpectra, & dæmones commendantur. Antipathicè quoq; dæmon excrementorum combuſtorum fœtorem horrere dicitur, quo pacto ligati, & maleficiati curantur.

Vide libros Exorciſmorum, in quibus deſcriptos reperies certos ſuffitus energumenis adhibendos, ex ſulphure, asâ fætidâ, galbano, ungulâ aſini, ſeminibus hypericonis, Rutæ, & ſimilibus confectos. Radix Scillæ dicitur ſolâ geſtatione hominem præſervare à maleficijs, ſimiliter lapis Sardius, Jaſpis & Chryſolitus. Nihil hîc dicere volo de cythara Davidis, quâ ſpiritum malum à Saule pellebat. 1. Reg. 16.

Fulmen antipathiam habet cum lauro, ficu, vituli marini tergo, pelle hiænæ, vite alba, ſedo, aquila, hyppopotamo, quæ omnia à fulmine libera eſſe dicuntur. Canes verò illud allicere creduntur, quos proinde in tempeſtatibus non expedit habere vicinos. Capræ quoq; dicuntur fulminibus obnoxiæ. XIII.

Mira eſt vis & potentia pulveris pyrii, quæ per ſulphuris & nitri antipathiam optimè ſolet explicari; ſimiliter Tartarus, & ſal Armoniacus antipathicè pugnant. Hinc horrenda illa vis auri fulminantis, cujus unicus ſcrupulus potentiùs operatur, quàm media libra pulveris tormentarij; granum unum candelæ, cultro mediante ſuperpoſitum, ingentem edit ſtrepitum; aliquot ſcrupuli laminam ferream ſat craſſam perforant. Nihil verò eſt aliud aurum fulminans, quàm aurum in aqua regis ſolutum, & oleo Tartari præcipitatum. Vis hæc fulminatrix illi adimitur ſpiritu ſalis communis, aut ſulphuris guttatim affuſo.

Nec tantùm ſal armoniacus, qui aquam regis ingreditur, ſed alia quoq; mineralia, maximè verò nitrum tartaro contrariatur. Datur enim etiam Mars ſclopetans, ſeu fulminans, qui poſt factam, in ſola aqua forti ſalis armoniaci experte, ſolutionem præcipitatur. Datur &

 pul-

Digitized by Google

pulvis tonans vulgò jam notus, qui ſalis Tartari, & ſulphuris æquis portionibus, & ſalis nitri duplicatâ portione conſtat. Vel ſecundùm alios: Salis nitri tribus partibus, unâ ſalis Tartari, florum ſulphuris duabus. Omnia hæc vim ſuam non ſurſum ut pyrius pulvis, ſed deorſum exerunt, ſicut ipſum fulmen, quod inferna tantùm ferit, cujus etiam vis per ſimilem halituum mineralium antipathiam, optimè non tamen adæquatè poteſt explicari.

Ignis fulminei activitatem nonnihil adumbrat ſequens experimentum. Lampadi oleo repletæ lychnum craſſum ex ſulphure liquefacto, in oleo ſalis armoniaci & nitri maceratum impone & accende; hujus flammæ apex tantæ dicitur efficaciæ, ut omne metallum diſſolvat; aquam, aut vinum in cochleari, ſpatio unius Pater noſter exhauriat. Hoc autem valde mirum eſt, quòd corium aut lignum non lædat, quod etiam in fulmine ſæpius miramur. Sed jam ſatis de antipathijs mineralium, quò etiam ſpectare videntur pugnæ menſtruorum chymicorum inter ſe, vel cum ſpiritibus & aquis præcipitantibus.

XIV. Agendum hîc etiam nonnihil de idioſyncraſia, ſeu antipathijs peculiaribus quorundam hominum, cum certis quibuſdam rebus. Sic aliqui horrent caſeum, alij ova, lac, vinum, allium, roſas, mures, catos, lepores, porcellos, cancros, anguillas, gallos gallinaceos, vitulos, araneos, ità ut illis præſentibus tametſi non viſis, deliquium patiantur.

Sunt qui mucronem cultri videre non poſſunt. Quidam quoties videbat cultrum in cote acui, toties ſibi gingivas cruentari, & ſanguinem ex illis effluere ſenſit. Scaliger narrat de quodam Nobili Gallo ad lyræ ſonum illico urinam reddente. Sunt qui poma & ova tam cocta, quàm cruda comedunt, ſi tamen ad motum impulſa fuerint, nullo modo illa videre poſſunt, ſed lypothimiâ ſtatim corripiuntur. Jucunda eſt antipathia, quam quidam habuiſſe ſcribitur, qui quoties carnem firmatam cum globulis farinaceis in menſa videbat, ad cachinnos repente commovebatur, cachinnando etiam moriturus, ſi diutiùs cibum illum aſpexiſſet.

Numeratur etiam inter antipathias, quòd butyrum vel oleum, ferventi & ſpumanti ſaccharo injectum, quamvis modicum ſit, ſpumam & fervorem ejus tollat. Item quòd aqua butyro, vel adipi ferventi injecta flammam excitet; quòd veſtes, quæ fuerunt in funere, nunquam

à tineis

à tineis attingantur; quòd pediculi moribundam carnem fugiant; quòd mures ruinoſâ domo excedant. Sed quis enumeret omnes antipathias in hoc univerſo? Deus ex his rerum diſcordiis pulcherrimam elicuit concordiam.

Omnia duplicia, *& virtutibus æmula fecit*, Eccli: 42.
Unum contra unum, *condens ex omnibus unum,*
Hinc oritur toto concors diſcordia Mundo.

CAPUT IX.

De alijs naturæ mirabilibus, quorum cauſæ nobis ſunt incognitæ, & à nonnullis in Ideas referuntur.

ADmirandus eſt piſciculus Echeneis, ſive remora, qui licèt ſit minutiſſimus, remis velíſq; concitatam navem quantumvis magnam remoratur, & im̃obilem reddit, ſolo carinæ adhæſu. I.

Datur & alius piſcis, qui navim concitatam non modò ſiſtit, ſed etiam contra vim ventorum fortiſſimè retropellit. Talis fuit ille, qui navim quandam Luſitanicam per Mozambiques in Indias decurrentem contra ventorum propellentium impetus, diebus quatuordecim integris ipſi agglutinatus retroegit, eo ſudibus ac furcis depulſo navis optatum curſum iterum tenuit.

Contingit etiamnum hodie in mari Siculo, ut navis aliqua ſubitò interdum immota hæreat, ac ſi trabalibus clavis eſſet affixa, cæteris curſum ſuum proſequentibus.

Morſi à cane rabido fiunt melancholici, furunt, latrant, mordent, II.
ſpumant, febricitant, ſitiunt, aquam horrent, ſicut ipſe canis. Quin etiam in urinis ipſorum ſimulacra canum viſuntur, & in vulneribus morſu inflictis vermiculi naſcuntur cum caninis capitibus. Facillimè contagioſa hæc rabies contrahitur. Multi ſolo rabidi canis halitu illam contraxerunt. Alij ungvibus rabidi canis modicè læſi rabiem incurrerunt. Sartrix quædam chlamydis à cane rabido modicùm laceratæ filamenta dentibus extrahens, tertiâ die acta eſt in rabiem. Alij eodem malo correpti

Digitized by Google

repti ſunt ſolo ſputi ex ore canis rabidi contactu. Quidam dilectum ſuum caniculum rabientem priuſquam traderet carnifici, oſculans, hydrophobiam contraxit, & mortuus eſt. Gladius quo rabidus canis, multos ante annos fuerat confoſſus, etſi rubiginoſus, levi vulnere quendam volentem illum mundare, in rabiem egit. Refert Surius Commentario rerum in orbe geſtarum, in Ducatu Wirtembergenſi cauponem quendam hoſpitibus, carnes porci à rabido cane demorſi edendas parum hoſpitaliter propoſuiſſe, qui rei hujus ignari, poſtquam de illo comederunt, in rabiem verſi mutuis ſeſe morſibus laceraverunt.

Virus hoc in aliquibus ad quintum, ſeptimum, imò & ad duodecimum uſq; annum delituit. Curantur ejuſmodi patientes aſſo jecore canis illius qui momordit, aut pilis illius introſumptis & foris appoſitis, fluviatilium quoq; cancrorum cinere. Præſentiſſimum autem remedium eſt, præſertim initio, ſi in aquam quam ſummopere horrent, injiciantur, & per aliquod tempus in ea demerſi relinquantur, quo etiam remedio canes ab alio rabido cane demorſi, optimè curantur. Mirum, quòd ſi quis ab Hydrophobia ſanatus, intrà decurſum anni, corni lignum tangat, in morbum recidat.

III. Non modò canes ſed etiam leones, equi, muli, aſini, cameli, martes, ſimiæ, lupi vertuntur in rabiem. Quæ animalia tunc temporis vulnera ſimiliter venenata infligunt, ut de lupis frequenti experientiâ compertum eſt, quamvis id nonnulli attribuant ſerpentibus, qui in illorum renibus quandoq; reperiuntur.

Narrat Kircherus in Tractatu de peſte: hoſpitem quendam tribus Helvetis juvenibus felem rabidam inſtar cuniculi aſſatam in cibum dediſſe; hanc illi cum abſumpſiſſent, & itineri ſe poſt prandium accinxiſſent, omnes in rabiem acti felium more clamare cœperunt, manibúſq; ac digitis in ungvium felinorum morem incurvatis obvios quoslibet impetere. Capti & vinculis conſtricti intrà paucas horas interiêrunt.

Legimus puellam quandam Wratiſlaviæ ſolo ſanguinis felini hauſtu idem malum incurriſſe; cùm enim viſâ cujuſdam decollatione in Epilepſiam incidiſſet, alijs medicamentis nil proficientibus, prædictus ſanguis illi fuit propinatus; quo bibito felis naturam & mores induit, voce, ſaltu, aliiſq; geſtibus feles imitabatur, mures in ſilentio venabatur, eorúmq; foraminibus velut inſidians adſtabat.

Similiter qui felis cerebrum comederunt, felinam induunt naturam,

ram, felémq; voce, ſaltu, geſtu, veſtigijs, & murium ſilentioſâ venatione imitantur.

Cerebrum urſi devoratum gignit imaginationes urſinas, & facit hominem ſolitarium per montes & deſerta vagari.

Epoto ſangvine ferino ferini mores induuntur. Hinc etiam aliqui cenſent ſangvinis uſum in cibis olim à DEO fuiſſe prohibitum, ne homines ferarum ſangvine paſti contraherent feritatem, & poſtea nec humano ſangvini parcerent. *Gen: 9.*

Carnes animalium rapacium & ſilveſtrium eoſdem mores in homine generant. Lepus frequenter comeſtus facit menlancholicum. Laſcivientium animalium carnes reddunt laſcivos. Fructus horarij, & animalia brevioris vitæ frequentiori uſu vitam abbreviare creduntur. Quidam â gallo gallinaceo demorſus rabiem incurrit, & gallum pugnantem oculis minacibus imitatus, tertiâ die interijt.

A ſerpentibus morſi ſerpentum motus & gyrationes exprimunt. Icti â Tarantulis, earundem ſaltus imitantur. Sunt Tarantulæ aliæ virides, aliæ rubræ; omnes ſaltant auditâ Muſicâ, non tamen omnes eodem Muſicæ tono delectantur. Si quem momorderint, per ſolam Muſicam remedium quæritur; eâ namq; auditâ, homines ab illis demorſi, etiamſi jam ſemimortui videantur, moventur, ſurgunt, ſaltant, & ſaltando ſanantur. Ut verò ſciatur quænam muſica ægro ſanando, excitandóq; conveniat, quæritur cujus coloris fuerit Tarantula, quæ ictum inflixit. Deinde itur ad ſimiles Tarantulas, & tamdiu luditur, donec ejuſdem coloris Tarantula ſaltare incipiat, idémq; tonus infirmo adhibetur. Mirum etiam eſt, quòd qui â viridi Tarantula ſunt demorſi, viridia appetant; qui verò â rubra ſunt læſi, rubicundis delectentur. In urinis quoq; illorum ſpectantur tarantulæ; ſicut & in urina, & excrementis illorum qui puncti ſunt ab araneo, aliquid ſimile aranearum telis excernitur.

Serpentum & caprearum pingvedo contra vertiginem temporibus illinitur, geſtantur quoq; in capite, in hunc finem pileoli, ſeu mitrellæ ex talparum pellibus; hæc enim animalia non patiuntur vertiginem.

Dens humanus non eſt venenatus, unde agnellos morſu caſtrare ſolent opiliones; nec equinus; & tamen, quod mirum eſt, ſi aliquem irâ concitante, homo vel equus mordeat, vulnus venenatum infligunt.

Cauda ſcorpionis irati eſt lethifera, viventi ex improviſo amputa-

ta innoxium vulnus facit. Cornua tauri, dentes apri, aut lupi, ſi animalia illa irritentur, plagam maligniorem inferunt, quàm ſi caſu vulnerarent. Imò neq; ſerpentes aut viperæ ſunt venenatæ, ſi Zwelfero credendum, qui ſe ſcribit canibus & catis plurimas viperas devorandas exhibuiſſe, nec tamen quenquam illorum perijſſe. Quoties tamen hæc animalia furoris æſtro percita feriunt vel mordent, brevi miſerabiles in demorſo animali ſpectantur effectus. Illud mirum, vulnera quorumcunq; patientum aggravari, ſolâ illorum præſentiâ vel introitu, qui aliquando â cane, vel ſerpente læſi fuerunt ac demorſi. In Quitenſi Provincia dantur quidam angves bicaudati, â quibus ſi fuerit homo demorſus, ſtatim per omnia naturæ orificia, imò & per ipſos cutis poros ſanguinem emittit, nec longo poſt tempore moritur.

IV. Huc ſpectat cujuſcunq; contagionis, maximè peſtiferæ ſeminium, ſeu fermentum, quod cum aëre attractum, intrà corpus ſimilem gignit luem. Tale etiam fermentum habent febres quævis malignæ, quin etiam ſimplex tertiana febris, & quæcunq; alia intermittens. Scabies quoq; per contagionem ſerpit. Qui veſtibus ex lana ſcabioſorum animalium licèt tincta & præparata utuntur, ſcabioſi evadunt.

Omnium verò maligniſſima eſt peſtilis contagio, & ſepulta diu latet. Culcitra ſeptennio integro peſtis Seminarium fovens, tandem peſtilentiam denuo excitavit. Funes mortuorum cadaveribus adhibiti, ſupra triginta annos intrà terram deliteſcentes, in lucem extracti, peſtis contagium reſuſcitârunt, unde decem millia hominum abſumpta ſunt teſte Trincavella. Legimus etiam per canes, feles, imò & per muſcas peſtis contagium ab uno loco in alium ferri; & phlebotomo peſtiferis adhibito alios eſſe infectos.

Neq; hîc ſilendum eſt, quòd clavus ex tumba lignea, in qua cadaver computruit, arboris cujuſpiam trunco impactus, illam faciat ſi non perire, ſaltem ſterileſcere.

Sicut mortis ſeminium pluribus rebus eſt impreſſum, quod nonnulli putant Adamum, & omnes poſteros, in pomo illo vetito contraxiſſe, ità datur in rebus plurimis ſeminium vitæ. Tale fuit in arbore vitæ, tale lapidi Philoſophorum â nonnullis attribuitur; tale ſerpentes & dracones ex quibuſdam ſaxis, per hyemale tempus lambendo hauriunt, ut quædam produnt hiſtoriæ; tale pariter aquilis & cervis eſt inditum, quæ animalia diutiſſimè vivunt, & frequenter exuendo ſenectam, juven-

Digitized by Google

juventutem renovant. Tali medio ſenex quidam Tarentinus, quamvis fortaſſe inſcius, poſt centum vitæ annos, de ſene in juvenem tranſijt, pilis, cute, unguibus, & toto corporis habitu mutato, qui & quinquaginta annis adhuc ſupervixit.

Petrus Maffejus narrat, Indo cuidam nobili, intrà trecentos & quadraginta ætatis annos, juventutis florem ter exaruiſſe, & toties refloruiſſe. In novo orbe Inſula quædam eſſe ſcribitur Bonica nomine, in qua fons ſcaturit, cujus aqua pota ſenium cum juventute commutat.

Plurimarum herbarum, arborum, aliorúmq; vegetabilium, imò & animalium ortus nonniſi in occulta ſemina referri poteſt. Sinè viſibili ſemine creſcunt & propagantur: ſalix, ulmus, populus, fraxinus, adiantum, & aliæ capillares herbæ, ſcolopendria, filix, hepatica, parietaria, & mille fungorum genera. V.

Si terram virginem, hoc eſt nullius vegetabilis, animalis, vel mineralis, ſemine viſibili imprægnatam, ſub dio exponas, brevi videbis in ea plantas & animalia creſcere.

Herba quæcunq; minutim conciſa, & terræ commiſſa, producit herbam ejuſdem ſpeciei.

Pulvis polypodij trunco quercino injectus, magnam polypodij copiam producit. Sic raphani minutim conciſi & terræ commiſſi producunt raphanos. Fænum etiam aridiſſimum & exuccum, frequentibus imbribus maceratum & putrefactum, in uberem variarum herbarum ſegetem adoleſcit. Ex fimo animalium naſcuntur plurimæ plantæ, ob ſeminium herbarum devoratarum.

Legimus ex Hiſpani cujuſdam thorace arborem cum multis ramis & folijs excreviſſe. Ex alterius cujuſdam viri femore infantem productum & exectum fuiſſe. Spicam farris è naſo mulieris Aretinæ aliquando prodiiſſe, & hederam in cervino cornu enatam.

Conchilia contrita & in arenoſo loco ſeminata, cùm fuerint aliquo tempore aquis rigata, nova producunt conchilia. Si ſalem oſtreorum arenæ maris immiſeris, ingentem novorum oſtreorum ſobolem inde cum tempore prognaſci comperies. Anguillæ in putrilaginem coctæ, loco debito repoſitæ, in anguillas abeunt.

Serpens mortuus eſt ſeminarium novis ſerpentibus. Si namq; ſerpentem in minutas partes conciſum aquâ pluviâ maceres, & Soli ad aliquot dies exponas; deinde per diem & noctem ſub terra condas, exem-

ptæ partes microſcopio conſideratæ, innumeram ſerpentillorum copiam exhibebunt.

Similiter cancrorum fluviatilium cinis, in vaſe terreo cum modica aqua in loco humido detentus, intrà viginti dies innumeras atomos animatas exhibet. Quæ ſi ſanguine bovino irrorentur, in cancros paulatim commutantur. Scribunt aliqui, ſi cancro demantur chelæ, & corpus reliquum terræ mandetur, ſcorpionem inde prognaſci.

Ex Lumbricis ſiccatis, in pulverem contuſis, conchæ lateritiæ, terrâ pingui ac dulci impletæ impoſitis, & ſepultis, aquâ pluviali ſubinde rigatis, intrà tres aut quatuor dies novi lumbrici naſcuntur, & tota illa terra ſcatet novâ lumbricorum pullulagine. Apes naſcuntur ex ſtercore bovino, quæ etiam exenteratæ, in ultima corporis parte perfectam bovini capitis formam dicuntur exprimere. Latent ergo in illis excrementis apum ſemina, ex quibus evolutis, per microſcopium deprehenduntur, primò quidem quidam germinare folliculi, poſtea vermiculi, tandem apes prognaſci.

Ex paluſtri limo, vel quod melius eſt, terra paluſtri, in qua ſperma ranarum fuit, exiccata, & pulveriſata, Solis calori in vaſe quopiam terreo expoſita, manè interdum aſperſa, æſtivo tempore naſcuntur primò bullulæ, deinde ranunculi cum ſolis anterioribus brachijs, donec paulatim integri progerminent.

Ex mortuis ciconijs generantur ſerpentes; è gallinis araneæ; ex anatibus, inter duas patinas poſitis, & fimo reconditis, die tertio naſci dicuntur bufones; è muſcarum excrementis vermes carnibus infeſti. Stercus columbinum aut anſerinum urinâ hominis maceratum, pulices innumeros progignit.

Hippuris putrefacta in vermem tranſit. In ramis liburni putredine quadam infectis certa naſcuntur zoophyta.

In illorum cerebro, qui morbo Ungarico intereunt; vermes poſt mortem deprehenduntur. In peſte ac febribus malignis totus ſanguis eſt verminoſus. Nullum putridum ulcus, nulla impetigo vel ſcabies, caret vermibus. Pruritus naſi quem interdum ſentimus, â vermibus intrà poros deliteſcentibus cauſatur.

Kircherus gangrænæ cauſam in ſolos refert vermiculos, carnem rodendo corrumpentes, qui etiam ſcribit obſervatum fuiſſe, quòd unus talis vermiculus folio albæ chartæ impoſitus, ſpatio unius miſerere, alios

quinq;

Digitized by Google

quinq; produxerit; hinc eſt quod gangræna tam pernicioſa, támq; velociter ſerpat.

In omni caſeo, lacte, aceto, & carnibus quibuſcunq; lunæ per noctem expoſitis, vermes per microſcopium deprehenduntur.

Salvia per microſcopium inſpecta exhibet innumeras aranearum telas, unà cum ovis, & vivis araneolis, quorum etiam immenſam multitudinem ova illa leni calore fota excludunt. Ob hanc cauſam Salviæ folia nunquam niſi priùs lota uſibus humanis ſunt adhibenda. Sæpe naſcuntur in hominum inteſtinis ranæ, bufones & ſerpentes. Legimus catos & muſtelas in hominis ſtomacho progenitas; Item anſeres in utero cujuſdam fæminæ generatos. Sæpe ſerpentes aliiq; vermes in ovis gallinarum ſunt deprehenſi.

Viſus eſt aliquando Pragæ in deſtillatione ſpiritûs vitrioli cum ſpiritu vini, intrà recipientem, coluber quidam ex albo & griſeo variegatus, in gyros ſe contorquens, mansítq; duabus horis, in ſpiritum ardentiſſimum deinde reſolutus. VI.

In altiſſimis Veronenſium Alpium jugis non pauca conchilia reperiuntur. In litore Anconitano ſaxa è mari extrahuntur, quinquaginta & plurium librarum, quæ malleis confracta dant piſciculos delicatiſſimos, aliquando etiam viginti, ità ut ſinguli in ſingulis nidulis incubent, ſaxeo interſtitio ab invicem diviſi. Antverpiæ quidam Latomus bufonem vivum in medio marmore invenit. In Paphlagonia piſces è ſcrobibus effodiuntur. Mures ex terra ſæpe gignuntur, maximè in Ægypto, cùm Nili ceſſaverit inundatio, & ſol humum ab aqua madefactam calefecerit. Cernitur tunc interdum anterior pars muris cum ſuis pedibus jam eſſe formata, poſteriori nondum inchoatâ, ſed adhuc informi.

- - - - - - - & eodem corpore ſæpe
Altera pars vivit, rudis eſt pars altera tellus.

Naſcuntur & plurimi mures in navibus ſinè ſexûs propagine.

Æſtivis temporibus, ex terreo pulvere pluviâ conſperſo, ranæ ſæpius repente gignuntur. Bufones ex cœno prodeunt. Serpentes ex mulierum capillis, & ex ſpinali hominis medulla.

Expertum eſt pilos ex caudis equorum in aquam pluviam ſcrobibus exceptam impoſitos animari, & in longos atq; graciles vermes paulatim converti. Idem aliqui docent de jubarum ſetis fluenti aquæ impoſitis, quas dicunt tranſire in ſerpentes.

Ocimum tritum & in ſole poſitum ſcorpiones gignit; imò & ſolo ſui odoratu eoſdem in cerebro producit. Ex equino cadavere naſcuntur crabrones & veſpæ; ſcarabæi ex bovinis excrementis, formicæ ex pane melli mixto; angvillæ ex mortuo equo ſtagnis injecto, vel ex limi putrefactione; non enim eſt illis maſculinus vel fæmininus ſexus, nec habent ova vel ſemen, aut membra generationi dicata. Ità & plures alijs piſces & omnia generis oſtracei ex putrefactione gignuntur.

Anates ſcoticæ naſci dicuntur ex lignorum quorundam putrefactione. Pediculi generantur ex carne hominis, quorum certæ ſpecies certis animalibus ſunt ſingulares. Fuit quidam, qui artocreata, & farcimina ex humanis carnibus conficere ſolebat, quæ cùm aliquando paucis ſervata diebus, pediculis ſcatere deprehenderentur, authorem ſceleris prodiderunt. Ità & cimices ex humano ſudore gignuntur.

Multi mirantur, quomodo lapides in diverſis corporis humani partibus concreſcant. Mirabiliorem vim habent aquæ lapidificæ, quæ ſolo contactu ramos & ligna in lapides convertunt. Inventum eſt aliquando cerebrum bovinum petrefactum; Item humani renes toti lapidei. Jam ad alias quoq; ſtupendas qualitatum impreſſiones tranſeamus.

VII. Si medicamentum ſomniferum contrarijs motibus, in mortario, piſtillo circumagas, eaſdem ſpecies cerebro ſumentis imprimet, & inquietus ſequetur ſomnus; æqualiter ergo, & eodem continuo motu teri debet.

Eſula, ebulus, ſambuci extremitates, aſari folia ſurſum extracta & decerpta per vomitum, deorſum verò per ſedem purgant. Sic etiam artemiſia rubra ſurſum versùs abſciſſa menſes ſiſtit, promovet autem ſi fiat ſciſſura deorſum. Pomum quoq; miſniacum ſi decorticetur florem versùs, alvum laxat; ſi ſtylum versùs, obſtruit. Mirabile quid etiam narratur de tegmine ſeu pelle plumoſa vulturis, quæ modicùm elaborata & ventriculo impoſita illum dicitur mirè confortare, & ſi externæ plumarum cuſpides ſitu naturali deorſum verſæ teneantur, alvi fluxum ſiſtere; ſi verò ſurſum, vomitum compeſcere.

Surculi arborum truncis inſerendi ſurſum versùs abripi debent ex arboribus; ſi enim deorſum abſtrahantur, arbores non in longum, ſed magis in latum creſcunt. Quòd ſi dum inſeruntur, ad terrã cadere permittantur, arbores ex illis progenitæ fructus caducos proferunt.

Plum-

Plumbum liquatum ſcutellæ ligneæ capiti ſuperpoſitæ, & aquâ ſemiplenæ injectum, dolores capitis acutiſſimos curat. Eandem vim habet aqua, in qua carbones extincti fuerint, capiti circumligata; Et forfices agnis tondendis deſtinatæ, ſub ægri pulvillo repoſitæ.

Carbones poſt ignitionem ſuffocati fumo ſuo ſuffocationem inducunt. Similiter piſces poſt cocturam inter patinas concluſi, ità ut nequeant evaporare, eſu ſtrangulationem inferunt.

Lapis â cane iracundo morſus, & in medium Convivarum projectus rixas excitat. Dens lupi, quod eſt valde audax animal, collo infantum appenſus pavores illorum fugat. Ori quoq; infantium ſæpe inditus generationem dentium facilitat, quia lupo facillimè, & abſq; ullo dolore naſcuntur dentes.

Plevritide laborantes curantur lanionum cultro, quo animalia occidi ſolent, potui immerſo. Eodem cultro appreſſo, partes contuſæ â tumoribus præſervantur. Narratur etiam de globo ſclopetari, quo animalia ſunt occiſa, quòd tundendo dilatatus, & tumori cuicunq; etiam oſſeo impoſitus, illum reprimat. Pellis ovis â lupo dilaniatæ, ſi nudo corpori adhibeatur, pruritum excitat.

Huc ſpectant miræ gemmarum quarundam facultates. Moyſes VIII.
Legiſlator, ſi Joſepho & Euſebio credendum, duos annulos amoris & oblivionis habuit; annulum oblivionis dedit uxori Æthiopiſſæ, cùm in Ægyptum regredi vellet.

Huc etiam referri poteſt vis humanæ imaginationis. Cruciabatur quidam diutino & aſſiduo capitis dolore, quem dolorem ex mori eſu ſe contraxiſſe aſſeverabat. In capite defuncti repertus eſt lapis, figuram & magnitudinem mori ad amuſſim repræſentans. Aliqui purgationis tantùm factâ mentione purgantur. Peſtem apprehenſione ſolâ contrahi plurimis comprobatur exemplis. Qui fulmen timent, citiùs tanguntur â fulmine; hinc dormientes dicuntur eſſe ſecuriores, quia timoris ſunt expertes.

Quid hic dicam de materna imaginatione? quæ fætui rem imagi- IX.
natam mirabili quodam modo imprimit, ut jam ſupra vidimus. Pecudes diſcolores produxit Jacob virgis populeis & amygdalinis decorticatione variegatis, circa canales è quibus greges bibebant, diſpoſitis, in quarum aſpectu oves concipiebant.

Equi varij naſcuntur, ſi equilia in quibus coeunt, tapetibus varijs

& multi-

& multicoloribus contegantur. Pavones aliæq; aves albam dant ſobolem, ſi cubicula in quibus coeunt vel ova fovent, albis lineis undiq; velentur. Columbaria nonnulli pannis purpureis veſtiunt, ut columbæ pictæ naſcantur. Canes villoſi gignuntur, ſi locus in quo jacent, coeunt, & verſantur, pecudum velleribus ac pellibus ſternatur. Plura de imaginatione Matrum ſuperiùs jam dicta ſunt. Nunc ad miracula naturæ figurantis tranſeamus.

X. Rhegio Calabriæ oppido adjacet Mare Mamertinum, ſive fretum Siculum, quod dum Sol ferventiſſimus urit, mira in aëre vaporoſo ſpectacula conſpiciuntur: jam caſtella, palatia, & ædificia; jam columnæ longo pulchróq; ordine diſpoſitæ; jam ſylvarum tractus, arborum ſpecioſi ordines, immenſi campi, hominum turmæ, boum armenta, ovium greges, omnia tantâ colorum varietate in aëre expreſſa, & tam vivis geſtibus repræſentata, ut nihil ſimile humanâ induſtriâ produci poſſe videatur. Spectaculum hoc incolæ Morganam vocant.

In ſemicongelata cujuslibet aquæ ſuperficie varia ſpectantur lineamenta & ſtriæ, arbores, domus, campi ſinè ulla lege, quæ non apparent, ſi gelu aquam profundiùs penetraverit.

Deprehendi aliquando in feneſtrarum orbiculis, ex vaporibus ibidem congelatis flexuoſas quaſdam arborum frondes, certâ lege, âtq; figurâ elegantiſſimè delineatas.

Si albumen ovi recentis, prout ex fracto cortice excidit, excluſo vitello, in vitrum plenum aquâ, ſive ſimplici ſive croco modicùm tinctâ injeceris, & aliquantulum quieſcere permiſeris, albumen quod initio tanquam gravius fundum aquæ occupabat, in varias viſu formas, per totam aquam ſe digeret, eò perfectiùs, quò diutius ſteterit; donec ſubingrediatur putrefactio.

Si poſt deſtillationem ſpiritûs, & olei Therebinthinæ, reliquum quod manet in retorta repente ab igne deponatur, & manibus infernè admotis paulatim tractetur atq; moveatur, uſq; dum frigeſcat, dicitur pulchram abietum ſylvam repræſentare.

XI. Jucunda & admiranda eſt herbarum palingeneſia, ſeu regeneratio, & pulverum ex herbis confectio, quibus igni lento & modico applicatis, ſubitò ejuſdem ſpeciei herba exurgit, cum ſuis omnibus coloribus & lineamentis, quæ igne amoto iterum in ſuum chaos relabitur. Hac fortaſſis arte Albertus Magnus aliquando Coloniæ, mediâ hyeme fecit, ut arbores

Digitized by Google

arbores florerent; & herbæ germinarent. Idem in animalibus quidam ſe dicunt expertos. Conficiunt aliqui præfatos pulveres ex vegetabilium ſalibus optimè depuratis, & ſpiritu ſuo vegetabili imprægnatis. Mira enim vis latet in ſalibus. Jam ſupra vidimus herbas poſt cineres ſuos in terram ſparſos propagari. Cinis cancrorum maceratus exhibere dicitur imagines cancrorum; ranarum pariter effigies, aqua ex ſpermate ranarum diſtillata & ſali earundem permixta. Sali petræ attribuenda eſt univerſa agrorum fertilitas, ex quo adjectis quibuſdam cineribus, aliiſq; rebus confici ſolent pulveres, quibꝰ ſuperſperſis agri aut vineæ fœcundantur, decocta quoq; fieri, quibus imprægnata frumentorum grana, mirè poſt ſationem multiplicantur.

Lixivium ex urticarum cineribus confectum & congelatum, figuras urticarum pulcherrimas in ſuperficie repræſentat. Docet quidam in naturæ ſecretis verſatiſſimus, candidam & dulcem aquam ex mineræ biſmuti nullum adhuc ignem expertæ, novem circiter libris, per retortam ſecundùm gradus ignis, horarum duodecim ſpatio deſtillare. In hanc aquam ſemel vel iterum rectificatam, ſi quamcunq; plantam, unà cum radice ſua totaliter arefactam, ità ut in pulverem teri poſſit, ſolùm quoad radicem immittas, ibidémq; relinquas horis tribus aut quatuor, planta illa de novo vireſcet, quaſi tunc primum de terra eſſet orta. Si quantitatem hujus aquæ infundas in vitrum, eidémq; addas aquam ex aliqua herba deſtillatam cum ſale ipſius, deinde reſiduum aquâ priori uſq; ad ſummum impleas, videbis cum admiratione, intra duos aut tres dies creſcentem inter medias aquas eandem plantulam, ex qua ſalem & aquam deſumpſiſti. Libra ejuſdem aquæ vitro infuſa, ità tamen ut tertia pars vitri vacua ſit, ſi clauſa diligenter in loco quieto aſſervetur, ſemper in pleniluniis augetur. In Noviluniis autem non tantùm partem illam quæ accreverat, ſed etiam aliam de prima quantitate amittit.

Libet hîc etiam modum adſcribere, quo debitè obſervato, herbæ cujuſcunq; regenerationem aliqui experientiâ docti promittunt: accipiunt maturum plantæ cujuſcunq; ſemen, ídq; ſereno Cælo ſub dio collectum, & in mortario vitreo contuſum, cucurbitæ vitreæ injiciunt, cujus longitudo plantæ longitudini reſpondeat, quæq; orificium habeat anguſtum, ità ut ſigillari poſſit. Cucurbitam obturatam, nè quidquam evaporet, aſſervant, donec veſperâ ingruente cœlum videant eſſe diſpoſitum ad fundendum nocte rorem. Quibus obſervatis, contuſum

O ſemen

Digitized by Google

ſemen tabulæ vitreæ imponunt, & hanc in prato vel horto amæniſſimo paropſidi impoſitam, nè quid perdatur, ſub dio collocant, ut cadat ros ſuper ſemen, illúdq; humectet. Interea roris Majalis aliquot menſuras colligunt; madidum verò rore ſemen ante ſolis ortum recondunt, nè ſol oriens filium ſuum repetat. Rorem collectum filtrant, deſtillant, donec nullas amplius relinquat fæces; ex fæcibus verò calcinatis ſalem extrahunt, quem in rore deſtillato ſolutum ſemini affundunt ad eminentiam trium digitorum. Colligato poſtea vitri orificio, nè quid expirare poſſit, commodo quodam loco tepido illud recondunt; & aliquot elapſis diebus apparet ſemen inſtar glareæ vel mucilaginis; ſpiritus verò ſupernatans ſtrias accipit, apparétq; inſtar cuticulæ verſicoloris; intrà cutis verò & terræ glarealis ſpatium ros ex natura ſeminis ſaturatæ viridis videtur. Vitrum ſigillatum ſolis lunæq; radijs exponunt; pluviali verò aëre in hypocauſtis aſſervant, donec omnia ſigna fuerint completa. His peractis materia erit parata, adhibitóq; leni calore, effigies ac Idea quædam exurget, plantam exactè referens, de qua ſemen fuit depromptum; eadem verò, calore remoto, iterum evaneſcet.

Quin etiam in corpore humano palingeneſia locum habere videtur: experti ſunt aliqui in recenti humano ſangvine ſpiritibus adhuc turgido, quem cucurbitâ exceperunt, ad ſpiritum vel aliud medicamentum inde parandum, varias humani corporis Ideas, imò & phantaſma quoddam humanum, mugitum quendam edens, non ſinè terrore adſtantium, teſte Borello; qui etiam docet, poſſe in phialis, licitâ necromantiâ, patrem, avum, atavum, totámq; proſapiam, umbratili quadam reſurrectione in lucem revocari cum proprijs figuris, modò eorum cineres, oſſáq; ſerventur. Fides ſit penes authorem. Quod ſi contingit, non tam homo quàm hominis Archæus reſurgit, cui tamen deeſt actus ultimus, anima videlicet rationalis, nullum ideale ſui eſſe præſupponens in hac univerſi materia.

Huc etiam referri debent arbores metallicæ, ſeu Philoſophicæ, pulcherrimis frondibus & fructibus exornatæ, quæ ex argento, & alijs mineralibus, arte chymicâ in vitro producuntur; figuræ ſalium, nix hexangula, grando uniformiter figurata.

In Cuba Inſula omnes ſilices ſphæricam figuram repræſentant, ut etiam videatur ope circini nihil poſſe fieri rotundius.

XII. In Mansfeldenſi Saxoniæ Comitatu, prope Eislebiam, eruitur lapis

pis niger fiſſilis, qui diſciſſus varias repræſentat formas, angvillarum, ranarum, gallorum, ſalamandrarum, præſertim verò piſcium, qui in vicino lacu ampliſſimo reperiuntur, omnia exactiſſimè expreſſa. Inventi ibidem ſunt aliquando duo lapides, qui bina planiſphæria, aſtronomicum, & geographicum impreſſa habebant, cum omnibus aſteriſmis, circulis, lineamentis, regionibus, accuratiſſimo naturæ artificio delineata. Inventus eſt ibidem lapis alius habens ex una parte ſummi Pontificis effigiem cum tribus thiaris; ex altera verò Martini Lutheri formam exhibens.

Athanaſius Kircherus ſcrutator naturæ ſolertiſſimus, in ſilicibus ex Tolfenſi lapicídina erutis, integrum alphabetum, literis vario venarum ductu formatis aliquando extraxit; Item aliâ vice omnia figurarum geometricarum ſchematà.

Pyrrhus Rex Achatem habuit, in quo novem Muſæ cum ſuis inſignibus, & Apolline cytharam tenente ſpectabantur, non arte ſed naturæ vi expreſſæ. In alio Achate perfectum crucifixum natura ſemel depinxit, in alio circulos Cœleſtes unà cum ſtellis, in quodam alio urſæ majoris conſtellationem, in alio nomen Chriſti.

Nihil ferè eſt in Mundo, quod natura in Jaſpide non exprimat, urbes, ſylvas, flumina, campos, animalia, flores. Myrmecites lapis innatam repentis formicæ habet effigiem; ſcarabæorum, Cantharias; Taos, Pavonis.

In quodam Hiſpaniæ campo Clavigii nuncupato, reperiuntur lapides, enſibus, lanceis, equorum veſtigiis, columbarum figuris inſigniti. In quodam Aragonenſis regni agro lapides olivarum effigiem perfectè oſtendunt.

Lapis quidam in agro Tyburtino viſus eſt ſequentibus literis inſcriptus I N R I. In quibuſdam marmoribus inventæ ſunt figuræ Crucifixi, Item Virginis Lauretanæ. In quadam ferri minera effigies ejuſdem Beatæ Virginis cum Filiolo.

In regno Granatenſi poma quædam reperiuntur, quæ inciſa, ſingulis inciſuris Crucifixi reddunt imaginem. Idem aliquando viſus eſt è radice Crambes, â natura perfectiſſimè formatus. Flos Granatillæ in foliis ſuis Dominicæ paſſionis inſtrumenta repræſentat.

In filicis radice certâ lege ſecta, apparet aquila Imperialis, ſimiliter

Digitized by Google

ter in angulo teſtæ cancrinæ. Inventa eſt aliquando figura illius exactiſſima in polypodio.

Truncus cujuſdam arboris cuneo diſſectus, in interiori facie ſequentia verba Danica latinis literis expreſſa ſemel oſtendit: IENS HAMERS HOLTER AFF KONGEN ARBEDT FOR ENTIFF.

Dantur quædam Orchidum ſpecies, in quarum floribus mirabiliter natura ludit; aliqui enim humanum corpus ad amuſſim figuratum exhibent; alij per totum minutiſſimis humanæ figuræ imagunculis ſunt contexti; alij avem, ſimiam, cercopithecum, Delphinum, noctuam, apem, veſpam, muſcam, papilionem, culicem, cimicem, locuſtam, leonem, bovinum caput repræſentant.

Viſus eſt aliquando fungus arbori cuidam adnatus, ſex hominum corpora referens de ipſo naſcentia. Radices raparum, bryoniæ, & mandragoræ, non ſolùm arte, ſed etiam naturâ, hominum figuras ſæpius æmulantur. In cujuſdam corde poſt mortem repertum eſt oſſiculum amygdali formâ, genuinam & expreſſiſſimam demortui effigiem oſtendens.

In portu Mongiæ, excreſcentes marini fluctus, dum in ſaxa offendunt, cruces & balliſtas perfectiſſimè ſculptas in illis formant. quæ detumente pelago, effigiatæ apparent; rurſus verò die ſequenti æſtus maris omnes delet, & in aliis rupium partibus alias ſculpit iterum delendas.

Saxa quædam Ruſſiæ, hominum, camelorum, & aliorum pecorum effigies repræſentant. In medio mari ſeptentrionali ſcopulus eminet, Monachum cucullatum perfectiſſimè exprimens.

In Inſula Meſitenſi ex quodam eminenti præcipitio rupes dependet, æmulatúrq; figuram hominis togati è præcipitio ſuſpenſi.

Juxta ſpeluncam Bethlehemiticam effigies S. Hieronymi in quodã ſaxo repræſentatur. Montes quidam triremem, alij hominem equitantem, alij Bacchum dolio inſidentem mentiuntur.

Apud Chilenſes mons quidam ſmaragdis & turcheſijs refertus, ac ejuſmodi lapidum vario ſplendore depictus, ſi eminus ex certo & conſtituto loco ſpectetur, exhibet in ſui concavo imaginem Beatæ Virginis cum filiolo in brachijs, mirâ colorum varietate & elegantiâ depictam.

XIII. Huc demum ſpectant vites aureæ â natura progenitæ, vel ſaltem cum granis acinorum aureis; arbores argenteæ cum ramis pariter argenteis;

Digitized by Google

teis; Item Hypocentauri, Onocentauri, Satyri, Harpyjæ, Sphynges, Trithones, Syrenes, & alia quàm plurima monſtra, ex diverſa ſeminum commixtione ortum ducentia.

Nullum eſt ferè animal in terra vel aëre, quod mare ob ſalis ingeniti fæcunditatem in piſcibus non exprimat. Reperiuntur ibi canes, porci, equi, aranei, ſacerdotes cum ſacerdotalibus, Epiſcopi cum Epiſcopalibus inſignijs.

Anno 1563. ejectus eſt ad litus Ceytanum cetus monſtruoſus naturæ artificio pictiſſimè variegatus. Cujus latera multarum triremium figuras exhibebant, cum earum remis, malis, antennis, velis, funibus, nautis, tormentis bellicis, aliiſq; inſtrumentis, quarum etiam aliquæ inter ſe commiſſæ præliari videbantur.

Noſtro etiam ſæculo in Viſtula fluvio Poloniæ captus eſt piſcis, in cujus tergo expreſſum fuit tormentum currule ſuis rotis innixum; in pinnis globi tormentarij, ad latera utrinq; prælongæ haſtæ. Prætereo hîc alia innumera ejuſmodi exempla.

Imprimit innumeras rebus natura figuras,
Ipſum etiam toto pingit in orbe Deum.
Diſce Creatorem, quantâ non præditus arte?
Qui nobis tantam condidit artificem.

CAPUT X.

Multi hæc naturæ magnalia refellunt, quia rationem illorum reddere non poſſunt.

N*On ideo negandum eſt quod apertum eſt*, inquit S. Auguſtinus, *quia comprehendi non poteſt, quod occultum eſt.* Faciunt tamen hoc paſſim complures tam docti quàm indocti, qui naturæ magnalia ingeniolo ſuo metiri præſumentes, audent ea omnia, quorum cauſa ipſos latuerit, falſa & commentitia pronuntiare. *Hoc eſt enim ingeniorum multorum*, ait Ludovicus Vives, *ut tantùm credant quæ ipſi ratione aſſequuntur, cætera pro fictis repudient. Quin & eò veſania quidam processerunt, ut cordatos ſe habitum iri, & circumſpectos homines exiſtiment, ſi fortiter nihil credant, niſi quod videatur.* 1. *in lib: 21. de civit: S. Auguſt: cap: 5.*

deatur. Secreta vel natura, vel Dei, irriſu & aſpernatione vultûs proſequantur. Quorum etiam aliqui ex eo præcisè audent negare, non eſſe dabiles plures, quàm quinq; ſenſus externos, quibus animalia de facto ſunt prædita, quia illis non apparet qualis ille ſenſus eſſe deberet, qui non eſſet ex his unus. *Hæc eſt eorum tota ratio*, inquit S. Auguſtinus, *ut quod experti non ſunt, nequaquam poſſe eſſe arbitrentur.*

de Civit: ibid: cap: 3.

Verum quidem eſt, quòd multarum rerum, quæ ab authoribus ſcribuntur, falſitatem experientia detegat. Sic non obſtante quòd à pluribus dicatur & ſcribatur, hominem ſi priùs à lupo videatur raucеſcere, Scaliger tamen contrariam allegat experientiam: *utinam*, inquit, *tot ferulis caſtigarentur mendaciorum aſſertores iſti, quot à lupis viſi ſumus nos ſinè jactura vocis.* Ità etiam creditum eſt, genimina ſeu proles viperarum maternos ventres exedere, quod idem Scaliger affirmat eſſe falſum, additq; ſe vidiſſe in cujuſdam Circulatoris theca lignea enatas vipetillas parente ſalvâ, unde vult etiam viperas non ideo dici, quod *vi* ſed quod *vivum* pariant. Tranſeat quòd ſimilibus fides negari poſſit, ſi experientia refragari videatur; quamvis ob latentes cauſas poſſit aliquando contingere, ut effectus alioquin ſolitus impediatur; reprobare autem aliquid, quod experientiâ non fuerit ante probatum, ex eo præcisè quòd ejus ratio intellectum lateat, videtur abſurdum & Philoſopho indignum.

Quærunt ex quibus cauſis aut veſtigijs hæc & ſimilia in gremio naturæ adeo recondita exquiri aut deprehendi potuerint? quis primus illa eruerit? reſpondeant illi, quis primus ſignorum Zodiaci differentiam, aliorúmq; ſiderum naturas, planetarum curſus, Cœleſtis ſphæræ circulos, terræ Zonas, & climata invenerit? ex quibus cauſis vel ſignis illa deprehenderit? nec enim ætas vetuſtiſſimi Mathuſalem; & ſagaciſſimum quodcunq; ingenium ad eorum inventionem pertingere potuiſſet. Ego arbitror pleraq; ex hîs naturæ magnalibus protoparenti noſtro, aliiſq; Patribus ante diluvium fuiſſe revelata, plurimorum quoq; ſcientiam Salomoni fuiſſe infuſam. Ab his eorum notitiam, non ſolùm per ſcripta, ſed etiam per vivam traditionem ad poſteros perveniſſe. Quamvis etiã humanum ingenium multa potuerit inventis addere.

11. Alij experientiâ convicti, cùm miraculoſos illos effectus negare non poſſint, recurrunt ad cauſam hyperphyſicam, & ſolius Dei potentiæ illos attribuunt; veluti ſi quis igni potentiam ſtupæ combuſtivam nega-

negaret, aſſerens Deum ad ignis præſentiam & applicationem, ſtupam comburere. Sed hoc eſt Philoſophi parum ingenui. Et illi qui ad Deum ſic confugiunt, non tantùm naturæ ſunt injurii, ſed etiam ipſius Dei minuunt honorem, cujus ſapientia, potentia, & Majeſtas magìs honoratur & clarificatur, dicendo tales eum condidiſſe rerum naturas, quæ admirandorum effectuum ſint principia, quàm ſi hæc omnia per ſe ipſum abſq; cauſarum ſecundarum concurſu perageret. Sic enim non eſſent tot rerum naturæ & proprietates, quæ gloriam Dei nobis enarrarent. Nec tantopere miraremur hæc Magnalia, quantopere nunc miramur, ſi à ſolo Deo immediatè procederent. Per hoc etiam, quòd effectus aliquis naturæ attribuatur, Deo minimè tollitur, qui eſt omnis naturæ fons & principium, non tantùm in eſſendo, ſed etiam in operando.

Ipſe Deus in multis potentiæ ſuæ operationibus naturæ ſe accommodat, & mediis eidem familiaribus utitur. Sic ut Iſraëlitis aquam dulcoraret in deſerto, Moyſi lignum oſtendit, quo immiſſo dulces redderentur. *Exodi 15.* Sic per Eliſæum farinâ aſperſâ correxit pulmenti amaritudinem, *4. Reg: 4.* & aquas Jerichuntinas ſale injecto ſalubres reddidit, ut non eſſet *4. Reg: 2.* in eis ultra mors, neq; ſterilitas. Sic per Iſaiam Ezechiæ Apoſtema, *Ibid. c. 20.* maſsâ ficorum appoſitâ ſanavit. Sic Tobiæ felle piſcis oculis applicato *Tobiæ 8.* viſum reddidit, & dæmonium jecore ſuffumigato fugavit. Sic etiam in *& 11.* carne apparens, & cæcum illuminans, oculos ejus, luto ex terra & ſaliva *Joannis 9.* facto linivit. Sive jam præfati effectus naturali rerum virtuti adæquatè ſint attribuendi, ſive non.

Sunt iterum alii, qui naturæ mirabilia, quorum cauſas attingere III.
non poſſunt, dæmoni attribuunt. Qui etiam proculdubio lingvulæ magneticæ dæmonem inſidere crederent, ſi hodie primùm è naturæ penetralibus compaſſi & magnetes eruerentur; riderent etiam ſi audirent ignem per aquam frigidam poſſe accendi, niſi hanc vim per radiorum ſolarium collectionem, in vitro aquâ pleno ante vidiſſent; Sicut æmulatores Columbi ridebant ovũ poſſe in plana ſuperficie ſuper cuſpidem ſinè ullo adminiculo immotum conſiſtere, quod quidem ille ſinè arte præſtitit, cuſpide ovi parumper fractâ; hodie verò artificioſiùs præſtatur, ovo ad confuſionem vitelli & albuminis per aliquod tempus antea bene concuſſo. Sic plurima noſtris temporibus creduntur certa & naturalia, quæ olim dæmonum ope fieri aut falſa eſſe credebantur. Tranſeat quòd ad effectus hominibus noxios & exitiales, non tantùm ut cau-

la

ſa moralis, ſed etiam ut phyſica dæmon concurrat, aliud cenſendum eſt circa effectus humano generi utiles, per quos ſanitas mentis vel corporis, aut alia bona à mortalibus obtinentur. Non eſt enim credibile dæmonem ad ſimiles effectus concurrere, qui humano generi bona omnia invidet.

Dices, favet homini bona temporalia, ut animam ejus lucretur. Reſpondeo: dæmoni animam in ſpolium non cedere, dum homo naturalibus utitur mediis, ad producendos quoſcunq; mirabiles effectus, excluſâ omni malâ intentione.

Replicabis, effectus illi non ſunt naturales, vel ſaltem eſt dubium, an ſint. Unde probas non eſſe naturales? utrum ex eo quòd illorum cauſa te lateat? an propter capitis tui hebetudinem & cerebri ſtupiditatem natura dicenda eſt infæcunda & ſterilis? Verum eſt quod nec ego demonſtrare poſſim eſſe naturales, tales tamen præſumi debent, quamdiu nihil in contrarium obſtat. Sint dubij; conveniunt tamen graviſſimi authores in hoc, quod in dubio an effectus aliquis ſit ſuperſtitioſus, an verò naturalis, benigna fieri debeat interpretatio, cùm poſſeſſio ſtet pro natura. Non enim nobis omnes viæ ejus compertæ, neq; aditus intercluſus ad eas inveſtigandas, aut facultas bonis ejus utendi prohibita, ex ea ſolùm ratione, quod cauſa, modúſq; illorum nos lateat. Alioquin dæmoni infenſiſſimo generis humani adverſario egregia daretur anſa, optima quæq; naturæ bona in dubium revocandi & corrumpendi, quod quidem ſæpiùs facit inutiles & ſuperſtitioſas cæremonias, conditiones, & circumſtantias mediis naturalibus admiſcendo, ut ſic nos ab eorum uſu penitus arceat, & abſterreat. Deinde mihi non eſt dubium, ſed probabiliſſimum, effectus illos eſſe naturales; probabiliſſimum inquam, non ſolùm probabilitate intrinſecâ, quia per cauſas naturales clarè ſatis explicari poſſunt, ſed etiam extrinſecâ, quia viri ſapientiſſimi ac devotiſſimi pleroſq; illorum admittunt eſſe naturales.

IV. Si quis tamen adhuc in ſimilium proba ſeu praxi ſcrupulum haberet, & videretur ipſi tutior in iis pars eligenda, nè periculo dæmonis operâ utendi ſe culpabiliter exponat, is ut omnino ſecurè procedat, proteſtetur ante omnia, ſe dæmonis auxilio vel operâ uti nolle, & renuntiet omni pacto, ſi quod ſubeſſe ſuſpicatur. Quod ſi tunc effectus nihilominus accidat, jam non diabolo, ſed naturæ adſcribendus erit. Non enim eſt credibile dæmonem ad effectus homini utiles & ſaluta-

res

res unquam concurrere, quoties nullam animam peccato videt illaqueari.

Reijciunt quidem aliqui hanc proteſtationem, veluti ridiculam, & actui, cui adhibetur contrariam; qualis quidem omnino eſſet, ſi pro certo conſtaret Dæmonis operam intervenire, & hanc vel illam conditionem ex pacto ipſius eſſe præſcriptam; illam namq; adhibere omnino eſſet illicitum, non obſtante quavis proteſtatione. Quamdiu verò nihil evidenter in utramq; partem conſtat, licitè conditiones applicantur, præviâ ut dixi proteſtatione, ſeu abjuratione pacti omnis impliciti.

Nec magìs cavere debemus, ne dæmonis operâ execrabili neſcientes utamur in rebus alioquin indifferentibus, quàm ne ſacramentales formas, quas revereri debemus, ad res indifferentes adhibeamus, & ſinè ſacramentali effectu proferamus. Similes tamen illarum prolationes excuſat proferentis intentio, ſicut etiam applicationem materiæ dubiæ ad effectum ſacramentalem, voluntas ſacramentum adminiſtrandi conditionata, ſi videlicet materiæ valor ſubſiſtat. Similiter ergo licitum erit media quædam ad effectus alioquin licitos adhibere, tametſi dubitetur an diabolica ſint, an naturalia, modò adhibeatur conditionata intentio nolendi effectum, ſi vel in minimo dæmonis auxilium intercurrat.

Quin imò ſunt qui putant eſſe licitum in manifeſtis ſuperſtitionibus effectum experiri, præviâ proteſtatione, utì feciſſe leguntur Cajetanus, Kircherus, & Cardinalis de Lugo, quorum primus non dubitavit ſuperſtitioſa quædam verba ex ſacra ſcriptura uſurpare, præviâ proteſtatione ad quendam effectum, qui tamen non ſecutus eſt. Poſteriores duo ſimiliter proteſtati experimentum fecerunt, an jaſpis vel annulus, horas, quarum diſtributio purè ab hominum voluntate pendet, ictu vitri naturaliter monſtrare poſſit. Si hoc licet in illis effectibus, quos â Dæmone fieri ſi non eſt evidens, ſaltem probabiliſſimum, quantò magìs licebit in aliis, quorum cauſas ſi non certas omnino, ſaltem veriſimiles intrà naturæ gremium poſſumus aſſignare?

Vide fuſiùs de his manualem quendam tractatum de ſympathia, ejúſq; effectibus, ſub nomine diſquiſitionis Phyſico-Theologicæ, cujus author contra operum ac principiorum naturalium hoſtes meritam fert cenſuram, ſequentibus verbis: *qui natura activitatem ſui captûs exilitate metitur, Deo authori natura injurius eſt. Qui opera ſibi incom-*

Digitized by Google

perta damnat, prope blaſphemus. Qui alios ab eorum uſu ex vana formidine arcet, invidus, ac dæmonis æſtro ſubſervit.

Sed cur prævià etiam proteſtatione uni quandoq;, non alteri ſequitur effectus? vidi ſæpiùs virgas ex corylo in aliorum manibus adeo violentè ad metalla fuiſſe inflexas, ut fuerint confractæ, quæ tamen in meis manibus nec minimum quidem motum ediderunt. Dicendum in ſimili caſu, homini huic vel illi qualitatem ſeu virtutem quandam ineſſe, virtuti naturali rei applicatæ antipathicè oppoſitã, quâ virtus tractiva metalli, quam aliàs habet virga coryli, ità ligari poteſt, ſicut in magnete virtus ferri tractiva ligari dicitur allio & adamante. Magnæ profectò ſunt in uno & altero homine ſingularitatum differentiæ. Plurimis comprobatum eſt experimentis, medicamentum aliquod vel emplaſtrum ab uno porrectum & applicatum juvare, non ab altero.

Quid ſi etiam diffidentia multas quandoq; naturæ operationes impediret? Audaces & fiducialiter agentes non ſolùm fortuna, ſed etiam natura juvat. Certum eſt ægrum medicinis diffidentem non multùm illis adjuvari, & medicum timidâ manu *Recipe* aliquod præſcribentem raró effectum deſideratum conſequi. Omitto hîc alias cauſas tam univerſales, quàm particulares, â quibus ſoliti naturæ effectus impediri poſſunt.

V. Si aliqui poſt hæc omnia nondum ſibi perſuadere poſſunt, ſympathicos, antipathicos, magneticos, & alios mirabiles effectus, quorum exempla ſuperiùs copiosè retulimus, eſſe naturales; Is conſideret alia in hoc univerſo longè mirabiliora, quæ tamen credit naturæ vim non excedere, nec ſolum Deum, aut diabolum pro authore illorum adſtruit.

Videmus nidos hirundinum, bombycum texturas, telas aranearum, apicularum favos, & multa alia beſtiolarum opera, nullo imitanda hominum artificio. Videmus tot rerum in hoc Mundo ſpecies, tot naturas & admirandas proprietates, volatilium, terreſtrium, & aquatilium, & in qualibet illarum ſpecie tantam individuorum varietatem, ac differentiam. Videmus quotidie innumera, & pene infinita *Dei miracula quibus totum Mundum regit, univerſámq; creaturam adminiſtrat. Hæc tamen nobis* (ut ait S. Auguſtinus) *aſſiduitate viluerunt, ità ut pene nemo dignetur attendere opera Dei mira & ſtupenda in quolibet ſeminis grano. * Majus miraculum eſt gubernatio Mundi, quàm ſaturatio quinq; millium hominum de quinq; panibus. Et tamen hoc nemo*

S. Auguſt: Tract: 24. in Joan:

nemo miratur; illud mirantur omnes, non quia majus, ſed quia rarum eſt.

Non minùs ſtupendum videri debet, inquit Bloſius, *quòd humor vitis in vinum DEO diſponente quotannis convertatur, quàm quòd olim in Cana Galileæ eodem jubente, aqua in vinum mutata fuerit. Et majus eſt multos quotidie creare qui non erant, quàm eis qui mortui fuerant vitam reddere. Nulla tam exigua, vel ut ità dicam tam vilis creaturula eſt, in qua non reluceant hæc tria DEI inviſibilia: Potentia, ſapientia, & bonitas.* * *Unus* quicunq; *floſculus de ſepibus, non dico de pratis*, ait Tertullianus, *una cujuslibet maris conchula, non dico de rubro; Una tetrationis pennula, non dico de pavo; infinitam nobis DEI Majeſtatem prædicant. Imitare ſi potes apis ædificia, formicæ ſtabula, araneæ retia, bombycis ſtamina; & cùm minimum animal alatur, exhibeas pabuli tranſmittendi, decoquendi, defæcandiq; membra. Suſtine ſi potes lectuli & tegetis tuæ beſtias, cantharidis venena, muſcæ ſpicula, culicis & tubam & lanceam. Qualia erunt majora, cùm tam modicis juvaris aut læderis?*

Can. vit: ſpir: c. 28.

Tertullianus.

Idem.

VI. Elevemus oculos in Cœlorum ſublimia, quid ibi non admirandum, non ſtupendum? conſideremus illum mundi totius oculum, adeò mirabilem & artificioſum, ut in eo divina potentia & ſapientia ſuum videatur poſuiſſe tabernaculum. Spectemus Lunam, *vas* illud *caſtrorum in excelſis*, & ſtellas *non deficientes in vigiliis ſuis*. Conſideremus tot firmamenti ac planetarum regulares & anomalos motus. Videamus aquas in nubibus colligatas quaſi in veſtimento, & audiamus Deum Majeſtatis ſuper aquas horribili voce intonantem. Speculemur vim fulminis, quod nunc in gladium ſævit, vaginâ intactâ, & manum citra damnum chirothecæ incinerat; pecunias conſumit, crumenæ parcit; vinum illæſo dolio exhaurit; nunc verò parcit vino, & dolium frangit; vaginam illæſo gladio, & annulum inoffenſo digito conſumit; res venenatas veneno ſpoliat, non venenatas veneno inficit; ſaxa grandia è parietibus effringit, nunc terebrat, nunc diſſipat, nunc etiam comburit, & mille hujuſmodi admirandas operationes, ſtupendos quoq; motus & ſaltus edit; interdum etiam poſt multas ab incuſſione horas, ex foraminibus in quæ ſeſe abdiderat, magno cum fragore atq; impetu denuo erumpit, quod in Bohemia, quadam in arce, non ità pridem contigiſſe, â teſte oculato & fide digno accepi. Vide caput XLIII. Eccleſiaſtici, in quo

Digitized by Google

plura ejuſmodi magnalia recenſentur. Hæc omnia mihi longè mirabiliora videntur, omni pulvere, vel unguento ſympathetico. Non ſolùm *vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc*, ſed etiam ſi
Ecclo: 8. cauſas & modos illorum *dixerit ſapiens ſe nôſſe, non poterit reperire*.

Hîc iterum multi recurrunt ad intelligentias, tanquam ignorantiæ ſuæ aſylum. Scio quòd DEUS quandoq; faciat Angelos ſuos ſpiritus, & Miniſtros ſuos flammam ignis, multas quoq; alias faciat in hoc univerſo *immiſſiones per Angelos malos*; velle tamen omnia per Angelicos illos ſpiritus explicare, Philoſopho non eſt conveniens.

VII. Præter nubes & fulmina quanta nobis in aëre mirabilia occurrunt? quot ignium, quot aquarum & grandinum genera? verbo, quot meteo-
Job. 37. ra, tot miracula, quæ Deus producit de theſauris ſuis, & Job *magnas & perfectas ſcientias* appellat.

Quis defacto aſſecutus eſt quomodo appendatur terra ſuper nihilum, aut ſuper quo baſes illius ſolidatæ ſint? Non parum eſt mirabile quòd gravia omnia deorſum tendant, quamvis hoc nobis, utì & alia quàmplurima per aſſiduitatem vileſcat, genuinam tamen deſcensûs illi-
Job. 38. us cauſam hucuſq; ignoramus. Nolo hîc omnes adducere quæſtiones,
39. 40. quibus DEUS in libro Job, per aliquot capita ſcientiam noſtram con-
41. fundit.

Magnum homini ſtuporem excitant cryptæ ſubterraneæ cum ſuis fornicibus ſingulari naturæ artificio elaboratæ. Extant ſimiles in Moravia prope Divam Kyriteinenſem, & quidem ſpatioſiſſimæ, anguſtiſſimo cum introitu, intrà montis cujuſdam viſcera, tanto numero in omnem partem ſerie continuatâ protenſæ, ut earum finem difficile ſit invenire, & magnum valde ſit periculum ne homo per labyrintheos illarum anfractus ſeducatur. Harum ſubterraneas cavitates cum horrore perluſtravi, & non niſi ex ſale foſſili â diluvii aquis colliquato relictas arbitror; Nam etiam defacto parietes illarum & fornices laticem quendam ſudant, qui guttatim delabens pavimentum marmore quodam ſternit, supernè verò in ſtirias candidiſſimas diverſimodè figuratas concreſcit, ità ut quædam cryptæ figuram ſacelli alicujus alabaſtro elegantiſſimè incruſtati referant. Non procul â montis introitu rivulus infernè manans â terreſtri quodam hiatu abſorbetur, quem uno ferè milliari ſub terra manantem horribilis quædam abyſſus revomit. Plura ejusmodi videantur apud Kircherum in Mundo ſubterraneo.

Quàm

Digitized by Google

Quàm admirandæ ſunt naturæ fontium quorundam, & lacuum, in quos ſi vel minimus iniiciatur lapillus, horrendæ illico, ſurgunt tempeſtates. Scribitur de fonte Dodonæo, quòd quamvis ſit gelidus, & immerſas faces extinguat, extinctas tamen ſi admoveantur, accendat. De alio quoq; in Illyriis, qui cùm ſit frigidus, veſtes nihilominus ſuper ipſum expanſas accendit. In vicinia Pragæ fons datur, in cujus aqua ſi piſces coquantur, licèt plurimo injecto ſale, nullam tamen contrahunt ſalſedinem. Nolo hìc referre incendia Æthnæ, ac Veſuvij, thermarúmq; ferventiſſimas ſcaturigines ex medio frigidiſſimarum aquarum prorumpentes. Vidi in quodam Bohemiæ loco aquas ſalſas & ſulphureas perpetuò bullientes, vehementiori ſono & commotione, quàm ſi ad ignem coquerentur, bulliendo tamen ſemper frigidas permanere. Cujus rei cauſam defacto non aſſequor. Illud quoq; non parum eſt mirabile, quod in lacu quodam Comitatûs Mansfeldici, quem ſalſum vocant, retia piſcatorum paulò profundiùs immiſſa adurantur, non ſecus acſi admoto igne fuiſſent concremata. VIII.

Huc ſpectat horrida quædam rupes, juxta Harpaſa Oppidum Aſiæ, quæ dicitur uno digito eſſe mobilis, reſiſtere autem ſi toto corpore impellatur. Ignes quoq; montium Heclæ & Chymeræ, qui non aquâ, ſed ſtupâ & fœno ſunt extinguibiles.

Inventæ ſunt aliquot in locis lampades ſubterraneæ pluribus annis ardentes. Videlicet in agro patavino, in Neſide Inſula, & in ſepulchro Tulliolæ filiæ Ciceronis, quæ ſub Paulo III. reperta eſt, poſtquam annis mille quingentis & quinquaginta arſiſſet.

Viatores in montibus Peruviæ & Chiles toti igneſcunt, & equi, ore naribúſq; flammas vomunt.

Apud Sinenſes dantur quidam putei, non aquâ ſed igne pleni, quorum ora Incolæ claudunt relictis foraminibus, pro cacabis ſeu ollis, ad cibos coquendos. Jam ad quædam alia magìs obvia nos parumper convertamus.

Videmus fundum lebetis aquâ bulliente pleni manibus eſſe tractabilem, ſimiliter os porcelli ad ignem aſſati; filum ovo vel ſtanneo poculo circumligatum non comburi, ſimiliter neq; chartam ardenti candelæ ſuperpoſitam, ſi modò quis ſupernè frigidam auram deſuper inſufflet; ſalis & piperis beneficio, quæ alioquin ſunt corpora calidiſſima, ſtirias tectorum, & ſtanneos cantharos, ſive ſcutellas, in calido hypocauſto IX.

menſis & ſcamnis fortiſſimè agglaciari. Aquam fervidiſſimam in media æſtate, ſinè alterius glaciei aut nivis adminiculo intrà breviſſimum tempus in glaciem obdurari; fætorem carbonum chalybe injecto ſopiri; turbidum quemvis liquorem alumine admoto vel impoſito clareſcere. Viſcoſiſſimam therebinthi reſinam ovi vitello in aquam fluidiſſimam diſſolvi. Si in ſpiritum vel oleum vitrioli infundas ſpiritum vel oleum Tartari deliquio confectum, illico tantus motus & efferveſcentia cauſabitur, ut vitrum mixturam illam continens vix manibus tenere poſſis. Idem continget, ſi in vitream lagenam, modicum de aqua forti continentem, limaturam de aurichalco injeceris. Si ſpiritum vini & urinæ commiſcueris, ambo ſimul coagulabuntur. Spiritus nitri & vitrioli ſeparatim ſumpti ſunt medicina, ſimul ſumpti venenum.

Omitto hìc florum ſublimationes, cryſtalliſationes ſalium, & alia innumera chymicorum experimenta, in ſolutionibus, præcipitationibus, calcinationibus, metallorum tranſmutationibus, quæ certè non parvam merentur admirationem.

Multi ſtupent in avenaceo capreolo varia ludentis naturæ ſpectacula, utì etiam regulum in veru corylaceo ſe ipſum ad prunas torrentem. Et quia reguli mentio incidit, qui inter volucres dicitur eſſe minimus, recogito hìc, meritò â nonnullis ambigi, an major eluceat Dei potentia in maximis, an verò in minimis. Quàm admiranda eſt compages minimorum animalculorum, E. G. pulicis, aut culicis? quanta membrorum in iis diverſitas? quin etiam ipſe humanus Embrio, formicæ majoris, aut nuclei pinacei magnitudinem non excedens, per microſcopium aliquando deprehenſus eſt omnes jam perfectiſſimas humani corporis partes habuiſſe. Omitto hìc admiranda quàm plurima in animalculis, herbis, aliiſq; rebus quàm plurimis, quæ nobis microſcopium detexit.

Quomodo araneæ de domo ad domum, de arbore ad arborem, omni etiam ſilente vento, & aquâ ſubterfluente fila protendant; Sicut etiam quomodo piſces quidam, Xiphiæ appellati, in freto Mamertino â piſcatoribus græcorum quorundam verborum cantu alliciantur, non eſt hucuſq; nobis plenè compertum. Prætereo hìc admirandas animalium plurimorũ naturas, quarum aliquæ deprehenduntur in ipſis exuvijs
lib: 4. cap: 1. poſt mortem latentes, ſi verum eſt quod ſcribit Levinus Lemnius tractans de occultis naturæ miraculis: Sebellinas & Armelinas pelles quamvis ad infimum ciſtæ locum fuerint repoſitæ, & veſtibus aliis oneratæ,

tamen

tamen intrà ſpatium tridui plus minus, in ſummum emergere, & animalis à quo detractæ ſunt naturam imitari, quod agile ac inquietum eſſe conſtat. Jam de hominibus hîc quædam admiratione digna exponam. X.

S. Auguſtinus ſcribit dari quandam gentem, quæ ore careat & odore ſolo vivat. Narrat etiam ſe vidiſſe homines unum in fronte oculum habentes, alios ſinè capite, qui oculos in pectore fixos habebant. Apud Indos naſci dicuntur homines monoculi, ſingulis cruribus, nihilominus in curſu velociſſimi, qui ubi ſe à calore volunt defendere, reſupinati plantarum ſuarum magnitudine obumbrantur. In Scythica quadam Inſula dantur homines, quibus tam magnæ ſunt aures, ut illis corpora ſua poſſint obtegere. In Æthiopia gens quædam teſte Iſidoro, cum labio inferiore tantæ magnitudinis, ut ultra menſuræ ulnam ab ore propendeat, & ne putreſcat, ſale debeat condiri. *ſerm: 37. ad ff. in Eremo.*

Huc etiam ſpectant miræ quibuſdam hominibus à natura inſitæ proprietates. Cardanus quoties volebat animo ſic abripiebatur, ut nullum in eo ſtatu dolorem ſentiret. Idem refert S. Auguſtinus de quodam Presbytero, qui cùm placebat ità ſe auferebat à ſenſibus, ut ſimilis mortuo jaceret, nec ſolùm vellicantes aut pungentes minimè ſentiret, ſed etiam igne admoto non ureretur, quin imò etiam nullus in illo anhelitus deprehenderetur. Narrat etiam de alio ſudare ſolito cùm vellet. Inventi ſunt homines qui manus in plumbum liquefactum immittebant, & ſinè noxa extrahebant, idémq; ſicut aquam tepidam in manuum volas impunè accipiebant. Fuit Patavij homo quidam, qui non tantùm vitra, ſaxa, lapides, ligna, lutum, pannum, fænum, ſtipulas, ſed etiam quadam vice, prævià ſtipulatione, carbones ſacco vimineo contentos cum ipſo ſacco devoravit, ità ut pharmacopola qui fuerat ſtipulatus, eum abegerit, metuens ne pyxides ſuas cum tota officina devoraret. Voracitatem tamen illam naturalem fuiſſe teſtatur Realdus Columbus, qui corpus illius hominis poſt mortem diſſecuit.

Stupenda ſunt quæ nonnullæ tradunt hiſtoriæ de hominibus ſubterraneis, aurâ & luce ſubterraneâ fruentibus, de ſubterranea illorum republica, politia tam ſacra quam prophana, de domibus, urbibus, & Eccleſijs ipſorum, ut fuſiùs refert Kircherus. Admirationem quoq; non parvam merentur brutorum animalium reſpublicæ, & unius ſpeciei cum altera cruentæ velut ex condicto concertationes & prælia. Tale aliquando non procul ab urbe Leodienſi contigiſſe inter corvos & falco-

nes,

nes, ex occaſione nidi falconum à corvis everſi & deturbati teſtatur Æneas Sylvius; qui etiam refert aliam pugnam formicarum minorum cum majoribus in quadam arbore, ad quod certamen tanta minorum copia undequaq; confluxit, ut circum circa univerſum agrum repleret. In Regno Genyk, neſcio quâ belli ſumptâ occaſione, ſerpentes aquatici cum terreſtribus horribili certamine aliquando conflixerunt; ad quod per novem dies, hi ex ſylvis, illi ex mari congregabantur, ità ut urbem quandam per milliaris ſpatium circumdarent, nec ullus portas egredi auderet. Inventa ſunt tandem finito prælio octo millia peremptorum, & aquatiles terreſtribus palmam conceſſerunt.

XI. In vegetabilium regno quanta non occurrunt miracula? datur herba quædam oſſifraga in partibus Norvegiæ, quâ ſi boves veſcantur, ità inepti fiunt ad ambulandum, ut elumbes videantur,& nec unum paſſum facere poſſint,oſſa eorum adeo molleſcunt, ut baculo poſſint circumvolvi. Curantur autem oſſibus animalis ejuſdem herbæ eſu perempti. Datur è contra apud Indos quædam plantula, quæ oſſa corporis animati adeo firmat & roborat, ut ſi ejus ſucco dentes imbuantur, ſilices in pollicem poſſint comminuere.

Stagna Chinenſia fructum quendam comeſtibilem producunt, quē Incolæ *Peci* appellant. Si quis cum hoc fructu monetam cupream in os mittat, poteſt ipſam non minori facilitate quàm fructum ipſum comminuere, & in pulpam comeſtibilem redigere,quod ſe non uno experimento comprobâſſe ſcribit Martinus in Sinico Athlante.

In montibus quibuſdam Italiæ naſci dicitur quædam herba vocata ab Indigenis *Scoſſocavallo*, quæ ab equis calcata ungulas illorum ferreas diſrumpit.

In Java majore datur quædam herba, cujus medulla eſt ferrea ab imo uſq; ad ſummum faſtigium, fructum quoq; gignit ferro impenetrabilem.

Matthiolus ſcribit ſe vidiſſe in montibus Bohemiæ abietem, cujus truncus in rigidiſſimum ſaxum erat converſus. Legimus etiam fœtus lapideos ex utero humano editos fuiſſe.

In Pannonia prope Danubium, maximè Schemnitij, vites aliquando creverunt, quæ claviculos & folia ex puro auro habuerunt. De his jam aliquid mihi dixiſſe videor, ſicut etiam de aureo dente, qui molitoris cujuſdam filio in inferiori maxilla ſiniſtræ partis enatus eſt. Huc etiam

Digitized by Google

etiam referri poteſt ænea ſeges, quæ olim apud Cyprios ex ære ſeminato ſcribitur progerminâſſe.

Arbor triſtis ſole oriente contabeſcit, occidente vigorem recipit. Arbor mimoſa contrariam habet naturam ſolis amicam; uti etiam Acacia; quæ á media nocte uſq; ad meridiem folia explicat, ſole poſtmodum abſcedente eadem contrahit.

Huc etiam ſpectant violæ, quæ nonniſi nocturno tempore odorem fundunt. Et quia de violis mentionem fecimus, quis cauſam aſſequitur, cur lapis quidam in altiſſimis Sileſiæ cum Bohemia confinibus violas redoleat? quarum etiam odorem urina contrahit, per ſumptionem Therebinthinæ.

Datur quædam arbor teſte Pineda, cujus radix multifida virtutes habet planè oppoſitas; nam fibræ illius ad orientem ſpectantes ſunt antidotum, quæ verò ſpectant occidentem ſunt venenum.

Si herbulæ cujuſdam Indicæ ſucco membra humani corporis malè affecta illinantur, ſudorem dant ſanguineum, & ſanitas conſequitur.

Arbor pudifera homine vel alio animali accedente ramos conſtringit, recedente pandit. Alia quædam reperitur arbor, cujus folia cùm deciderint, per terram gradiuntur. Rorella ſive ros ſolis tantò copioſiori rore ſudat, quantò ſol potentiùs exarſerit. Non eſt hîc ſilenda vis chærefolij recentis, cujus faſciculum vidi ægro jam deſperato & graviter agonizanti, ſub capitis pulvillo poſitum, mortem optatam & quietam acceleráſſe.

In Regno Peruano datur quædam herbula, cujus ramuſculum ſi manibus teneant infirmi, & læti fiunt atq; alacres, ex morbo ſuo convaleſcunt; ſi autem mæſti fiant & anxij, de ſalute illorum deſperatur.

Lignum cedrinum defuncta corpora incorrupta ſervat, viventia corrumpit. Eſt pro vita defunctis & vitam ſpirantibus aufert.

Non omittendum hîc etiam eſt lignum fraxini, tunc cæſum quando ſol leonem ingreditur, cujus quidem jam ſuperiùs mentio facta eſt, hujus particula ſi vulnus aliquod radas & demulceas, non putreſcet, & citiſſimè ſanabitur. Dicitur etiam valere ad tumores & ulcera, ſanguinem quoq; ex naribus profluentem ſiſtere; ſi è manu lateris è quo nares ſtillant detineatur uſq; dum incaleſcat, facies etiam illo radatur, & poſtmodum aquâ frigidâ lavetur. Si ligni ejuſdem fruſtula ambabus manibus eodem modo teneantur, ajunt nec unicam ſanguinis guttam è cor-

pore

Digitized by Google

pore ſcarificato effluere. Plures ejus virtutes tam contra morbos internos quàm externos, hominum & jumentorum, hîc prætereo. Dicitur etiam ſtrigibus & maleficis eſſe infeſtum.

Non poſſum tamen hic ſilere ſingularem pulegij herbæ proprietatem, quæ tempore hyberni ſolſtitij etiam in coronarijs floret, quod idem facit helleborus niger circa feſta natalitia. Admirabilior eſt flos roſæ Jerichuntinæ, qui ſemper alioquin clauſus, Nativitatis Dominicæ nocte panditur. Hac eâdem ſacrâ nocte dicuntur boves, vaccæ, & oves, ſe in ſua ſtrata non reclinare, quod ſupernaturali cauſæ videtur adſcribendum. Quid verò dicemus ad hoc? quod nonniſi in feſto S. Joannis reperiatur carbo ad radices arthemiſiæ, & quòd radix cyani, quam nonnulli contra ſanguinis fluxum in manu detinent uſq; dum caleſcat, ut ad prænominatum effectum ſit valida & efficax, in feſto Corporis Chriſti meridiani temporis puncto extrahi debeat. Item quod ova poſita die ſacro Jovis, cùm fuerint excluſa, dent pullos, qui annuatim poſtea colores pennarum mutant? mira ſunt hæc profectò, quorum cauſam acuto lectori exquirendam relinquo. Omitto hîc multas experientias, de albo cichorio, de viſco coryli, de ſemine filicis, & albæ aquilegiæ. Tranſeo ad colores inter quos non parva reperiuntur naturæ miracula.

XII. Primum ex his quod hîc mihi occurrit, eſt ſubita canities, ex cauſa repentini mæroris ac timoris, cujus rei modum & rationem nullus adhuc perfectè explicuit, quin unde ipſa canities proveniat, adhuc ignoratur.

Julapium cæruleum ex violarum ſyrupo confectum, tincturam exhibet ſmaragdinam, nonnullis guttis de óleo Tartari affuſis; rubram verò, ſi aliquot guttas de ſpiritu vitrioli affundas. Ex plumbo ortum habet ceruſſæ candor, & rubor minij. Sal armoniacus cum calce viva, in pelvi ænea tincturam producit Saphirini coloris æmulam. Decoctum ligni braſilii rubrum colorem in ſuccineum commuttat, ſi infundatur in ſcyphum vitreum tantillum aceti continentem. Accipe dimidium ſextarium aceti deſtillati, in quod infunde unciam unam Lithargyrii de argento, liquore prius filtrato ſcribe quas libuerit literarum figuras. Hæ cùm exiccatæ fuerint non apparebunt, donec infuſo calcis vivæ pariter filtrato humectentur, ſive immediatè ſuper ſcriptos characteres adhibito, ſive mediante chartâ per ſpongiam ſuperducto. Et quid communius quàm ex nucibus Gallarum & vitriolo, quæ ambo ſeparatim, claros & dia-

Digitized by Google

diaphanos præbent liquores, ſcriptorium parare atramentum? Horum omnium rationem exactam redde, & eris mihi magnus Apollo.

Miratur S. Auguſtinus; quomodo *nigra macula offundantur ex oleo ſplendido, nigra linea de candido imprimantur argento, carbones accedente igne ſic vertantur in contrarium, ut de lignis pulcherrimis tetri, fragiles de duris, imputribiles de putribilibus fiant.* *de civit: lib: 21. cap: 7.*

Frequenti jam experientiâ nobis vileſcit, quòd nigri cancri coctura rubeſcant, quod etiam dicitur præſtare ſpiritus vini cancris affuſus. Mirabilius eſt decoctum ligni Nephritici, quod pro diverſa luminis incidentia, nunc hunc nunc alium diverſiſſimum exhibet colorem.

Roſa Sinica quotidie bis mutat colorem, nunc candida nunc rubicunda.

Qui marinis tempeſtatibus frequenter ſunt jactati, teſtantur, mare per tempeſtatem commotum apparere ſicut metallum ignitum & fuſum, ſimiliter manus eodem tinctas, ignitas videri, quod non parvum eſt naturæ miraculum. Nihil hîc dico de rebus noctilucis, item de pilis felium, & hominum quorundam capillis, ad manuum contrectationem, vel carminationem pectinis, non ſine ſtrepitu ſcintillantibus.

Nec pauciora quoad ſapores & odores nobis admiranda occurrunt. Sufficit hîc referre, quòd ex rebus dulciſſimis acerrimum acetum, & ex fætidiſſimis excrementis, ope digeſtionis odoratiſſima Zibetta ſoleat præparari, tranſitu quodam mirabili & ſubitò, ab uno extremo ad alterum extremum.

A ſenſibilibus ad ſenſus veniamus, inter quos eminet viſus. Fuerunt homines qui viſu penitus orbati, ſolo tactu colores diſcernere noverunt, & figuras vultuum humanorum ſolo pariter manuum tactu deprehenſas, ex fictili luto ad amuſſim efformare, de hominis ſecum loquentis ſtatura & habitu judicare, luminis quoq; præſentiam & abſentiam dignoſcere. Exempla vide apud Schottum. XIII.

Admirandum eſt planè, quod Pragæ narratur accidiſſe. Diſcidit quidam oculum anſeri vivo, ità ut humor aqueus efflueret, cryſtallinum ſimiliter cum vitreo expreſſit, poſtea modicum de certa aqua inſtillavit, cùm ſtatim oculus denuo impleri cæpit, & intrà horæ quadrantem perfectè ſanatus ac de novo inſtructus fuit, ut anſer per illum ſicut ante videret.

Neq; ſonus auditu ſolo percipi videtur; nam etiam ſurdi cytharæ

 capu-

Digitized by Google

capulum, vel longam haſtam quæ cytharam tangat, dentibus prehendentes, illum percipiunt. In moribundis quoq; obſervatum eſt, illos aurium ſenſu jam extincto, verba omnia nihilominus percipere, ſi loquens ipſorum vertici os ſuum admoveat. Experientiâ quoq; deprehenſum eſt, vehementiori ſono viſum offendi, imò etiam quandoq; penitus aboleri; quod quâ ratione fiat, difficulter explicatur.

XIV. Nihil hîc dicam de annulo, cui adamas vel ſmaragdus ſit inſertus, ſi pendulus ſuper vitrum aquæ manu immotâ teneatur, horas ictibus demonſtrante. Nihil de globo ſulphureo, circa quem Otto Guericke admiranda recenſet experimenta.

Dari medium aliquod naturale, quo quis ſe reddat ferro imperviumplures tenent, quo etiam capreæ ſylveſtres ſeu alpinæ uti dicuntur. Compertum enim eſt frequentiùs globos è bombardis emiſſos, coſtas, aliáq; oſſa illis fregiſſe, cutem tamen nequaquam penetrâſſe.

Quod de Gygis annulo ſpargitur, neſcio an fabuloſum ſit, cùm multi teneant, & hiſtorijs quibuſdam comprobent, corporis inviſibilitatem naturæ potentiam non excedere.

Quid dicemus ad hoc? quod in civitate quadam duæ dentur plateæ, in quarum una ſtupidi, in altera verò ingenioſi naſcantur? Huc ſpectat illud Tertuliani: *Thebis hebetes & brutos naſci relatū eſt; Athenis ſapiendi dicendíq; acutiſſimos, ubi penes Cocytum pueri menſe citiùs loquuntur, præcoce linguâ. Comici Phrygas timidos illudunt, Saluſtius vanos Mauros & feroces Dalmatas pulſat, mendaces Cretenſes etiam Apoſtolus inurit.* *de anima cap: 20.*

Quæ cauſa quòd in Inſula Palmoſa, circa oram Thuſciæ, ferrum quidem naſcatur, nullâ tamen ratione ibidem poſſit excoqui, & in maſſas redigi? ſed cùm effoſſum eſt, ad continentem vehi debeat, ubi nullo negotio excoquitur, & in maſſas redigitur. Quod etiam aliqui ſcribunt de Inſula Sardinia. Quâ ratione fit quòd apud Sinenſes in uno tantùm pago vaſa optima porcellana conficiantur ex materia aliunde advecta, cùm melior ſit quàm quæ ibidem naſcitur, nihilominus nullo alio in loco tam elegantia confici poſſint? Et nè procul eamus, quid eſt cauſæ quòd cereviſia Micro-Pragæ cocta, illi quæ in veteri aut nova urbe conficitur palmam concedat, neq; illius perfectionem attingat, quamvis aqua ex eodem fluvio, eadem polenta, idem lupulus, iidémq; coctores adhibeantur? Omitto hîc ſexcentas alias, imò ferè infinitas locorum, alia-

Digitized by Google

aliarúmq; rerum in hoc univerſo proprietates, quibus omnia eſſe plena qui neſcit.

Oſtendi ſolem poſtulat ille ſibi.

Multa dicemus & deficiemus in verbis inquit Eccleſiaſticus. Mirabilis Deus in omnibus operibus ſuis. *Multa abſcondita ſunt* in naturæ ſinu, majora his quæ hucuſq; retulimus, *pauca enim vidimus operum ejus.* * *Quàm deſiderabilia opera ejus, & tanquam ſcintilla quæ eſt conſiderare*, hoc eſt opera Dei, *quæ eſt*, ſive quæ licet nobis *conſiderare* & quæ nobis hucuſq; oſtenſa ſunt, nonniſi ſcintilla modica æſtimari debent reſpectu Dei operum nobis adhuc occultorum, & tanquam ſtilla ſitulæ reſpectu oceani, ut nobis uſurpare liceat illud Job: *Ecce hæc ex parte dicta ſunt viarum ejus. Et cùm vix parvam ſtillam ſermonis ejus* ejúſq; operum *audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri*, ejúſq; admiranda opera omnia quæ fecit, penetrare? *Eccli: 43.* *Ibidem.* *Eccli: 42.* *Job 26.*

XV. Nonnulla hîc adhuc artis & naturæ miracula ſubijciam, quæ in theatro ſympathetico, & ab alijs quibuſdam authoribus commemorantur: conſiderent increduli currum Stevini veliferum, quo ſeptendecim milliaria duarum horarum ſpatio confecit; æneum Alberti magni caput humanâ voce loquens; columbam ligneam Architæ Pythagorici volantem; aquilam pariter ligneam Regiomontani, Maximiliano Cæſari obviam procedentem, eúmq; leni ſuſpensóq; volatu in urbem proſequentem; ferream ejuſdem muſcam, quæ cùm ex ejus manibus evolâſſet, & in orbem per cubiculum oberrâſſet, ad manus ejus revolavit; Severini Boetii metalla mugientia, æneos angues ſibilantes, aves ſimulatas dulciſſimè canentes, homines æneos in aëre buccinantes; ſphæram vitream Archimedis, omnes cœleſtium orbium converſiones ſuis motibus clariſſimè perfectiſſiméq; repræſentantem. Sphæram quoq; argenteam à Ferdinando I. Imperatore Conſtantinopolim Solimanno miſſam, in qua non tantùm horarum ſpatia, ſed errantium quoq; ſiderum motus, menſtruíq; ſolis cum luna congreſſus, exactiſſimâ & pulcherrimâ ratione monſtrabantur. Pulicem aureâ vinctum catenulâ, ſaltus tamen conſuetos edentem; Iliadem totam Homeri membranæ inſcriptam & nuci incluſam; Navim Mirmecidæ, ligneâ prorâ, puppi, aliiſq; omnibus navium partibus & inſtrumentis inſtructam, adeo tamen puſillam, ut tota pinnis apiculæ tegeretur; Currum ejuſdem numeris omnibus abſolutum, & quatuor junctum equis, quem unà cum quadrigis, muſcæ minoris

Digitized by Google

noris ala undiq; operiebat. Eburneas pateras mille ſexcentas in uno piperis grano in modum caliculi arte tornearià elaborati aſſervatas; In alio itidem grano piperis viginti lignea tormenta rotis inſtructa, cum omni apparatu bellico uſúq; neceſſario, cum triginta inſuper ligneis calicibus incluſa.

XVI. Huc etiam ſpectant curioſa quædam artificia, qualia ſunt: nucleum amygdalinum in partes minimas comminuere putamine illæſo; baculum duobus vitris aut ſtraminibus inſiſtentem, ipſis illæſis, uno ictu confringere; clavum per cujuſcunq; menſæ craſſitiem, unico levis tegulæ ſeu ſcandulæ ictu tranſverberare; phialam aquâ plenam ſtramine plicato elevare; modiolum anſatum & aquâ plenum, mediante baculo horizonti parallelo, cujus unum extremum menſæ vel ſcamno liberè inſiſtat, velut miraculosè ſuſtentatum exhibere, eóq; in aëre pendulo firmare baculum, qui ſinè modiolo cecidiſſet; & ſimilia quàm plurima, quæ non tantùm vulgus, ſed etiam docti mirantur, nec tamen diabolica eſſe pronuntiant.

Si hæc & alia innumera mirabilia, naturalem artis & naturæ potentiam non credunt excedere, etiam alijs naturæ operibus minùs quandoq; mirandis fidem non derogent, etiamſi rationem illorum reddere non poſſint; ſunt enim talia, quæ nos DEUS mirari, non ſcire voluit. Stolida eſt præſumptio naturæ potentiam ingenio humano velle circumſcribere.

XVII. Adferam hîc etiam aliqua ex S. Auguſtino, quibus fidei noſtræ myſteria, quæ Intellectui Ethnicorum videntur omnino incredibilia, maximè verò reſurrectionem mortuorum, & æternam reproborum corporum in igne infernali durationem perſuadere conatur, deſumpto argumento â pluribus naturæ miraculis, quibus Dei potentia in hoc univerſo elucet, quorum tamen cauſas aſſequi non poſſumus.

de Civit: lib: 21. cap: 5. *Homines* inquit *infideles, quibus cùm divina, vel præterita, vel futura miracula prædicamus, quæ illis experienda non valemus oſtendere, rationem â nobis earum flagitant rerum; quam quoniam non poſſumus reddere, excedunt enim vires mentis humanæ, exiſtimant falſa eſſe quæ dicimus. Ipſi de tot mirabilibus rebus, quas vel videre poſſumus vel videmus, deberent reddere rationem. Quod ſi fieri ab homine non poſſe viderint, fatendum eſt eis, non ideo aliquid non fuiſſe, vel futurum non eſſe quia ratio inde non poteſt reddi, quandoquidem ſunt iſta*

de

de quibus ſimiliter non poteſt. Pauca commemoro: Agrigentinum Siciliæ ſalem perhibent, cùm fuerit admotus igni, velut in aqua flueſcere, cùm verò aquæ, velut in igne crepitare. Apud Garamantas quendam fontem tam frigidum diebus ut non bibatur, tam fervidum noctibus ut non tangatur. In Epiro alium fontem, in quo faces extinguuntur accenſæ, accenduntur extinctæ. Aſbeſton Arcadiæ lapidem propterea ſic vocari, quod accenſus ſemel jam non poſſit extingui. Lignum cujuſdam ficus Ægyptiæ, non ut ligna cætera in aquis natare, ſed mergi, & quod eſt mirabilius, cùm in imo aliquamdiu fuerit, inde ad aquæ ſuperficiem rurſus emergere, quando madefactum debuit humoris pondere prægravari. Poma in terra Sodomorum gigni quidem & ad maturitatis faciem pervenire, ſed morſu preſſiori tentata, in fumum ac favillam corio fatiſcente vaneſcere. Pyritem lapidem Perſicum, tenentis manum, ſi vehementiùs prematur adurere, propter quod ab igne nomen accepit. In eadem Perſide gigni etiam lapidem Seleniten, cujus interiorem candorem cum luna creſcere atq; deficere. In Cappadocia etiam vento equas concipere. Tilon Indiæ inſulam eo præferri cæteris terris, quòd omnis arbor quæ in ea gignitur, nunquam nudetur tegmine foliorum Adduxerat etiam ſuperiùs animalia quæ vivunt in medijs ignibus, ut ſalamandra. Item *nonnullum genus vermium* naſcens *in calidarum aquarum ſcaturigine, quarum fervorem nemo impunè contrectat.* Allegavit quoq; *Siciliæ montes, qui tantâ diuturnitate temporis atq; vetuſtate flammis æſtuant, & integri perſeverant nec minuuntur.* Propriam quoq; narrat experientiam de carne pavonis, quæ non putreſcit. Addit poſtea, *quis paleæ dedit vel tam frigidam vim ut obrutas nives ſervet, vel tam fervidam, ut poma immatura maturet? De ipſo igne mira quis explicet? quo quæq; aduſta nigreſcunt, cùm ipſe ſit lucidus, & pene omnia quæ ambit & lambit colore pulcherrimo decolorat, atq; ex pruna fulgida carbonem teterrimum reddit; cujus tanta infirmitas, ut ictu leviſſimo frangatur, preſſu facillimo conteratur; & tanta firmitas, ut nullo humore corrumpatur, nullâ ætate vincatur.* * *E contrario* inquit *lapides igne candente percocti fiunt candidi, quamvis ille rubeat.* Sequentia etiam de calce adducit, *quæ cùm ſit frigida, inde ferveſcit, unde ferventia cuncta frigeſcunt. Quid eſt quod huic miraculo addi poſſe videatur? & tamen additur. Nam ſi non adhibeas aquam, ſed oleum, quod magis fomes eſt ignis, nullâ ejus perfuſione vel infuſione ferveſcit.* Hoc miracu-

Ibid: cap: 2.

Ibid: cap: 4.

Ibid:

raculum ſi de aliquo Indico lapide legeremus ſive audiremus, & in noſtrum experimentum venire non poſſet, profectò aut mendacium putaremus, aut certè granditer miraremur. Quarum verò rerum ante oculos noſtros quotidiana documenta verſantur, non genere minus mirabili, ſed ipſâ aſſiduitate vileſcunt, ità ut ex ipſa India, quæ remota eſt pars Orbis â nobis, deſiêrimus nonnulla mirari, quæ ad nos potuerunt miranda perduci. * *Aſſiduitas* videlicet *experiendi paulatim ſubtrahit admirationis incitamentum.*

XVIII. *Iſtis* quæ hucuſq; retulimus, *& ſimilibus Dei miris operibus, infirma mortalium ratiocinatio vincitur. Fixam apud nos* vult *eſſe rationem* idem S. Auguſtinus *non ſinè ratione omnipotentem facere, unde animus humanus infirmus rationem non poſſit reddere. Mirabilia opera Altiſſimi, & glorioſa, & abſconſa, & inviſa opera illius.* * *Quomodo ignoras quæ ſit via ſpiritûs, & quâ ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis*, inquit Salomon, *ſic neſcis opera DEI qui fabricator eſt omnium.* Poteſt cum eodem ſapientiſſimo Rege, quivis etiam doctiſſimus & ſagaciſſimus cauſarum naturalium indagator, in plurimis, ſi non planè omnibus naturæ effectibus ingenuè confiteri: Quæſivi *ut invenirem rationem, quam adhuc quærit anima mea, & non inveni.*

de Civit: lib: 21. cap: 5. Eccli: 7. Eccle: 11. Eccle: 7.

Faceſſant igitur *ratiocinatores magni*, ut eos ironicè compellat ſupracitatus Auguſti nominis, & ſapientiæ Doctor, & vel rationem dent omnium naturæ operum quæ ante ipſorum oculos quotidie verſantur in hoc univerſo, vel cùm eam dare non potuerint, deſiſtant impoſterum ingeniolo ſuo metiri effectuum naturalium poſſibilitatem, & in tanta rerum mirabilium, cauſarúmq; abſtruſarum multitudine, nihil ideo negent, quia videtur mirandum, & captum humani ingenij excedens.

Ille, cui lucis viſum natura negavit,
Non videt, inde tamen non negat eſſe diem.
Nemo igitur cui naturam penetrare negatur,
Illius ignotas inficietur opes.
Abdita plura latent, ſibi qui putat eſſe retecta
Omnia, ſtultitiam detegit ille ſuam.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XI.

De univerſali quodam principio, per quod omnia naturæ arcana optimè quibuſdam videntur explicari.

SAt multa jam attulimus admiranda naturæ opera, diverſorum experientiis comprobata, è quibus ipſemet non paucorum experimenta feci. Hæc utì apud multos adhuc fidem non promerentur, ità & è contra multis non tantùm incredibilia, ſed etiam mirabilia eſſe deſinunt, exiſtimantibus ſe cauſas modóſq; illorum, optimè clariſſiméq; concipere, & poſito quodam univerſali principio, tanquam fortiſſimo & acutiſſimo Alexandri gladio, nodos quoſcunq; Gordios in Phyſicis occurrentes, uno velut ictu diſſolvere, naturæ abdita tanquam luculentiſſimâ face illuſtrare, rerúmq; cauſas ad oculum demonſtrare. Principium hoc eſt ſpiritus ſeu anima mundi, de qua ſequentes ponunt hypotheſes. I.

Primò dicunt animam illam eſſe formam ſubſtantialem & indiviſibilem, exiſtentem in toto, & in qualibet parte hujus univerſi, quod ex illa ſimul & materia, velut magnum quoddam animal, eſſentialiter phyſicéq; componitur. Magnum hoc animal *lapides habet loco oſſium*, ut ſcribit Plato; *rivos loco venarum, arbores loco pilorum. Animalia inter ejus capillos nutriuntur, ſicut vermiculi inter pilos animalium.* Hic eſt ille Spiritus quem penè omnes Philoſophiæ antiquioris principes admiſerunt, tam Græci quàm Ægyptij & Chaldæi; de quo jam olìm cecinit Virgilius:

- - - Cœlum, ac terras, campóſq; liquentes,
Lucentémq; globum lunæ, Titaniáq; aſtra
Spiritus intus alit, totámq; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Secundò ajunt hanc animam eſſe principium effectivum, & ab illa pleraſq; naturales actiones in hoc univerſo procedere. Hæc juxta illos, rugit in leone, in lupo ululat, balat in ove, in cane latrat, germinat in herba, volat in muſca, natat in piſce, repit in verme. Omnia deniq; tã quæ animata, quàm quæ inanimata vulgò dicuntur, tanquam ſubſtantialis & vitalis actus informat.

Tertiò eandem mundi animam in homine admittunt, non excluſâ tamen animâ rationali, cui illam docent eſſe ſubordinatam, & in corpore organiſato præſuppoſitam.

Quartò docent conſequenter, nullã dari inter quaſcunq; res rationalitatis expertes diſtinctionem eſſentialem ſeu ſpecificam, ſed omnes tantùm accidentaliter differre, & ſolo numero, juxta materiarum ſingularitates diſcerni.

Quintò dicunt illam animam eſſe ubiq; indifferentem, ſeu habere potentiam ſaltem remotam ad eliciendas quaſcunq; operationes, E. G. Leonis aut vermis, ignis aut ligni. Lapidibus præcisè tribuere denominationem ſubſtantialis compoſiti, plantis verò addere gradum viventis vegetativi, animalibus prædicatum ſenſitivi.

Docerent etiam proculdubio gradum rationalis in homine ab eadem anima provenire, niſi animas rationales per ſingula hominum individua numero diſtinctas ex fidei præſcripto admittere cogerentur. Eſt ergo Spiritus mundi juxta illos velut quidam Protheus, in mille formas rerúmq; ſpecies transformabilis.

Sextò ſpiritum hunc Mundi ex ſe ad quaſcunq; operationes indifferentem, ajunt per accidentia determinari, ut hìc & nunc talem & non aliam operationem eliciat; ſic determinatus in hoc vel illo ſubjecto, & à ſemetipſo alibi exiſtente quodammodo differens, ſive ſub alijs accidentibus virtualiter replicatus, Archæus ab ipſis nominatur. Hæc diſcriminatio & limitatio ex Ideis infra explicandis meliùs intelligetur.

Septimò explicant hæc omnia exemplo Microcoſmi, in quo multi admittunt unicam indiviſibilem formam, animam videlicet rationalem, non obſtante quòd diverſiſſimas corporis partes informet, ac diverſiſſima operetur. Sicut ergo anima in homine quaſdam hominis partes in communi ſententia præcisè informat, ut ſanguinem; quibuſdam præterea dat gradum vegetativi, ut oſſibus, capillis, unguibus, & pulmonibus; quibuſdam etiam gradum ſenſitivi, ut manui, pedi, oculo, aliiſq; nervoſis partibus; Ità in hoc univerſo, eadem licèt ſit anima numero indiviſibilis, & in actu primo remoto vegetativa & ſenſitiva in omnibus, non omnibus tamen actum primum proximum ſenſationis aut vegetationis tribuit, ſed quædam præcisè informat, ut lapides; in plantis vegetat, in brutis ſentit. Adducenda jam ſunt argumenta ipſorum, quibus hunc ſpiritum mundi probare nituntur.

Pri-

Digitized by Google

Primum eſt negativum, à communi principio, de Mundi entibus præter neceſſitatem non multiplicandis, deſumptum. Dicunt nullam videri neceſſitatem multiplicandi formas ſubſtantiales materiales in hoc univerſo: Omnes enim effectus, qui ſubſtantijs materialibus attribuuntur, procedere poſſunt ab una indiviſibili anima, adeóq; non explicandum eſt per plura, quod explicari poteſt per pauciora. Nullam verò eſſe neceſſitatem, non aliter probare tenentur judicio meo, quàm ſolutione objectionum, quas hîc adferam. II.

Prima deſumitur à tranſubſtantiatione, quam fides docet; dum fit converſio panis & vini in corpus CHRISTI, perit tota ſubſtantia panis & vini, atqui hoc non poteſt dici in ſententia admittente ſpiritum mundi, ergo hæc ſententia ſalvâ fide teneri non poteſt. Probatur minor; cùm pereat tota ſubſtantia panis & vini, etiam ſpiritus Mundi perire deberet, ex quo panis & vinum ſubſtantialiter componebatur; ſed non poteſt dici quòd ille pereat: nam *primò* ſi periret, periret ubiq;, eſt enim ubiq; idem, unus ac indiviſibilis. *Secundò* eſt in corpore & ſanguine CHRISTI, quæ ſubſtantiæ panis & vini ſuccedunt, ergo nõ poteſt dici quòd pereat, & conſequenter in hac ſententia non poteſt ſalvari tranſubſtantiatio. Hoc argumento putat communis Philoſophorum grex ſpiritum mundi omnino proſterni. Reſpondent nihilominus Pnevcomoſmici, Eccleſiam, & SS. Patres, nomine Tranſubſtantiationis Eucharíſticæ, non aliud nobis ad credendum proponere, quàm quòd per illam pereat tota ſubſtantia panis & vini, quæ non eſt his & ſimul Chriſto communis. Unde aſſerendum eſt hanc numero materiam panis & vini in conſecratione perire, quia Chriſtus aliam habet materiam numero diverſam. Non definit autem Eccleſia perire ſimul formam ſubſtantialem & materialem, Chriſto & panis viníq; compoſito communem; neq; neceſſarium eſt ad tranſubſtantiationem, ut omnes partes ſubſtantiales prioris compoſiti pereant. Nam etiam ſecundùm multos datur corruptio ſubſtantialis, nullâ parte ſubſtantiali pereunte, in morte videlicet hominis, in quo præter materiam & animam rationalem nullam aliam ſubſtantialem, ſeu eſſentialem formam vel partem admittunt. Alias quaſdam ſubtiliores hujus argumenti ſolutiones prætereo, quibus minor probationis poſſet controverti.

Objectio ſecunda. Paulus ad Corinthios ſcribit: *Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus*, ergo ſaltem in homine non datur hujus 1. Cor: 2.

Digitized by Google

jus mundi anima. Reſpondent Pnevmocoſmici, Paulum per ſpiritum mundi citato loco, non animam mundi, ſed malum dæmonem intelligere, quem etiam Chriſtus in Evangelio Principem hujus mundi appellat, à quo nos liberet omnipotens.

III. *Objectio* tertia. Sequeretur in homine duas animas debere admitti, ſenſitivam videlicet unam, quæ ipſi cum alijs rebus ſit communis, & alteram rationalem, quam fides admittendam eſſe docet; atqui duas in homine animas admittere videtur abſurdum, ergo. Minor probatur: ſi homo haberet ſimul animam rationalem & ſenſitivam, unum idémq; individuum ſimul eſſet brutum & homo, vel ſaltem priùs brutum in utero quàm homo; brutum diu ante, propter animam ſenſitivam; homo diu pòſt, propter animam rationalem. Reſpondent Pnevmocoſmici negando aſſumptum, & ajunt, non per quamcunq; animam ſenſitivam brutum conſtitui, ſed ſolùm per illam, quæ non tantùm in aliquo ſubjecto ſenſitivas operationes exercet, ſed inſuper non dicit in tali ſubjecto ullum ulteriorem ordinem ad aliam animam, qualem ordinem dicit anima ſenſitiva in Embryone ad animam rationalem, per quam ultimatè corpus humanum completur. Hinc patere videtur ſolutio ad aliam objectionem, quâ probatur homo futurus Ens per accidens, ſi aliam animam haberet; quamvis enim anima rationalis uniatur corpori jam animato, illud tamen non eſt ultimatè completum,adeoq; non facit cum illo ens per accidens, ſicut faceret, ſi uniretur leoni; neq; propterea in homine admittenda erunt duo Individua ſaltem completa; nam una tantùm eſt anima, quæ compoſitum quod homo dicitur, ultimatè complet; Tandem non ſola partium formalium, ſed etiam materialium multiplicatio ad perfectam Individuorum multiplicationem requiri videtur.

Objectio quarta. Actiones rationales & ſenſitivæ ſe mutuò impediunt in eodem ſubjecto; diuturna enim & fortis ſpeculatio nocet concoctioni, & facultates naturales debilitat; Imò ſi nimia fuerit, hominem ità ſæpe abſtrahit, ut etiam illa quæ circa ipſum fiunt, non videatur audire vel advertere. Similiter ſenſatio vehemens operationes intellectuales perturbat, ergo illæ operationes ab una anima in homine prodeunt, quæ dum uni ſe applicat intenſiùs, aliis vacare non poteſt. Ergo præter animam rationalem, anima ſenſitiva in homine non eſt admittenda, *Confirmatur.* Anima, quâ homo ſentit, quâ concupiſcit, quâ volu-

Digitized by Google

voluptatibus ſervit, eadem ipſa propter ſua peccata in Inferno plectitur; ſed hæc non poteſt eſſe alia quàm rationalis, ergo. Reſpondent Pnevmocoſmici ad objectionem, functiones rationales & ſenſitivas ſe mutuò impedire, non ratione communis principij, ſed ratione communis inſtrumenti, quod ſunt ſpiritus, qui in unâ actione diſſipati non poſſunt alteri ſubſervire. Deinde in ſententia communi, nulla datur operatio Intellectûs ſinè phantaſia ſimul operante. Quid ergo mirum languere ſimul animam ſenſitivam dum nimiùm fatigatur Intellectiva? Ad *Confirmationem* reſpondent, peccatum non ſubjectari in anima ſenſitiva, neq; hanc propriè in inferno puniri, ſed ſolam animam rationalem, quæ liberè agit, nihilominus ſe ab animæ ſenſitivæ appetitu, cui dominari deberet, vinci patitur, réſq; illicitas ſpiritualiter appetit, quas illa materiali appetitu proſequitur. Ajunt tamen etiam animam hominis ſenſitivam in corpore damnato pati ſupplicia, quæ cum materiâ, nomine carnis ſolet intelligi, & reprobi hominis compoſitionem ſubſtantialiter ingreditur.

Objectio quinta. Si homo duas haberet animas, illæ eædem in CHRISTO deberent admitti; ſed in illo admitti non poſſunt, ergo nec in homine ſunt admittendæ. Probatur minor: ſi in Chriſto fuiſſet anima ſenſitiva præter animam rationalem, vel fuiſſet in triduo mortis corrupta, vel non; neutrum dici poteſt, ergo. Minor oſtenditur: primum námq; dici non poteſt, aliàs caro Chriſti vidiſſet corruptionem, & VERBUM notabilem ac eſſentialem partem, quam ſemel aſſumpſit, dimiſiſſet, quod eſt contra communem Patrum & Doctorum ſententiam. Si non fuit corrupta, vel manſit unita, vel ſeparata â corpore; non unita, aliàs corpus Chriſti in triduo mortis fuiſſet vivens; non ſeparata, cùm enim ſit materialis, non poteſt ſeparatim â materia exiſtere; & abſurdum eſt dicere illam ſimul ad Inferos deſcendiſſe, vel miraculoſè alibi delituiſſe. Reſpondent Pnevmocoſmici, Animam ſenſitivam Chriſti, in triduo mortis, materiæ corporis manſiſſe unitam, non tamen ideo corpus illud potuiſſe dici vivens; nam per corpus vivens, illud tantùm debet intelligi, quod eſt proximè potens ad actiones vitæ naturaliter exercendas. Corpus autem Salvatoris in Triduo mortis diſpoſitionibus caruit, quæ ad actiones vitales requiruntur, unde etiam abfuit anima rationalis, quæ ad ſui unionem illas in corpore prærequirit. Et quamvis Archæus, ſive anima ſenſitiva hominis, ante infuſionem animæ

rationalis aliquas operationes vitales exercere poſſit, ut patet in Embryone, probabile tamen eſt illam vitaliter non poſſe operari, quamdiu à rationalis animæ conſortio ſemel inito manet ſeparata.

IV. Non ſunt contenti Pnevmocoſmici, objectionibus adversùs animarum in homine dualitatem allatis ſatisfeciſſe, ſed etiam ſententiam

Galat: 5. ſuam firmare conantur ex ſcripturis. Notum eſt illud Pauli: *caro concupiſcit adversùs ſpiritum, ſpiritus autem adversùs carnem, hæc enim ſibi invicem adverſantur.* Ubi carni ſua tribuitur concupiſcentia, quæ nonniſi in animam ſenſitivam referri poteſt. Cùm enim illæ duæ concupiſcentiæ ſint ſibi invicem contrariæ, non poſſunt ab eadem anima rationali provenire, prout Adverſarij contendunt. Huc etiam ſpectat il-

Rom: 7: lud ejuſdem Apoſtoli: *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Si autem unica tantùm eſſet in homine anima, legi ſuæ faciliùs obtemperaret, nec opus eſſet animæ rationali exclamare: *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* favere præterea videtur huic ſententiæ

1. Theſſal: 5. textus ille ſapientiſſimi ejuſdem gentiũ Doctoris: *ut integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſinè querela in adventum Domini noſtri JESU Chriſti ſervetur.* Item illud in Deiparæ Cantico: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit ſpiritus meus, &c.* In quibus textibus per *ſpiritum* videtur optimè intelligi anima rationalis, per *animam*, ſenſitiva, ne alioquin idem inutiliter repeti dicatur.

Probant ſecundò Pnevmocoſmici ſententiam ſuam de animarum binario, ſequentibus argumentis: Anima rationalis cùm ſit ſpiritualis, eſt valde improportionata, ut effectus & ſenſationes materiales eliciat, item ut det eſſe corpori; Congruentiùs ergo videntur ratiocinari, qui ſpirituales tantùm operationes illi attribuunt, & materiales animæ ſenſitivæ. Quòd ſi etiam anima rationalis, quæ nobiliſſima eſt ſubſtantia, ſenſationes materiales exerceret, illæ deberent eſſe perfectiores, quàm brutales, ob præſtantiam & nobilitatem principij, quidquid ſit de diſparitate inſtrumenti; contrarium tamen docet experientia. Tandem videtur aliquod immanens eſſe principium in ſemine, â quo ſtatim poſt conceptionem formatur embryo; hoc autem non eſt anima rationalis, ergo ſenſitiva, quæ illas vegetationes exercet. Transeamus nunc â Microcoſmo ad Macrocoſmum, & alias objectiones adducamus, quibus nonnulli ſpiritum hujus univerſi oppugnare conantur.

Objectio

Digitized by Google

Objectio ſexta. Si eſſet eadem anima in cane, & reliquis hujus mundi animantibus, quæcunq; nôſſet aut ſentiret ille canis, ſentirent omnia; & eo fuſtibus excepto, omnia mundi hujus animantia dolerent. Reſpondent Pnevmocoſmici, negando hæc ſequi ex prædicta ſententia; non enim ſequitur, dolente pede, dolere caput; vel capite ſpeculante, pedem ſpeculari, quamvis ſententia communis eandem ponat animam in pede & capite. V.

Objectio ſeptima. Cùm eadem numero anima ſit in lupo & in agno, quis eam contra ſe ipſam exagitat? Quis ad dilacerandam ſe in agnello, ad ſe ipſam devorandam acuit? vel quomodo non ipſe lupus proprios ſentit morſus, & dolore territus, prædam ex faucibus, ſe ipſum à proprijs dentibus dimittit immunem? Ad hanc paraphraſticam objectionem reſpondent Pnevmocoſmici, retorquendo argumentum: Si quis ex impatientia vel deſperatione ſe ipſum pulſet, aut vulneret, quis animam in manu exagitat contra ſe ipſam in capite vel pectore? cur non dolorem illatum capiti vel pectori manus ſentit? dicunt ergo ſpiritum mundi ſimpliciter & ſecundùm ſe acceptum ſibi non adverſari, bene tamen Archæos. Sicut idem quoq; concurſus divinus in conſertis Daretis & entelli lacertis contra ſe ipſum non pugnat, quatenus eſt generaliter ad omnes Creaturarum actiones indifferens, ſed quatenus hìc ad talem, ibi ad aliam actionem à diverſis individuis determinatur; ſicut lumen, quod ex ſe ad viridem, rubrum, aut cæruleum colorem eſt indifferens, per diverſas cortinas quas penetrat, diverſis imbuitur coloribus.

Objectio octava. Dantur in diverſis Compoſitis diverſiſſimæ accidentium collectiones, unde in ipſis diverſa radix admitti debet, ex qua determinatè illa potiùs accidentia & operationes, in iſto potiùs, quàm in alio compoſito inferantur; hæc radix non poteſt eſſe alia, quàm forma, ergo ſecundùm diverſitatem illarum collectionum debet admitti diverſitas formarum. Reſpondent Pnevmocoſmici, diverſas accidentium collectiones in ſpeciebus hujus univerſi, non ex formarum ſubſtantialium, ſed Idearum diverſitate ortum ducere, de quibus infra pluribus tractabitur. Et an non ſecundùm ipſos authores, qui ſpiritum mundi potentiſſimè oppugnârunt, in homine diverſiſſimæ dantur accidentium collectiones, in oſſe, carne, pede, oculo, &c. Et tamen harum diverſarum Collectionum diverſas radices in homine non admittunt, ſed unam & indiviſibilem, animam videlicet rationalem dicunt ſufficere.

An

Digitized by Google

An non in ſole omnes paſſim Philoſophi eandem admittunt potentiam, hìc aurum, ibi ranam, alibi alia inſecta producendi, & non obſtante tantâ effectuum varietate, nullam in radice effectiva diverſitatem admittunt, ſed varietatem operationum in ſolam diſpoſitionum varietatem refundunt? eodem modo de ſpiritu mundi per Ideas diverſiſſimè limitato ſeu determinato diſcurrendum eſt.

VI. *Objectio* nona. Ex tribus præſertim argui ſolet formarum in rebus diverſitas. *Primò*, ex difformitate operationum. *Secundò*, ex ſeparabilitate rerum. *Tertiò*, ex independentia unius ab alio. Sed hæc diverſitatis ſigna in rebus hujus univerſi reperiuntur, ergo non debet unica illarum forma ſtatui, ſed multiplex. Probatur minor: ſum̃a eſt in rebus univerſi hujus operationum diverſitas, ut in rana & leone, muſca & elephanto, delphino & cane. Summa rerum ſeparabilitas, ut conſtat experientiâ, dum re unâ hìc permanente, alia ad Garamantas & Indos transferri poteſt. Summa rerum independentia, cùm videamus unumquodq; in actionibus ſuis, ſecundùm proprias naturæ ſuæ leges independenter ab alio agere, nec ulla cogitari poſſit dependentia in eſſendo vel agendo inter lapidem & canem. Reſpondent Pnevmocoſmici negandò antecedens quoad primum membrum; nam ex diverſitate operationum malè arguitur formarum diverſitas, aliàs in homine fórma ſeu anima deberet eſſe diverſa, in cujus oculo, pede, aure, cerebro, tam diverſæ ſunt operationes & ſenſationes, ſive formæ partiales præſupponantur, ſive non; hæc namq; non pertinent ad rationem principij vitaliter operantis.

Quoad ſecundum membrum, reſpondent cum diſtinctione; negant enim ex ſeparabilitate rerum qualicunq; argui formarum in rebus diverſitatem, bene tamen ex ſeparatione tali, quæ non tantùm immediatam, ſed etiam mediatam rerum continuitatem ſolvit. Talis autem ſeparatio in rebus hujus univerſi non reperitur; quamvis enim una res videatur ab altera quandoq; localiter ſeparari, ſicut manus una ſeparatur ab altera, manet nihilominus continua, ſaltem aëre mediante. Cujus rei exemplum habere videmur in ſangvine, qui ſecundùm probabiliorem ſcholarum ſententiam eâdem animâ informatur, quâ cæteræ partes, adeóq; illis debet eſſe continuus. Et tamen ſingulæ illius guttæ, non ſolùm â ſe invicem, ſed etiam ab his & illis venarum & arteriarum aliorúmq; viſcerum partibus, in quotidiana circulatione ſeparantur.

Quod

Digitized by Google

Quòd ſi verò alicui non videntur res tam diverſæ, univerſum hoc componentes, poſſe invicem continuari, E. G. aër & paries, ferrum & lignū, ignis & aqua, reſpiciat eaſdem humani corporis partes; an non venæ & arteriæ, cordi, hepati, aliiſq; viſceribus, unione continuativâ cohærent? nervi cerebro, ligamenta oſſib9, caro tendinibus & membranis, &c. Quanta tamen partium iſtarum eſt diverſitas.

Dicunt ergo Pnevmocoſmici, res omnes in hoc mundo ſecum invicem eſſe continuas, & Elephantum licet mille ſtadijs â Rhinocerote diſtet, adhuc eidem manere continuum, ſaltem aëre mediante; manum quoq; abſectam adhuc cum ſuo corpore continuari, ſaltem in ordine ad univerſum. Ut tamen humanum corpus cum alijs membris actualiter integret, non tantùm mediatè, ſed etiam immediatè ipſi debet uniri. Aër namq; intermedius parum ad hanc unionem confert, bene tamen ad unionem cum univerſo, quod magnum quoddam eſt animal ex tot rerum varietatibus veluti membris compactum, cujus conſtitutionem non tantùm ipſe aër, ſed etiam manus abſecta ingreditur; corpori tamen â quo præciſa eſt, aëris intermedij beneficio dici non poteſt unita; aër enim ille tametſi ad univerſi conſtitutionem ſit ordinatus, non eſt tamen ordinatus ad conſtitutionem humani corporis, unde per illum non poteſt manus continuari cum reliquo corpore; continuatio enim non procedit niſi inter partes ejuſdem compoſiti.

Quoad tertium objectionis membrum reſpondent, admittendo ex rerum independentia bene argui formarum in rebus diverſitatem; negant tamen in hoc univerſo ſimilem rerum â ſe invicem independentiam reperiri; Quin imò ſummam potiùs illarum eſſe dependentiam, quam probant rerum in ſe invicem influxus, ſympathiæ, ac magnetiſmi. Adeò ut major quibuſdam videatur eſſe conſenſus inter cælū & terram, quàm inter partes unius corporis materialis. Ob quam connexionem & conſenſum meritò aſſeruntur res omnes hujus univerſi velut magni cujuſdam animalis membra, per unam eandémq; animam ſibi ſociata, quæ omnes inter ſe uniat & ſubſtantialiter compleat.

Objectio decima. Sequeretur nullam in rerum natura dari generationem vel corruptionem ſubſtantialem, quod tamen non ſolùm omnibus ſcholis, ſed etiam ſacræ ſcripturæ videtur contrariari, ſcriptum eſt enim â Salomone: *generatio præterit, generatio advenit.* Ad hanc objectionem reſpondent Pnevmocoſmici, ſententiam ſuam communi — VII. — *Eccliſ* 1.

quidem ſcholarum doctrinæ contrariari, â quibus ſæpe numero veritas exulat; Nihil verò ſacris paginis adverſùm continere. Quamvis enim non detur generatio ſubſtantialis in ſenſu communi ſeu Ariſtotelico, quia hæc dicit motum â privatione ad formam, nunquam autem poſt primam rerum creationem, privatio formæ ſeu animæ mundi in ullo ſubjecto præextitit; Datur tamen generatio in alio genuino & veriori ſenſu, quæ eſt ſpiritûs mundi, per certas Ideas, ad novam ſpeciem, novâſq; operationes limitatio. Sic rana ex luto generari dicitur, quamvis nihil ſubſtantiale producatur, cùm novæ diſpoſitiones in materia luti producuntur, ob quas anima quæ nullas ante vitales operationes ibi exercebat, jam ſaltare incipit & coaxare.

Objectio undecima. Sequeretur etiam in hac ſententia nullum animal irrationale mori vel corrumpi contra ſcripturam dicentem: *unus interitus eſt hominis & jumentorum.* Reſpondent iterum Pnevmocoſmici, nullum animal irrationale ſeu brutum mori vel corrumpi in ſenſu Ariſtotelico & pſeudo-philoſophico, bene tamen in ſenſu veræ Philoſophiæ, quæ ſicut docet generationem nihil eſſe aliud, quàm ſpiritûs mundi novam limitationem, ad certam ſpeciem accidentaliter diverſam; ſic etiam docet corruptionem nihil eſſe aliud, quàm abolitionem Ideæ, quæ ipſum ad præcedens eſſe ac operari determinabat; hæc in priſtinū chaos retruſa, veterem ſimul Archæum ſepelit. Non ergo ſemper cùm aliquid moritur, formâ ſubſtantiali privatur, alioquin malè â Chriſto diceretur: *niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Si enim forma ipſius ſive ratio grani phyſica periret, â quo multiplicaretur? Eſt ergo in ſimilibus mors duntaxat accidentalis, quamvis nulla contingat partium ſubſtantialium deſitio vel etiam ſeparatio. In homine aliter loquimur, hic enim præter mundi animam, ſimul formâ rationali eſt præditus, quâ â corpore ſeparatâ mori dicitur.

Eccli: 3:

Hoc igitur ſpiritu mundi ſemel admiſſo, nulla generatio & corruptio ſubſtantialis in rerum natura locum habet; & qui hunc tuentur, nihil unquam ſubſtantiale denuo fieri, aut perire aſſerunt; quod etiam confirmari poteſt illis ſcripturæ teſtimonijs, in quibus dicitur Deum omnia creâſſe *ſimul*, & requieviſſe die ſeptimo ab omni opere quod patrârat, ergo non datur ulla ſaltem ſubſtantiarum nova generatio. Dicitur item in ſcriptura, quòd omnia opera Dei perſeverent *in perpetuum*, ergo

Eccli: 18. Gen: 2. Eccle: 3.

ergo ſaltem ſubſtantialiter opera Dei non corrumpuntur, quicquid ſit de morte hominis, qui mori dicitur non tam per corruptionem, quàm ſeparationem partium. Excipitur etiam hinc tranſubſtantiatio, quæ magìs eſt annihilatio, quàm corruptio.

Dum ergo canis mori dicitur, nihil perit in hac ſententia, ſed anima communis materiæ adhuc ineſt, etſi non ſit proximè potens ad functiones canis exercendas ob defectum diſpoſitionum. Vidimus autem jam ſuperiùs proximam hanc potentiam ad rationem viventis requiri.

Nec etiam aliqua nova ſubſtantia, cane mortuo producitur; eadem enim anima quæ in cane latrabat, repit poſtea in verme, propter ideas ſive diſpoſitiones caninas abolitas & ſepultas, aliáſq; verminoſas â cauſis efficientibus evolutas, ac prioribus ſuccedentes. Nec mirum videri debet eandem animam tam diverſis ſubeſſe diſpoſitionibus, támq; diverſa operari, cùm videamus eandem animam in homine infante, viro & ſene; in bombyce & Necydalo, in eruca & papilione, volatili & reptili morum adeo diverſorum. Eandem item formam in aqua, nive, glacie & vapore, Mercurio vivo & ſublimato, & ſecundùm multos in tritico & ſiligine, rapa & braſſica, ocimo & ſerpillo, quorum unum verti quandoq; ſolet in alterum. Sic etiam Cinnamomum ex India allatum apud nos mutatur in laurum, & piper ſeminatum degenerat in hederam. Scribitur quòd in mari Sinenſi ſit piſcis quidam, croceus â Sinarum indigenis appellatus, hic per æſtatem crocei coloris volucrem induit, volitans hinc inde per montes; hyemis initio figuram volucris exuit, mare petit, & rurſus in piſcem ſuaviſſimi ſaporis mutatur, quem tantùm hyberno tempore capiunt. De alio quodam animali, terreſtri & quadrupede, canis magnitudinem æquante, ſcribit Aloyſius Almeida: quòd in ſenectute, quadrupedis formâ depoſitâ, in piſcem convertatur. Cùm igitur eſſentiæ rerum ſint immutabiles, una eadémq; ſubſtantialis forma in præfatis converſionibus debet intervenire, idémq; ſubjectum, ſolâ, quamvis notabili diverſitate accidentium, â ſe ipſo diſtinctum. Ità etiam legimus fæminas in viros, & viros ſexu virili abjecto in fæminas tranſiiſſe, Hiænam quoq; *ſexûs* eſſe *annalis* ut ſcribit Tertulianus, ſive alternis annis marem, alternis fæminam, in quibus tamen converſionibus ſubſtantialem formam mutari nullus hucuſq; docuit.

vide Atlātem Sinicum.

Ad horum omnium Confirmationem allegant divinum Hippocratem, qui jam olim idem ſenſiſſe videtur lib: 2. de diæta, in quo ità ſcribit:

bit: *Nihil quidem omnino perit, neq; oritur, quod prius non erat; verùm invicem commixta vel diſcreta alterantur. At homines exiſtimant, id quidem quod ex orco in lucem augetur, oriri; quod verò ex luce ad orcum imminuitur, perire, magíſq; oculis quàm rationi fidem eſſe adhibendam. Ego autem iſtâ ratione exponam: Animantia namq; ſunt & illa & iſta, neq; animal interire poteſt quin omnia intereant, neq; quod non eſt, generari, cùm non ſit unde generetur.* Hæc divinus Hippocrates. Hujus doctrinæ inſiſtendo, ajunt nullam perire ſubſtantiam in toto univerſo, ſed in orcum ſive chaos ſuum recidere, quoties Ideæ ipſius â potentioribus alijs ſuperantur, & in chaos, ſive noctem ſuam retruduntur. Gigni verò vel generari, dum Ideæ ipſius ex materiæ abyſſo evolvuntur, ſive ex chao & orco ſuſcitantur, & animam mundi ad novæ ſpeciei operationes determinant.

VIII. *Objectio* duodecima. Sequeretur hanc mundi animam eſſe perfectiorem Angelo; hoc autem eſt abſurdum, ergo non videtur admittenda. Probatur ſequela Majoris: ſpatium quod Angelus etiam primæ Hierarchiæ occupare poteſt, ex ſententia Theologorum eſt contractius, quàm ſit ſphæræ cæleſtis capacitas & amplitudo, ſed hanc univerſam ſpiritus mundi ſubſtantialiter occupare dicitur, ergo dicendus eſt perfectior eſſe Angelo. Reſpondent Pnevmocoſmici, negando ſequelam majoris; ad cujus probationem permittunt tranſire majorem, minorem concedunt, conſequens diſtinguunt, concedentes ſpiritum mundi eſſe Angelo ſecundùm quid, non tamen abſolutè perfectiorem. Quamvis enim Angelus tam vaſtum ſpatium occupare non poſſit, quàm vaſtum hæc anima occupat, illam tamen Angelus in perfectione rationalitatis & ſpiritualitatis plurimùm excedit; nam hæc anima neq; rationalis eſt neq; ſpiritualis, quamvis comuni vocabulo ſpiritus nominetur, quo etiam frequenter appellare ſolemus ſubtiliores quaſdam & puriores ſubſtantias, ut ſpiritum vini, ſpiritum ſulphuris, &c. Dependet etiã â materia, ut in comuni ſententia formæ omnes materiales, hoc ſolùm diſcrimine, quòd tota dependeat â tota univerſi materia, tota item â qualibet ejus parte, cùm ſit indiviſibilis. Materialem autem & indiviſibilẽ ſimul eſſe non repugnat, cùm S. Auguſtinus, S. Thomas, & Albertus magnus, animas animalium ſaltem perfectorum tales defacto eſſe aſſeveraverint.

Objectio decima tertia. Sequeretur ex hac ſententia etiam cælos eſſe animatos, ſed hoc non poteſt admitti, ergo. Probatur minor: hoc fide

fidei repugnat, inter Origenis enim errores hunc quoq; condemnat quinta Synodus generalis Conſtantinopolitana ſequentibus verbis: *Si quis dixerit Cælum, & ſolem, & lunam, & ſtellas, & aquas quæ ſupra Cælos ſunt, animatas quaſdam eſſe & mobiles virtutes, anathema ſit.* Ergo ſententia cælos aſſerens animatos fidei repugnat. Probatur â nonnullis eadem minor *ſecundò*: quod animâ informatur, debet eſſe corpus organicum; anima enim eſt actus corporis organici, atqui in cælo nulla ſunt organa, ergo neq; anima. Reſpondent Pnevmocoſmici concedendo ſequelam majoris, negando minorem, ad cujus primam probationem dicunt, hoc fidei nequaquam repugnare; alius enim & longè diſtinctus Origenis fuit error, qui Cælos non ſimpliciter animatos, ſed rationales Creaturas eſſe docuit. Imò S. Thomas vult expreſsè, ponendam eſſe neceſſariò in Cælis aliquam animam, quæ illis intrinſecè uniatur ut forma, aítq; parum ſpectare ad Catholicam veritatem an Cæli ſint animati, an non. Ad authoritatem citati Concilij reſpondet, eam vel non eſſe authenticam, vel intelligendam de anima rationali, prout jam explicatum eſt. Ad ſecundam probationem minoris, diſtingvunt majorem; quod ab anima informatur ut totum, debet eſſe corpus organicum, tranſeat; quod ab anima informatur ut pars, debet eſſe corpus organicum, negant. Ità enim ſanguis & aliæ partes corporis homogeneæ ab anima informantur, cur non eodem modo Cælum ab anima informari poſſit, velut pars quædam hujus univerſi ſimilaris & homogenea? Quid ſi etiam dicerentur cæli non eſſe homogenei, ſed conſtare partibus diſſimilibus, & ſolem, lunam, cæteráſq; ſtellas habere pro animæ ſuæ organis? Tandem omnino reijciunt communem illam ſcholarum definitionem, & meo judicio ei acquieſcere nequaquam tenentur, cùm plurimæ definitiones in Philoſophia claudicent per defectum vel exceſſum. Quis enim adeò accuratè animarum quarumcunq; poſſibilium naturas & eſſentias perſpexit? Tranſeat animam ad functiones organicas indigere corpore organico, non video tamen, cur ad alias operationes quæ organis non indigent, illud requirat. Talis operatio poteſt eſſe motus proveniens â natura intrinſeca Cælorum. Nimis enim ſimplex eſt, qui credit motum ab intrinſeco abſq; nervis, tendinibꝰ, aut muſculorũ fibris, vel alijs quibuſcunq; partibꝰ organicis nõ poſſe peragi.

Quodlibet ante vide; ſi viſum, poſtea ride;
Nec quidquam reprobes, nî priùs hocce probes.

Digitized by Google

CAPUT XII.

Spiritûs Mundi fautores illius exiſtentiam aliis adhuc argumentis perſuadere conantur.

1. PRobant ſecundò Pnevmocoſmici ſententiam ſuam poſitivè: Inter duas ſententias, circa ſpiritûs mundi exiſtentiam ſibi mutuò contrariantes, illa eſt eligenda, quâ poſitâ multæ ſolvuntur difficultates, & plurima naturæ miracula faciliùs atq; commodiùs explicantur; atqui ſuppoſitâ mundi animâ multæ reſecantur atq; ſolvuntur difficultates, quæ Philoſophorum communium ſcholas premunt, & miranda quælibet naturæ opera faciliùs atq; lucidiùs explicantur, in quorum explicatione alii fruſtra deſudant, eorúmq; rationem interrogati, ſæpiùs hærent ſicut mus in pice, ac tandem frivola quærere coguntur effugia, naturæ magnalia vel penitus negando, vel ſoli Deo, aut intelligentijs attribuendo; ergo ſententia ſpiritum mundi admittens negativæ præferenda eſt. Major videtur certa, niſi talis ſententia ſecum aliquod trahat abſurdum, vel inconveniens; atqui tale nihil involvi in ſententia ſpiritum mundi admittente, per objectionum ſolutionem capite præcedenti putant fuiſſe ſufficienter oſtenſum.

Minorem probant Inductione variarum difficultatum, quibus Philoſophi communes premuntur, circa præexiſtentiam formarum in materia, earúmq; quotidianam in tot generationibus eductionem, circa earum ſpecies, prærogativas, appetibilitates, compatibilitatem, diviſibilitatem, numerum, & novitatem.

Muſcæ, aliáq; inſecta, utì & hirundines per hyemem abſq; vita ſunt, & calore denuo tepefacta, animâ velut ab orco revocatâ, ad vitam redeunt, in quibus proinde animarum pluralitate admiſsâ dicendum, vel animam corruptam reverti, vel aliam de novo gigni. Dicet quis animam in illis manſiſſe, neq; corruptam fuiſſe, ſed ob defectum diſpoſitionum nullas vitæ operationes elicere potuiſſe. Hoc verò eſt incredibile, ut anima cæteroquin ſeparabilis, tamdiu penes inimicas diſpoſitiones permaneat, E. G. in muſcis diu ſubmerſis, vel hyeme totâ poſt trabes & tabulata ſinè ſenſu atq; motu hærentibus, quæ poſtea leni calore aëris aut cineris ad vitam revocantur. Vel in avicula illa Americana,

ricana, quæ non tantùm in ſyluis, ſed etiam in hypocauſtis, initio hyemis admeante, roſtro in lignum aliquod infixo ſe ſuſpendit, & ſic appenſa hæret abſq; ſenſu & motu per ſex circiter menſes, donec vernantibus agris avulſo roſtro avolet. In ſententia ſpiritûs mundi data reſponſio meliùs procedit; ille namq; â ſuo ſubjecto non eſt ſeparabilis, & quamvis per inimicas diſpoſitiones in operando ad tempus impediatur, nunquam tamen ſubſtantialiter expugnatur.

Poſſent quidem hîc obijci homines in Lucomoria regione Ruſſiæ habitantes, hi quotannis 27. die Novembris, more hirundinum & ranarum, præ frigoris brumalis vehementia, motu & ſenſu privari dicuntur, & poſtea redeunte vere, vigeſimâ quartâ Aprilis, denuo velut reviviſcere, in quibus anima rationalis cæteroquin ſeparabilis, penes tam inimicas diſpoſitiones nihilominus permanet, ſicut etiam in Apoplecticis, & hyſtericis, ergo idem dici poteſt de anima quacunq; materiali, eſto alioquin â ſubjecto ſuo ſit ſeparabilis. Sed reſponderi poteſt, in præfatis exemplis inimicas diſpoſitiones non tam longo tempore durare, aut ſi durant æquè longo tempore ut in hominibus Lucomorienſibus, non eſſe itá inimicas, ut omnes omnino vitæ functiones aboleant, prout abolentur in muſcis, ranis, & hirundinibus.

Secundò, dicunt ſe difficultatem evadere, quomodo non multoties accidentia producant ſubſtantias, E. G. cùm ex radijs ſolaribus intenſis ignis oritur, vel ex putri cœno ranæ, ſerpentes, ſcarabæi, & alia mille inſecta producuntur, quorum cauſa non poteſt eſſe ſol, cùm non tantùm ſit valde diſtans, ſed etiam juxta cōmunem ſententiam, quæ ipſum animâ privat, illis longè imperfectior, unde nec aliquid producere poterit animâ & vitâ præditum, alioquin perfectius produceretur ab imperfectiori. Iterum hîc multi ad Deum recurrunt. Pnevmocoſmici omnem evadunt difficultatem, dicendo ſubſtantiam nullam de novo produci, apparere tamen novas ac diverſas, quoties ad diverſas Idearum evolutiones, ac ſub diverſis accidentium apparatibus, eadem mundi anima, nunc hoc operatur, nunc aliud. II.

Tertiò, dicunt in communi ſententia explicari non poſſe actionem, quæ ſæpe videtur fieri in diſtans, in tractione lingvulæ magneticæ, in Cælorum influxibus in hæc ſublunaria, & ſimilibus. Admittunt in præfatis caſibus communes Philoſophi actionem in diſtans; ſic tamen ut in medio aliquid producatur, per quod putant cauſam licet diſtantem III.

cum

cum remoto effectu ſufficienter connecti. Sed quis credat, in tot támq; varijs Cælorum influxibus ſemper aliquid in medio produci, maximè ſubſtantiale? Si autem dicatur eſſe accidens, quomodo non ſæpe attinget productionem ſubſtantiæ? Dices, attingit non ut quod, ſed ut quo, ſeu ut inſtrumentalis non principalis cauſa; ſed hoc ipſum ſatìs eſt inconceptibile, quomodo cauſa principalis per inſtrumentum â ſe adeò remotum poſſit operari. Pnevmocoſmici ſimiles actiones, quæ fieri videntur in diſtans, clarè ſatis explicant per analogiam microcoſmi. Sicut enim in homine non miramur influxum voluntatis, E. G. in potentiam locomotivam pedis, ſive, quòd cùm voluntas vult pedem movere, pes confeſtim moveatur, ſinè aliquo per medium diffuſo; quia ſcilicet eadem eſt anima quæ in corde vult, & quæ in pede movet, ſéq; ipſam ut eſt in corde vel capite, determinat alibi exiſtentem ad motum, aliáſve actiones; Ità inquiunt, mirari non debemus, quoties in macrocoſmo unū ab altero tametſi remotiſſimum produci vel dependere videtur; Eadem enim in cunctis univerſi corporibus eſt anima, ſecundùm quā omnia ſunt unum, neq; â ſe invicem niſi ratione materialis principij diſtant.

IV. *Quarto*, Sympathias, Antipathias, Magnetiſmos, & alia naturæ mirabilia, quorum ſeriem ſat copioſam ſuperiùs attulimus, dicunt per ſpiritum mundi optimè intelligi poſſe ac explicari, & hujus Ariadnæ filo quoſvis difficultatum labyrinthos reddi permeabiles, hujus facis auxilio, quaſvis naturalium cauſarum latebras illuſtrari. Quod antequam præſtent, præter ſpiritûs mundi, ſeu animæ communis ſubſtantiam, alia plura ſupponunt, de quibus uno & altero capite infra tractabitur. Interim hîc pro complemento ſententiam ſuam ulteriùs probant argumentis quibuſdam non contemnendis.

V. Magna inquiunt eſt partium hujus mundi conſpiratio, ut ſupra viſum eſt, cùm de mirabilibus naturæ tractaremus; rerum quoq; omnium pulcherrimus ordo; Mundus deniq; univerſus ità pulcher & ornatus, ut propterea nomen *coſmi* acceperit; ità perfectus, ut etiam illo perfectiorem fieri non poſſe graves quidam Doctores affirment. Dici ergo debet, quòd ſit ens per ſe, conſtans partibus per eandem formam ſibi invicem connexis; non verò ens per accidens, ex rebus formíſq; diverſis aggregatum. Eſſet enim alioquin valde imperfectus, ſicut cumulus arenarum aut lapidum, nullo ſibi mutuo nexu cohærentium.

Videmus etiam in periculo vacui unum corpus trahi ab altero; ſic dum

Digitized by Google

dum aër per ſiphonem attrahitur, etiam vinum contra naturam ſuam ſequitur aërem aſcendentem. Cujus rei rationem in communi ſententia reddere non eſt facile. Dicunt quidem paſſim, quòd natura horreat vacuum. Quæ natura? an vini? Quid nocumenti vino, ſi tantillum vacuum oriatur in ſiphone? At impedietur influxus cæleſtis in vinum. O lepidos atq; ineptos ingeniorum influxus! nulláne alia cæleſtibus in vinum influxibus niſi per ſiphonem via patet? majus eſt vino nocumentum ſequi aërem â bibone tractum, & ab illo potatum deſtrui, quàm vacuum permittere. Natura ergo quæ vacuum horret, non eſt natura aliqua ſingularis, cujus parum intereſt dari vel non dari in parte aliqua univerſi vacuum, & quæ illius repletione ſæpius deſtruitur; ſed eſt natura ſeu forma univerſalis, cujus hoc plurimùm intereſt. Cùm enim ſit continua, imò planè ſimplex ac indiviſibilis, non admittit diſcretum & interruptum ubicationis modum, ſed per omnes univerſi partes, quæ ultimâ cælorum ſuperficie continentur, virtualiter continuata diffunditur, ſervátq; hanc exiſtendi rationem, & cùm non patiatur locum â ſe vacuum, nec ſinè corpore ullibi poſſit exiſtere, neceſſarium eſt, ut quoties vacui periculum imminet, corpus quodcunq; vicinum, etiam contra naturam particularem illius corporis attrahat, & ſic ſibi, totíq; univerſo provideat, ne intrà ſe locum aliquem deſerat, & vacui deformitatem alicubi admittat.

His accedit, quòd homo paſſim â Philoſophis vocetur *microcoſmus* ſeu parvus mundus. Si homo eſt parvus mundus, mundus erit magnus homo. Ergo ſicut in homine datur quædam anima, quæ omnes ipſius partes informat, ſic etiam aliqua huic mundo tribuenda eſt anima, quâ omnes illius partes animentur, ſibíq; cohæreant, conſtituendo unum ens per ſe.

Hanc animam veteres mundi dixêre catenam,
Qua cum ſidereis inferiora ligat.
Cùm res tam varias toto connectat in orbe,
Rebus in humanis diſſona cuncta parit.
Námq; facit doctas de ſe confligere mentes,
Diſpertit ſenſus, & cerebella ſecat.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Doctrina Idearum proponitur.

I. DOcent Pnevmocoſmici, ſpiritum mundi per Ideas determinari ac dividi in Archæos, quarum idearum naturas & proprietates, ex mente ipſorum fideliter hîc referam. Non intelliguntur hîc Ideæ illæ, quas in mente divina Theologi admittunt, & Boëtius inſinuat, dum ad Deum itâ canit:

- - - - - - - Tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente regens, ſimiliq; in imagine formans.

Ideæ ſic explicatæ conveniunt cum Ideis Platonicis, non quidem illis, quas eidem paſſim affingunt, ſed aliis longè diverſis. Illas enim Plato *Ideas* vocavit teſte Senecâ, *ex quibus omnia quæcunq; videmus, fiunt, & ad quas cuncta formantur. Hæ immortales, immutabiles, inviolabiles ſunt. Quid ſit Idea* inquit Idem, *quid Platoni eſſe videatur audi: Idea eſt eorum, quæ naturâ fiunt, exemplar æternum.* Audiendus hîc etiam nobis eſt S. Auguſtinus: *omnia*, inquit, *ratione ſunt condita, nec eâdem ratione homo, quâ equus, hoc enim abſurdum eſſet exiſtimare. Singula igitur ſingulis ſunt creata rationibus. Has autem rationes, ubi arbitrandum eſt eſſe niſi in ipſa mente Creatoris? non enim extra ſe quidquam poſitum intuebatur, ut ſecundùm id conſtitueret quod conſtituebat; nam hoc opinari, ſacrilegium eſt. Quòd ſi hæ rerum omnium efficiendarum, creandarúmq; rationes in divina mente continentur, neq; in divina mente quidquam niſi æternum atq; immutabile poteſt eſſe, atq; has rerum rationes principales appellat Ideas Plato, non ſolùm ſunt Ideæ, ſed ipſæ veræ ſunt, quia æternæ ſunt.* Dantur ergo in mente divina Ideæ, quæ ſunt cauſæ exemplares rerum omnium, ad extra creatarum, quas etiam aliqui nomine inviſibilium intelligunt, in illo ad Hebræos Pauli textu: *fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei, ut ex inviſibilibus viſibilia fierent.*

lib: 83. quæſt; 46.

Hebr: 11.

II. Sed prætermiſſis hiſce Ideis Theologicis, ad phyſicas ſive naturales Ideas, non Deo inexiſtentes, ſed rerum naturæ â Deo ingenitas nos convertamus. Has aliquando Philoſophi vocant ſpecies inſenſatas, cáſq;

Digitized by Google

eáſq; in brutis animantibus admittunt, non ſenſuum miniſterio, vel cujuſquam inſtructione acquiſitas, ſed â natura impreſſas.

Quis, ajunt, lanæ conficiendæ bombycem, telæ contexendæ araneam, apes favorum, formicas horreorum, hirundines conſtruendorum nidorum rationes docuit? quis leporem inſtruxit timere canem & non cervum etſi deformiorem? quis pullum timere milvum, & non pavonem, aut ſtruthionem etſi grandiorem? quis leoni unguium, bovi cornuum, equo calcium uſum oſtendit? quis rutæ & origani vim contra ſerpentes ciconiæ revelavit? quis palumbos, graculos, perdices, merulas lauri foliis annuum faſtidium purgare, cuculum ova ſua in nido alieno excludere, teſtudines eadem arenis â ſole calefactis excludenda infodere docuit? Leonem febricitantem eſu ſimiæ medelam ſibi quærere, urſos â Mandragora læſos devoratis formicis ſanitati conſulere, anſeres, anates, cæteráſq; aves aquaticas herbâ ſideritide ſibi mederi, grues junco, gallinas & columbas Alſine vel anagallide, canes gramine, bufones ſalviâ? quis Chelidoniæ vim ad recuperandum pullis viſum hirundini detexit? quis cervis, & capreis Cretenſibus efficaciam dictamni, ad ſagittas è corpore extrahendas indicavit? quis muribus & formicis grana frumentorum præcidendi modum, artémq; monſtravit? quis, inquiunt, alia hujuſmodi plura docuit brutas animantes, niſi natura ſpeciebus mediantibus, quibus inſtructi animantium Archæi ſuas ex illarum præſcripto peragunt operationes, & *ſcire videntur quæ agunt*, agendorum exemplares cauſas inſpiciendo, *omnia autem per divinam neceſſitatem*, ut loquitur divinus Hippocrates, videlicet non arte propriâ, ſed Ideâ â ſupremo rerum opifice ſibi implantatâ. *Scire* inquam *videntur*, ſive jam ſciant, ſive neſciant, ſive per Ideas impreſſas directivè moveantur, ſive phyſicè, prout corpus per impulſum moveri dicimus. Ab his Ideis, quæ vocari poſſunt intentionales, ad ſeminales Ideas tranſeamus, ſive panſpermiam rerum in hoc univerſo.

Ideæ ſeminales, ſive inviſibilia rerum ſemina, probari poſſunt ex illo Geneſis textu: *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. Et factum eſt ità. Et protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen juxta genus ſuum, lignúmq; faciens fructum, & habens unumquodq; ſementem ſecundùm ſpeciem ſuam.* Scimus autem multas herbas, ut filicem, aliáſq; plurimas, & mille fun- III. *Geneſis* 1.

gorum genera, ſicut etiam inter arbores ſalicem, ulmum, populum, & fraxinum carere viſibili ſemine, quod etiam potiùs ex herba, quàm herba ex ipſo prodiit, ut ſolidè ac ſubtiliter urget S. Auguſtinus, ergo aliud ſemen inviſibile ipſis concreatum eſt, per quod ſpecies illorum multiplicetur.

lib: 5. ſuper Gen. ad lit: cap: 4.

Quin imò ipſum quodcunq; ſemen viſibile, nonniſi receptaculum eſſe videtur ſeminis hujus inviſibilis, & viſibili ſemine deſtructo, ſemen inviſibile cum proxima ad evolutionem potentia in terræ glebis aliquando permanere, ac tunc quando ſemen viſibile mori videtur, ſemen inviſibile ad vitam ſurgere, ac in lucem prodire. Audivi â viro fide digno ſequentem experientiam: Is hyeme quâdam, cùm neſcio ex qua cauſa, ſive nimiæ humiditatis, ſive atrociſſimi frigoris, nuditate agrorum accedente, ſatis frugibus noxa inferenda timeretur, glebam ſat craſſam ex agro quodam certi frumenti granis conſito execuit, & cùm totam diligentiſſimè domi fuiſſet ſcrutatus, nullam tamen in ea particulam ſeminis viſibilis, aut germinis radiculam reperit, proinde animum deſpondit, tanquam de illius anni frugibus actum jam eſſet. Nihilominus ſub veris exordium, totam illius agri planitiem, loco illo duntaxat excepto, de quo gleba fuit execta, læto & copioſo frumenti ceſpite virentem deprehendit.

Sic initio mundi ex Ideis inviſibilibus omnes viſibiles rerum ſpecies ortum habuerunt. Deus enim in principio Creaturæ, cum ipſa mundi anima, rerum omnium ſpecies, rationéſq; ſeminales materiæ implantavit, quæ tantiſper in materia delituerunt, quàmdiu in orbe creato nihil aliud fuit, quàm abyſſus, chaos, & rudis indigeſtáq; moles,

Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtáq; eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.

Donec verbo Dei ac ſpiritu oris ejus evolutæ, animam mundi ad vulgò dictas rerum ſpecies determinare cæperunt, & in Archæos diſtribuere. Unde hic mundus, quantumvis ſummâ rerum varietate diſtinctus, non aliter ex chao ſuum ortum habuit, quàm ex ovo pullus, vel animal ex ſemine. Sicut enim in ſemine vel ovo, idealiter, & in potentia latet animal, donec Ideæ incipiant evolvi, & cor, cerebrum, hepar, aliáq; organa formari; ſic in mundi principio, rerum omnium ſpecies, idealiter tantùm, ſeu potentialiter in materia fuerunt, donec ſol, luna, ſtellæ, vegetabilia & animantia, ex ſuis quæq; Ideis verbo Dei evolutis, prodire cæperunt.

Crea-

Creavit ergo Deus in principio mundi *omnia ſimul*, ut expreſsè habetur in libro Eccleſiaſtici, hoc eſt in ſuis Ideis, quamvis eæ poſtmodum, ſpatio ſex dierum primò fuerint evolutæ. Et ſecundùm hanc doctrinam ille quoq; textus Geneſeos optimè poteſt explicari: *Iſta ſunt generationes cœli & terræ, quando creata ſunt, in die quo fecit Dominus DEUS cœlum & terram, & omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnémq; herbam regionis priuſquam germinaret.* Qui textus non meliùs poteſt intelligi, quàm ſi dicatur, producta fuiſſe virgulta, herbas, cæteráq; omnia, primò quoad ſuum eſſe ideale, ſeu in Ideis ſuis præextitiſſe, antequam producta fuerint in eſſe ideato, & perfecto. Quomodo alias, vel ubi fuit virgultum, *antequam oriretur in terra?* Eccli: 1. Gen: 2.

Sunt Ideæ ſeminales potiſſima ſeminum virtus, per quam rerum ſpecies multiplicantur. Imò illæ ſolæ ſunt vera rerum omnium ſemina, ut ſuprà jam fuit inſinuatum. Et quamvis in iis maximè corporibus ſint proximè habiles ad evolutionem, quæ vulgari ſeminum titulo appellamus, E. G. in grano tritici, vel hordei, nihilominus etiam per totum individui cujúſq; corpus ſunt diffuſæ, & in actu primo proximo vel remoto diſpoſitæ, ut in ſuos numeros, pondera, & menſuras evolvantur. Tale ſemen eſt in ſurculo, in quo idealiter tota arbor cum ſua radice continetur. Hoc ſemen *quamvis oculis videre nequeamus*, inquit S. Auguſtinus, *ratione tamen conijcere poſſumus.* Quod etiam ex eo probat, *quia niſi talis aliqua vis eſſet in iſtis elementis, non plerumq; naſcerentur, ex terra, quæ ibi ſeminata non eſſent.* videmus autem ex terra virgine, multas herbarum ſpecies, ſinè viſibili ullo ſemine pullulare, *& animalia tam multa, nullâ marium fœminarúmq; commixtione præcedente, ſive in terra, ſive in aqua, quæ tamen creſcunt, & coëundo alia pariunt, cùm illa nullis coëuntibus parentibus orta ſint.* Quod etiam ſupra, cùm de inſectorum generatione ageremus, pluribus fuit demonſtratum. Pergit S. Auguſtinus: *Et certè apes ſemina filiorum non coëundo concipiunt, ſed tanquam ſparſa per terras, ore colligunt; inviſibilium enim ſeminum Creator, ipſe Creator eſt omnium rerum. Quoniam quæcunq; naſcendo ad oculos noſtros exeunt, ex occultis ſeminibus accipiunt progrediendi primordia, & incrementa debitæ magnitudinis, diſtinctionéſq; formarum, ab originalibus* ſcilicet Ideis ſuis *tanquam regulis ſumunt.* IV. De Trinit: lib: 3, cap: 8.

Omnium rerum, ait idem ſapientiſſimus Doctor, *quæ corporaliter viſi-* S. Auguſt: ibid:

Digitized by Google

viſibiliterq; naſcuntur, occulta quædam ſemina, in his corporeis mundi hujus elementis latent. Alia ſunt enim hæc jam conſpicua oculis noſtris ex fructibus & animantibus, alia verò occulta iſtorum ſeminum ſemina. (en quomodo ſemen verum ſive philoſophicum diſtinguat à ſemine vulgari & ſenſibili) *unde jubente Creatore produxit aqua primò natatilia & volatilia, terra autem prima ſui generis germina, & prima ſui generis animalia. Neq; enim tunc hujuſcemodi fœtus ità producti ſunt, ut in eis quæ producta ſunt, vis illa conſumpta ſit, ſed plerumq; deſunt congrua temperamentorum occaſiones, quibus erumpant, & ſpecies ſuas peragant.*

V. Sunt quidem in omni materia rerum & ſpecierum compluriùm Ideæ, non ſunt tamen in omni materia pariter evolubiles. Semina quidem materiæ inſunt; ſed ob diſpoſitionum requiſitarum carentias non ſemper evolvuntur. Quas diſpoſitiones qui debitè nôſſet materijs applicare, miros profectò ac ſtupendos in rebus naturalibus effectus produceret. Novit optimè diabolus has diſpoſitiones rebus adhibere, cujus mediante operâ Magi Pharaonis ſerpentes produxerunt, producturi etiam cyniphes, niſi Dei digitus obſtitiſſet. Fuiſſe autem ſerpentes illos naturales oſtendit S. Auguſtinus; dicuntur enim Magi Pharaonis feciſſe ſimiliter, ſicut Moyſes & Aaron; horum autem ſerpentes veros fuiſſe non eſt dubium. Nec requiritur aliud ad productionem ſerpentis ex virga, quàm ut quis nôrit Ideam, ſive rationem ſeminalem, ipſúmve ſemen inviſibile ſerpentis ex virgæ materia evolvere, ut ex inviſibili fiat viſibile.

Audiamus hîc adhuc S. Auguſtinum, qui creationem à generatione per hoc videtur diſtinguere, quòd in generatione, res idealiter præexiſtens ex materia evolvatur, adeóq; non creetur, quia non fit ex nihilo, ſed ex præſuppoſita Idea ſui; in creatione autem à Deo, abſq; Ideæ concurſu, immediatè producatur. *Aliud eſt enim*, inquit, *ex intimo ac ſummo cauſarum cardine condere atq; adminiſtrare Creaturam, quod qui facit ſolus Creator eſt DEUS. Aliud autem pro diſtributis ab illo viribus & facultatibus aliquam operationem forinſecus admovere, ut tunc vel tunc, ſic vel ſic exeat quod creatur. Iſta quippe originaliter, ac primordialiter in quadam textura elementorum cuncta jam creata ſunt*, idealiter videlicet, *ſed acceptis opportunitatibus prodeunt. Nam ſicut matres gravidæ ſunt fœtibus, ſic ipſe mundus gravidus eſt cauſis naſcentium, quæ in illo non creantur, niſi ab illa ſumma eſſentia, ubi nec oritur,*

Lib: 3. de Trinit: cap: 9.

oritur, nec moritur aliquid, nec incipit eſſe, nec deſinit. Adhibere autem forinſecùs accidentes cauſas, ſive diſpoſitiones & conditiones ad ideatum certarum evolutionem requiſitas, *quæ tametſi non ſunt naturales*, hoc eſt non â natura, ſed â potentia libera rationalium entium applicatæ, *tamen ſecundùm naturam adhibentur, ut ea quæ ſecreto naturæ ſinu abdita continentur, erumpant, & foris creentur quodammodo, explicando menſuras, & numeros, & pondera ſua, quæ in occulto acceperunt ab illo, qui omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuit, non ſolùm mali Angeli, ſed etiam mali homines poſſunt. * Sicut ergo nec parentes dicimus Creatores hominum, nec Agricolas Creatores frugum, quamvis eorum extrinſecùs adhibitis motibus, iſta creanda Dei virtus interiùs operetur; ità non ſolùm malos, ſed nec bonos Angelos fas eſt putare Creatores, ſi pro ſubtilitate ſui ſensûs & corporis, ſemina rerum iſtarum nobis occultiora noverunt, & ea per congruas temperationes Elementorum latenter ſpargunt, atq; ità gignendarum rerum, & accelerandorum incrementorum præbent occaſiones.* Hæc Divus Auguſtinus, quem etiam ſequitur S. Thomas, cujus authoritates videri poſſunt. Unum hîc adverto ex ultimò citatis S. Auguſtini verbis colligi poſſe, non neceſſariò rerum omnium Ideas in quavis materia ponendas, magna enim valde ac ſuperflua videretur hæc entium multiplicatio; ſed ſufficit ad evolutionem cujuslibet Ideæ ex quacunq; materia, ſi dicatur ideam vel in illa materia repertam, vel aliunde allatam, adhibitis diſpoſitionibus evolvi, quod illa verba indicare videntur: *& ea latenter ſpargunt.* *Ibid; cap. 8.*

Poſſet hîc obiici, meliùs quàm optimè naturæ miracula, maximè quoad ſubitas rerum generationes, per Ideas explicari poſſe, ità tamen ut omnia ferè miracula è medio tollantur, cùm nihil ferè ſit, quod non tali modo naturæ viribus adſcribi poſſit. Sic etiam excuſari poterunt ſagæ, murium & aliorum inſectorum, butyri ac lactis, ex cœno & ſterquilinio procreatrices, tempeſtatum quoq; ac ventorum excitatrices, quaſi mediis naturalibus utendo ſimilia producant. Ut enim butyrum è luto fiat, nihil videtur requiri, quàm ut idea luti in ſuum chaos ſive orcum regrediatur, & idea butyri in materia luti deliteſcens evolvatur. Reſpondent idearum defenſores, butyri, murium, & ranarum ſubitam generationem ex luto vel alia materia naturaliter omnino fieri poſſe, tempeſtatum quoq; procellas excitari, non tamen immediatè ab hominibus maleficis, qui neq; diſpoſitiones phyſicas nôrunt, quæ ad idearum evoluti- VI.

lutionem requiruntur, neq; ſi nôrunt, tam ſubitò ac facilè illas applicare poſſunt. Dæmon itaq; immediatè ad ſimiles effectus concurrit, prout olim concurrebat ad miracula, quæ facere videbantur Magi Pharaonis. Magi & ſagæ nihil niſi certas conditiones ponunt, à dæmone, cum quo pactum vel explicitum vel implicitum iniêrunt præſcriptas, & plerumq; nullam phyſicam connexionem cum effectu habentes. Quidquid verò diabolus ad ipſorum voluntatem agit, non agit niſi naturaliter, activa, quorum virtutes optimè novit, paſſivis applicando, & diſpoſitiones pro novis ſpecierum generationibus requiſitas adhibendo. Nihilominus ejus operâ in prædictis uti eſt illicitum, quamvis effectus ab ipſo producti intrà naturæ limites contineantur.

VII. Licet verò innumera Deo permittente operari poſſit naturæ miracula, cujus etiam auxilio Antichriſtus in fine mundi ſigna & prodigia
Apocal. magna patrabit, ità ut etiam facturus ſit *ignem de cœlo deſcendere in ter-*
13. *ram in conſpectu hominum*; nonnulli tamen effectus diaboli & naturæ totius potentiam excedunt, qualis eſt hominis defuncti reſuſcitatio, quæ per idearum evolutionem adæquatè non poteſt explicari. Dato enim quòd diabolus diſpoſitiones ad reunionem animæ cum corpore requiſitas in materia ponere poſſet, animam tamen inde non poteſt educere, cùm nullam ſui præſupponat Ideam in toto univerſo; nec etiam ipſi conceſſa eſt à Deo poteſtas defunctorum animas ad ſua corpora reducendi, præſertim Electorum. Quod ſi poſſet, omnino dicendum eſſet reſuſcitationem mortui hominis vires dæmonis non excedere. Ad reſuſcitationem Samuelis, quæ vera fuit (nam in Eccleſiaſtico dicitur, Samuel
Eccli. 46 poſt mortem *notum* feciſſe *Regi*, & oſtendiſſe *illi finem* vitæ ſuæ, & exaltâſſe *vocem ſuam de terra in prophetia delere impietatem gentis*) non diabolus tantùm, ſed Deus ipſe concurrit; unde etiam prævenit incantationes pythoniſſæ, & cùm alij omnes ab illa ſuſcitati pedibus ſurſum aſcenderent, ille capite ſurſum aſcendit; hinc eſt quòd exterrita mulier
1. *Reg:* dixerit: *Deos vidi aſcendentes de terra.* Omitto plures alios effectus,
28. non tantùm quoad modum, ſed etiam quoad ſubſtantiam, ſupernaturales & miraculoſos, qui in nullis omnino circumſtantijs à dæmone attingi poſſunt; non ob meram Dei reſtrictionem, ſed ob naturalem dæmonis impotentiam. Tales ſunt rerum creatio & annihilatio, replicatio, gratiæ productio, unio hypoſtatica, & plura ſimilia.

Cœco etiam viſum reddere naturæ vires abſolutè non excedit, cùm

dæmon

dæmon diſpoſitiones neceſſarias ad debitam Ideæ oculi evolutionem adhibere poſſit. Chriſtus quidem ad ſuæ divinitatis conteſtationem ſimilia patravit, & defacto in conteſtationem veræ fidei ſimilia eveniunt, quæ moralem gignere poſſunt certitudinem, quòd non fiant â dæmone, qui ad veræ fidei propagationem nunquam cooperatur, ad falſam autem fidem ſimilibus medijs conteſtandam Deum cum ipſo velle concurrere, prorſus eſt incredibile. Non eſt autem opus ut illa media metaphyſicam ſeu omnimodam pariant evidentiam; nam etiam Chriſti poſt mortem manducatio in oculis Apoſtolorum non fuit omnino evidens redivivæ carnis indicium, cùm etiam Raphaël Angelus viſus fuerit manducare, qui tamen carnis & humanitatis fuit expers. Sed ad ideas noſtras revertamur.

Conveniunt Ideæ quoad Entitatem atq; naturam cum ſpeciebus phantaſticis; & ſicut in cerebro plurimæ rerum ſpecies ſopitæ latent, ſic & in materia plurimæ deliteſcunt Ideæ, quæ tamen ſicut ſpecies, certis temporibus, ad certos cauſarum ſecundarum concurſus & ſubjecti diſpoſitiones excitantur. Dum verò una ſpecies idealis ob majorem diſpoſitionum ſuarum potentiam & apparatum capit materiæ dominium, eámq; ſuis conſignat accidentibus, quorum certas collectiones ad ſui conſervationem ex natura ſua exigit, neceſſarium eſt ut aliæ Ideæ diſparatæ vel oppoſitæ ſub materia depreſſæ lateant, donec per alios accidentium concurſus, ideâ veteri â ſatellitio ſuo deſertâ, & in priſtinum chaos retruſâ, ipſis quoq; ſe in lucem pandendi tribuatur occaſio. VIII.

Ab his Ideis ſpiritus mundi determinatur, quæ principaliter etiam in ipſo ſubjectantur. Et ſicut phantaſia vel intellectus ex ſe abſq; ſpeciebus eſt indifferens ad cognoſcendum hoc vel illud, itâ ſpiritus mundi eſt ex ſe indifferens ad operandum hoc vel illud, E. G. latrandum, vel hinniendum; ad quas tamen operationes, uti & ipſum eſſe canis & equi ab Idea canina & equina determinatur. Idem eſt ſpiritus, qui vegetabat in gramine, cujus materiâ per equum devoratâ, & poſt abolitam equino fermento graminis Ideam, ſubſtantiæ equinæ agglutinatâ, ſentire jam incipit & hinnire; hujus iterum carnis Ideâ in chaos ſuum reſolutâ, Ideis vermium ex eadem ſubſtantia pullulantibus, repere incipit in verme. Omnium deniq; ſuarum operationum diverſitatem debet Ideis, per quas in Archæos diſtribuitur, idem alioquin ubiq; futurus & operaturus, ſi ubiq; ſimilibus Ideis eſſet inſtructus. Format verò ex

Digitized by Google

Ideæ determinantis præſcripto, nunc verum & ſolidum certæ ſpeciei corpus, aliquando verò nonniſi umbratile, quale ſpectatur in herbarum palingeneſia intrà vitrum; dum enim non poteſt facere quod vult, ex defectu ſolidioris materiæ, vel aliarum conditionum, facit quod poteſt. Si non poteſt producere corpus ſolidum, generat umbratile.

IX. Dantur in materia Ideæ rerum omnium ſub ſpecie aliqua materiali contentarum. Etiam meteora, ut pluviæ, nix, cometæ, fulmina, ſuas ideas habent, ſive ſemina, nec opus eſt recurrere in aſſignandis ſimilium cauſis ad exhalationes, quibus licèt augeri poſſint meteora, non tamen ex ipſis tanquam unico principio conſtare. Nam frigidiſſimo tempore pauci vapores attolluntur, magna tamen vis nivium cadit, neq; pro copia materiæ vaporoſæ ubiq; pluit; nam Ægyptus vaporibus quidem abundat, pluviarum tamen eſt expers. Dicendum ergo in aëre meteororum omnium latere ſemina, & ſicut non omnis fert omnia tellus, ità quoq; aërem habere regiones differentes, in quarum aliquibus hi, in alijs alij fructus aërei naſcuntur, dum ideæ illorum â ſtellis vel alijs agentibus evolvuntur. Accedit quòd aliquando Cometæ ſupra lunam, & altiores planetas exoriantur, & valde modicam habeant parallaxin, quod ſignum eſt ipſos eſſe â terra remotiſſimos, & vaſtiſſimis conſtare corporibus. Quæ jam tellus, quis oceanus tali vel unico Cometæ materiam ſubminiſtrabit? Quomodo exhalationes ex hoc mundo inferiori ad loca tam alta pertingent? Ideis ergo, non exhalationibus ortum ſuum cometæ, aliáq; meteora debent.

Quin etiam ſemina ſeu Ideas aſtrorum dari convincit experientia. Scimus enim præcedenti ſæculo in ſigno Caſſiopeæ ſtellam quandam novam per biennium fulſiſſe, ipſi Veneri claritate parem & magnitudine, cujus immenſæ moli totius globi terraquei materia non ſuffeciſſet. Magnæ ſunt etiam in cælis & ſideribus partium diverſitates, ut ſufficienter probat via lactea, ſolares & Joviales maculæ, quæ pariter nonniſi â certis Ideis ibidem evolutis ortum habent.

Huc referri poſſunt morborum Ideæ, quæ potiſſimùm in peſte, aliiſq; morbis infectivis & malignis deprehenduntur, ſúntq; ipſa morbi contagio, & ſemen quoddam, quod cum aëre attractum, in morbum ſibi analogum progerminat, & Ideas vitæ humanæ abolet, niſi hæ ſint potentiores. Dantur etiam ſimiles Ideæ in ipſis mortalium corporibus, in quarum ſuſcitatione mira eſt vis humanæ apprehenſionis. Hinc eſt quòd

quòd multi peſtem, alióſq; morbos ſolâ interdum apprehenſione ſeu imaginatione incurrant. Huc etiam ſpectat Idea verminationis corruptivæ, quam in pomo vetito Adamum comedisse nonnulli opinantur, & inde contagium mortiferum in omnes ſerpſiſſe poſteros, in quorum alijs citiùs, in aliis verò tardiùs ideam illam ajunt evolvi.

Idea vitæ non videtur diſtingui ab ideis ſingularum partium, quæ quàmdiu permanent vivit animal, cùm verò fuerint abolitæ, mortem cauſant. Eædémq; ſunt Ideæ, quæ corpus primò formant, & poſtea nutriunt atq; augmentant. Sicut enim datur Idea chyli in ſtomacho, ſanguinis in corde vel hepate, ſic etiam in quovis membro idea illius membri, cujus beneficio nutrimentum carni aſſimilatur. Quam Ideam alij appellant fermentum; quia ſicut fermentum maſſam, cui fuerit injectum ſibi aſſimilat, ſic illa in partis quam refert naturam, alimenti ſubſtantiam convertit.

Dicendum hîc etiam aliquid eſt de ſeminibus metallorum, quorum mineræ foſſionibus exhauſtæ, denuò certis annorum intervallis plenæ reperiuntur, unde aliàs, niſi ſeminalium Idearum beneficio? videtur etiam hoc modo ignis Æthnæi & flammarum ſubthermalium perpetuatio poſſe clarè ſatis explicari, ſi dicatur telluris materiam ſulphuris atq; bituminis fermento alteratam, continuum hiſce ignibus ſubterraneis alimentum ſubminiſtrare.

Lapis Philoſophorum nihil eſt aliud, quàm auri ſemen debitè prolicitum, ſive Idea ſolis excentrata, & ad ſui evolutionem & dilatationem proximè diſpoſita, quæ Archæos metallorum imperfectiores tranſmutat in perfectos. Sicut enim ſemen tritici convertit terram in triticum mediante ſeminali fermento, ſeu ideâ, ſic ſemen auri, Mercurium, plumbum, aliáq; metalla imperfectiora convertit in aurum. Sed quis hoc ſemen adeptus eſt? multi adepti, & pauci adepti. Nullus eſt vel de infima Chymicorum plebe, qui non ſciat de tabula Hermetis, de ramis metallicæ arboris, de radicali metallorum ſolutione, de ſole & Mercurio Philoſophorum diſcurrere, in quibus totum eſſe debet, quidquid quærunt ſapientes. Sed â pauciſſimis invenitur, quod â tot laborantibus magnâ cum auri fame, nec modico ſumptuum atq; laborum diſpendio inveſtigatur.

Tot deniq; ſunt Ideæ ſeminales, quot rerum ſpecies vulgò putantur eſſe in hoc univerſo, ſive ad quot actionum ſpecificarum diverſitates

ſpiritus mundi determinari poteſt. Latent in materia, donec cauſarum efficientium vi evolvantur, & in ſuis ideatis reddantur conſpicabiles. Interdum etiam planè jam abolitæ, & vix reducibiles videntur, cùm tamen ſe paulò poſt conſpicuas repræſentant.

X. Quis ſemen ranarum per brumam in cœno manere crederet, unde veris initio ranæ renaſcuntur? quis crederet piſces ab avibus devoratos genituram ſuam ſervare incorruptam, â qua denuo piſcinæ implentur? & viſci grana â turdo devorata ſuum in excrementis retinere fermentum, cujus beneficio ex arbore cui fuerint aſperſa regerminant?

Mirum eſt quod de ſua genitrice narrat Tackius, quòd vice quadam in ſummitate pectoris â veſpa ictum acceperit, ex quo uſq; in ſenectam obſcuros ſenſerit dolores, quibus ante obitum recrudeſcentibus, globulum veluti quendam ſub cute læſa volutari deprehendit, & perfectum tritici granum inde poſtea extraxit, quod nonniſi â veſpa tritici granis paſta acceperat. Admiratione dignum eſt, potuiſſe virtutem ſeminalem totius grani adeo parvâ capi proboſcide, atq; in tantillum foramen implantari. Transferuntur ergo ab animalibus huc illuc rerum diverſarum ſemina, & aliquando etiam in aquis hauriuntur, quæ poſtmodum, ut frequentibus hiſtoriis eſt comprobatum, in ſtomacho aliiſq; viſceribus evolvi incipiunt. Quin etiam alimentum ex heterogenea carne in ſubſtantiam rei alitæ jam converſum ſuam Ideam non deponit. Hinc ardeæ luciis nutritæ in lucios, carpionibus nutritæ in carpiones putrefactionis viâ ſolvuntur. Ægyptij, & Inſulæ Madagaſcar incolæ locuſtis veſcuntur, hinc ex carnibus illorum putrefactis denuo naſcuntur locuſtæ.

Anates etiam ſcoticæ, prout Batavorum experientiâ eſt compertum, non oceano ut quidam crediderunt, ſed Ideæ pariter ſeminali ſuam debent fæcunditatem. Siquidem multa ovorum anatinorum millia reperiuntur in glacialibus Inſulis, quæ per ſævitiam tempeſtatis mari permixta, ventóq; ad Inſulas Scotiæ delata, ideas ſuas ſeminales adhuc retinent; hæ poſtquam in carioſis lignorum receſſibus aptum locum invenerint, evolvuntur in anates.

XI. Ex his, quæ dicta ſunt, intelligi poteſt, quid ſint rationes ſeminales, ſive rerum ſemina in ſenſu Philoſophico. Nihil enim ſunt aliud, quàm *idea corporis organici, in hac vel illa ſpecie, aut ſpeciei ſexu conſtituti.* Sexuum namq; diverſitas diverſas ſaltem partialiter exigit ideas.

Semen

Digitized by Google

Semen viſibile, ſive corpus è quo idea eſt proximè evolubilis definiri poteſt, quòd ſit *ſubſtantia, ſpecie corporis, de quo deſumpta eſt, proximè evolubili inſignita.* In hac ſubſtantia ineſt ſpecies, ſeu Idea corporis organici, actu & formaliter; organa verò, E. G. radix, folia, flores, & fructus ſolùm in poteſtate ſeu radicaliter, ſummaliter, originaliter, ſive ſecundùm quendam actum imperfectum, ſecundùm quem fortaſſe Albertus Magnus docuit formas præexiſtere in materia.

Nec tamen in omnibus ſubſtantiæ illius partibus idea illa evolutionis æqualiter eſt capax, ut jam ſupra fuit inſinuatum. Verum ſemen quod in grano tritici proximè aptum eſt in germen evolvi, vix habet pro ſubjecto bis milleſimam & octingenteſimam partem ſui corporis, quod ipſi ex potiore parte ad munimen ac defenſionem ab externis injuriis à natura eſt deſtinatum. Hanc optimam & fæcundiſſimam partem mures ac formicæ in granis præmordent, ne in terræ penuariis recondita germinent in herbam. Talem ſeminis particulam veſpa illa, cujus ſupra mentionem fecimus, pectori fæminæ ſauciato immiſit. Cogita jam, quantilla ſit veri ſeminis ad generationem proximè apti in grano milij vel ſinapis particula, in quo tamen caulis, radix, folia, flores, & jubæ ſeu ſiliquæ ſeminis alterius feraces idealiter continentur. Idem eſt in Animalibus. Quis non miretur tantillam ſeminis gallinacei portiunculam vim prolificam adeo potentem exerere, ut ſi vel ſemel tantùm gallus gallinam compreſſerit, illa deinceps etiam per integrum quandóq; annum pariat ova prolifica utriuſq; ſexûs, abſq; ulteriori galli conſortio.

Idea hæc ſeminalis diverſis conſtat partibus, ſecundùm diverſitatem partium organicarum originem ex illa trahentium; conſiſtere nihilominus poteſt in loco & ſubjecto indiviſibili. Harum partium ſi debita ſecundùm locum & ordinem fiat evolutio, prodit exinde corpus debitè formatum; ſin minùs, monſtroſum corpus naſcitur. Qua in re acutiſſimus harum veritatum ſcrutator Doctor Marci plurimum tribuit diverſis refractionibus ideæ ſeminalis per materiam ſeminis in ſua evolutione, eandémq; exemplo luminaris refractionis explicat. Ex cujus etiam ſcriptis ad elucidationem Idearum, & coſmici ſpiritûs, nonnulla de verbo ad verbum huc tranſlata ſunt.

Hucuſq; actum eſt de ideis, quæ ut dixi non ſunt aliud quàm ſpecies rebus impreſſæ, & cauſæ quædam, ſeu Phyſicæ ſeu exemplares, ſpiritûs mundi phantaſiam moventes, quibus ille determinatus & motus, XII.

diverſa ſibi imaginatur. Eſt verò mirabilis hujuſce ſpiritûs imaginatio. Nam ſicut anima noſtra rationalis, objectum, quod mediante phantaſmate ſeu ſpecie phantaſtica materiali percipit, ſpiritualiter exprimit in ſpecie intelligibili, tam impreſſa quàm expreſſa; ità ille quamcunq; rem in idea inſenſibili & incorporea perceptam, ſenſibiliter & corporaliter exprimit, partium numeros, magnitudines, colores, aliáq; accidentia, juxta Ideæ præſcriptum in materia diſponendo & formando. Et ſic omnes rerum viſibilium ſpecies in hoc univerſo nihil ſunt aliud, quàm actus phantaſtici animæ mundi, ab Ideis ſuis ortum trahentes, ſeu vitales ſpecies, ad ſimilitudinem ſive phyſicam ſive repræſentativam cauſarum idealium ſenſibiliter formatæ & expreſſæ. Quamvis ad generationem cujuſcunq; rei videatur ſufficere, ſi communis ille rerum opifex, ſpeciem impreſſam ſive ideam, eòuſq; inſenſibilem & incorpoream, in ejus evolutione veſtiat habitu ſenſibilium accidentium, & corporalibus lineamentis, juxta naturalem ideæ ipſius exigentiam; & ſic idea cum omnibus ſuis partibus ex inviſibili fiat viſibilis, acceſſu diverſarum conditionum ac diſpoſitionum, ſicut externæ rerum quas videmus ſpecies accedente lumine fiunt viſibiles, eóq; ablato in chaos ſuum recidunt.

Undiq; ſparſa latent multarum ſemina rerum,
Quorum ſubſidio rebus origo datur.
Circa hæc diſcurrit ratio, vix attamen ullam
Ideam veræ cognitionis habet.

CAPUT XIV.

De occultis & mirabilibus atomorum effluviis.

I. UT Pneumocoſmici omnia naturæ mirabilia adæquatè poſſint explicare, præter ſpiritum mundi, qui eſt omnium operationum cauſa effectiva, & ideas, quæ ſunt cauſæ exemplares ſpiritûs mundi determinatrices, docent à ſingulis corporibus quædam effluvia promanare, quæ non parvum ſunt naturæ miraculum, ſive ſint accidentalia, prout eſt odor, quem vel unicus lilij flos in immenſum diffundit; ſive ſubſtantialia, quorum communiter duo potiſſimùm genera ſtatuuntur: *vapor*, qui eſt humida, & *fumus* qui eſt ſicca exhalatio.

Digitized by Google

latio, quæ duæ exhalationes adeo interdum tenues ſunt ac ſubtiles, ut ſenſum omnino effugiant. Et plura longè inviſibiliter ac inſenſibiliter quàm manifeſtè ac ſenſibiliter è corporibus emanant; in nobiſmetipſis longè plus occultè ac inſenſibiliter expirari ac tranſpirari, quàm ſenſibiliter excerni, communis tenet Medicorum opinio.

Hæc rerum effluvia explicari ſolent per atomos, multò quidem ſubtiliores illis, quas in radio ſolari locum obſcurum penetrante, & in craſſiori nebula quandoq; videmus. Probantur verò ſequentibus experimentis.

Datur fungus quidam cadaveroſus, cujus fætorem homo percipit II.
tametſi plurimis diſtans paſſibus. Animalium quoq; cadavera per longiſſima terrarum ſpatia plurimùm fætoris exhalant, quem, commiſſo ſemel in Græcia prælio, ad quingenta milliaria, Aquilæ, corvi, & vultures perſenſiſſe, & ad illa depaſcenda longinquis è regionibus advolâſſe ſcribuntur. Odorem felicis Arabiæ, & hiſpanici Roſmarini, ad aliquot milliaria â litoribus diſtantia percipi teſtantur, qui maria illis regionibus vicina ſulcârunt. Notum eſt ventos eaſdem qualitates ſecum vehere, quas habent loca etiam remotiſſima, ex quibus veniunt.

Talia effluvia dimittunt feræ, ut lepores, & vulpes, in ſuam perniciem. Leporem tranſcurriſſe aliquem locum longo poſt tempore canis odoratur. Venatores quoq; vulpium odorem diu poſt vulpis diſceſſum perſentiſcunt, ſive, ut ſuperiùs dixi, effluvia illa ſint ſubſtantialia, ſive tantùm accidentalia.

Quilibet homo de ſuo corpore plurimùm tranſpirat, ut ante diximus; hinc canes Dominos ſuos odore ſolo nôrunt diſcernere. Fuit aliquando Pragæ Religioſus quidam, qui ſolo odoratu omnia nôrat explorare, & inſtar ſagaciſſimi canis diſcernere, â qua perſona ex plurium adſtantium numero res aliqua vel leviſſimè fuerit contacta.

Talia etiam effluvia, & quidem ſat mordacia exhalant cepæ, naſturtium, raphanus ruſticus, & alia vaporoſa, ità ut etiam oculos ſatìs quandoq; remotos offendant. Londini ex carbonibus foſſilibus, quibus Angli focos inſtruere ſolent, tanta multitudo atomorum in aërem ſe diffundit, ut inſtar nigri pulveris omnia obtegat. Magìs ibi per unum diem collaria, & alia lintea dicuntur ſordeſcere, quàm alibi per decem dies; ſimiliter utenſilia ſplendida & pulchra brevi tempore aër ille fuliginoſus obſcurat, & livore obducit. Quin etiam veſtes in ciſtis abdi-

tas

Digitized by Google

tas & concluſas nigredine inficit, humanis quoq; pulmonibus non parvam creat peſtem. Hinc dimidia ferè Londinenſium pars peripnevmoniâ vel phthiſi perire dicitur. Si ægri Pariſios abeant, mutato aëre ſtatim convaleſcunt.

III. Probant nonnulli atomos *aëreas* ex eo, quòd dolio ſuperiùs bene operto, aliquot nihilominus guttæ per epiſtomium effluant, quarum locum illis atomis cenſent impleri. *Igneas* dicunt imprimi corporibus aduſtis, ad quas extrahendas aduſta membra flammæ ſolent admoveri. *Terreas* videtur continere non tantùm aër, ſed quævis aqua, maximè pluvia, in qua poſt aliquod tempus ſolent viſibiliter ſubſidere. *Aquea* implent & cogunt rimas, quas vaſa lignea in ſicco aëre acceperunt.

Per eadem effluvia optimè nonnulli videntur explicare, quomodo feles & canes per multa quoq; milliaria domum redeant, quamvis antea viam non cognoverint; & maximè, quomodo apes abſq; ulla ſemita â locis diſtantiſſimis ad ſua quotidie revolent alvearia. Imò ſunt qui aſſerunt aërem nihil eſſe aliud, quàm confuſionem ſimilium effluviorum, ſive jam vocentur atomi, ſive corpuſcula.

IV. Aſſerunt quoq; illa ex omnibus omnino rebus emanare, non tantùm ex mollibus & vaporoſis, ſed etiam ex duris, quales ſunt gemmæ, aliiq; lapides, quod probare videntur amuleta, quæ ſolâ geſtatione multùm quandoq; proſunt, & mirabiles cauſant effectus.

Rubinus ab homine portatus venenis reſiſtit, & animum exhilarat. Similiter *Sapphirus* peſti & febribus malignis adverſatur, arteriæ applicatus febrilem æſtum imminuit, cardiacos etiam & melancolicos affectus ſolâ geſtatione tollit. Lapis quoq; *Sardius* geſtatus animum exhilarare dicitur, timorem pellere, venenis & faſcino adverſari. *Chryſolithus* melancolica & moleſta inſomnia, terroréſq; nocturnos abigit.

Lapis *Lazuli* amuletum eſſe creditur contra ſyncopen & abortum de collo ſuſpenſus, oculorum quoq; aciem roborare, ac ſerenare vitales ſpiritus.

Granatus cor confortat, ſimiliter *Smaragdus* & *Hiacynthus*, qui etiam â peſte hominẽ præſervant. *Uniones* caſtitatem adjuvare creduntur. Et hoc lapides illi omnes præſtant, non contuſi, aut introſumpti, ſed geſtati duntaxat. Aureis annulis tribuunt non pauci virtutem recreandi cor; non videtur eadem eſſe neganda crudis auri foliis, quæ quidem cordialibus medicamentis admiſceri multi perperam rident, credentes

Digitized by Google

dentes corpus adeo ſolidum, nec tantùm ventriculo, ſed etiam ignibus invictum, nihil de ſe in ſanitatis commodum ſpiritibus vel ſanguini poſſe communicare.

Lapis *Turcheſia* ſolâ geſtatione hominem â caſu præſervare creditur, vel ſaltem â damno ſeu fractura, quam per caſum incurriſſet. Quod idem multi aſſerunt de lapide *Malachite*, qui etiam tempore casûs frangi dicitur, corpore ferentis illæſo. Idem aliqui cum duobus vel tribus dactylorum nucleis expertos ſe fuiſſe teſtantur.

Lapis Nephriticus contra nephriticos dolores, calculos, & arenas coxendici alligatus vel collo appenſus geſtatur, nonnulli etiam armillas inde ſibi fieri curant. *Cryſtallus* contra vertiginem portari ſolet. *Amethyſtus* ſimiliter portatus ebrietatem arcere creditur.

Rubra corallia præclarum ſunt amuletum contra faſcinationes, terriculamenta, incantationes, ſpectra, dæmones, & fulmina; Item contra immodicos menſium fluxus, & gonorrhæas. Colorem quoq; mutare dicuntur præſente vel inſtante morbo.

Globuli ex *ſuccino* annecti ſolent occipiti contra oculorum defluxionem. Collo geſtati deſtillationes in guttur prohibent. In quem finem etiam annuli Mercuriales â quibuſdam geſtari ſolent.

Hæmatites vel *Chryſolithus* corpori alligatus ſanguinis fluxum ſiſtit. Item burſa paſtoris geſtata, vel bufo debitè ſiccatus & manu detentus uſq; dum incaleſcat. Idem ſcribitur de *Jaſpide*, uſnea cranij humani, & radice pentaphylli. Oſſa quoq; ſirenum manu duntaxat geſtata, quoſcunq; ſanguinis aliorúmq; humorum fluxus, miraculosâ quadam vi ſiſtere dicuntur, uti & Veneris deſideria retundere.

Si quis oris extremitatem, deſumptam â quodam animalculo, quod V. reperitur in Java Inſula, nomine Cabim, aut lapidem ex aliis quibuſdam beſtiis, quæ â Sinenſibus Cabriſiæ vocantur, apud ſe habeat, quantumvis corpus ejus multis confodiatur vulneribus, nec guttam tamen ſanguinis emittit. E contra ſi caudæ pavonis pennas deferentem cruentari contingat, ſanguinis fluxus cohiberi non poteſt.

Quidam ab aſpide calcata percuſſus, utrem aceti ferens, quoties illum deponebat, ſentiebat ictum, aliàs illæſo ſimilis; tantam vim habuit in dolore vulneris leniendo acetum forinſecus portatum. Quo deinde in ſubſtantia adhibito plenè convaluit.

Annuli ex cornu vel ungulis bubali geſtari ſolent contra ſpaſmum,

ex ungula verò Alcis confecti contra epilepſiam, à qua etiam hominem præſervat pæoniæ radix, & grana de collo ſuſpenſa, uti & carbo ſub artemiſia, circa ſolſtitium in feſto S. Joannis Baptiſtæ repertus, patienti appenſus, & in pulveris forma exhibitus. Pollex quoq; lyncis ex pede dextro, argento vel auro incluſus, à ſpaſmo & epilepſia geſtantem creditur præſervare.

Alij pro inſigni antiepileptico commendant lapidem chelidonium brachio vel collo appenſum, qui etiam ità geſtatus oculis conferre ſcribitur. Qui bufonitem geſtant tuti ſunt à venenis.

Secundina cati primipari de collo ſuſpenſa, valere dicitur ad oculorum affectus. Idem ſcribitur de radice Taraxaconis introrſum per foſſam ſubtus factam extracta. Alij radices recentes morsûs diaboli numero circiter quinq;, lunâ decreſcente effoſſas, patientibus ad collum appendunt, & curant ſpatio viginti dierum quoſcunq; oculorum affectus, etiam periculo cæcitatis conjunctos; primis tamen diebus preſſuræ quædam ſufferendæ ſunt & dolores. Radix Rutæ appenſa oculos puerorum in morbillis à cæcitate præſervat.

Oculus dexter urſi exiccatus infantibus contra terrores nocturnos appenditur, quos etiam arcet aſini pellis culcitræ loco ſuppoſita.

Cingulum ex pelle lupi confectum & corpori applicatum, ità ut pili ventrem tangant, colicam abigit. Contra lumbricos adhiberi ſolet cingulum quod tranſgreſſa eſt Salamandra.

Radix pſeudoiridis contra dyſſenteriam, amaranthus luteus contra lumbricos de collo ſuſpendi ſolet; Artemiſia contra laſſitudinem, chelidonia contra icterum pedum plantis ſupponi.

Verbenæ radix de collo ſuſpenſa capitis dolores ſanat. Vermiculi ex dipſaco de collo ſimiliter geſtati quartanam arcent, uti & araneus collo vel lacerto appenſus.

Radix valerianæ amuletum eſt febris quotidianæ, radix taraxaconis tertianæ, radix fœniculi atrophiæ mederi dicitur.

Contra incantationes inſigne creditur periapton oſſiculum cruciforme capitis ex Lucio. Contra ſpectra multi portant radicem crinitam herbæ victorialis. Non pauci contra magias ad nudam carnem deferunt lignum taxi.

Contra melancoliam, terrores & magias, nonnulli accipiunt nucem avellanam foraminoſam, hanc debitè à ſordibus evacuant, deinde impo-

Digitized by Google

imponunt unum ſpeculum minutim conciſum de cauda pavonis, reliquum ſpatij mercurio implent, foramen cerâ virgineâ claudunt, nucem ſic præparatam, & ſerico charmeſino inſutam in collo deferunt.

Hæc quidem tametſi omnia non ſim expertus, falſitatis tamen, aut quod pejus, diabolicæ artis nolim condemnare, cùm nihil in illis ſuperſtitioſum videatur uſurpari, & præfati omnes effectus per effluvia corporum, quæ pro amuletis geſtantur, ſalvari poſſint. IV.

Si quis veretur, ne per hæc effluvia ſubſtantiæ conſumantur, admittat ſaltem accidentalia effluvia, per quæ ſola præfati effectus ſatìs videntur explicari. Magìs ego miror vitrum antimonij, quod plurium annorum infuſionibus, nec de pondere, nec de virtute quidquam perdit, ut non immeritò pocula illo incruſtata, â nonnullis pocula æternæ virtutis appellentur.

Effectus miri toto cernuntur in orbe,
Omnia ſunt atomis, omnia plena tomis.
Vera quidem è cunctis manant corpuſcula rebus,
Multa ſed ingeniis dogmata falſa fluunt.

CAPUT XV.

Veritas Authorum ipſam tenentium vitio quandoq; ſuppreſſa.

EX his quæ hucuſq; dicta ſunt, facilè quivis intelligere poteſt terminos & principia ſententiæ, quæ ſpiritum mundi admittit, cui etiam me favere atq; adhærere declaro, donec probabilior aliquis philoſophandi modus occurrat. Nec tamen ullius rei veritatem in his pertinaciter mihi arrogo; ſcio enim in pluribus me falli poſſe.

Hoc nihilominus commodi conferre mihi videtur hæc ſententia, quòd me â quibuſdam ſcrupulis reddat ſolutum & immunem, qui ſolent quandoq; viris Religioſis occurrere in occiſione quorumvis animalium, etiam inſectorum, ut culicum, pulicum, aut muſcarum. Videtur enim eſſe contra manſvetudinem Chriſti, animam cujuſcunq; viventis cum corpore perimere, quod tamen in communi ſententia facit, qui vel unicum I.

cum culicem aut pulicem comprimit & occidit. Ab hoc ſcrupulo ſunt liberi qui ſpiritum mundi tenent; credunt enim occiſo pulice nihil de anima ipſius vel ſubſtantia perire, nec dolor Archæo illatus tanti eſt momenti, aut contra manſuetudinem Chriſti tantopere pugnat, quantopere unius formæ ſubſtantialis atq; vitalis corruptio. Deſinant ergo qui doctrinæ ſpiritûs mundi contradicunt, & nihilominus in animalia ſæviunt, ſaltem eſſe crudeles, ſi nolunt eſſe creduli.

II. Quid verò eſt quòd hic mundi ſpiritus paucos hucuſq; inveniat fautores, quibus tamen eſſe vegetativum & ſenſitivum, item operationes omnes materiales, & cum omnibus univerſi rebus, ipſíſq; puriſſimis ac ſplendidiſſimis Cælorum corporibus, ſubſtantiæ ſenſúſq; naturalis communionem tribuit; è contrà plurimos ex ipſis habeat adverſarios & oſores, qui cane pejùs, & angue ipſum execrantur?

Hoc inprimis contingere cerno communi hominum vitio, qui doctrinæ quâ ſemel fuerunt imbuti adeo manent tenaces, ut quidquid eam non redolet irrideant & reprobent cum lippis & tonſoribus, nec quidem illud audire velint, multò minùs intelligere. Non deſunt ex his, qui ſpiritum mundi, quem tamen vix adhuc unquam bene noverunt, aut intellexerunt, adeo perſequuntur, ut ejus fautores dicant non eſſe Philoſophos, ſed deliros, ipſámq; ſententiam vocent delirium ab hominum mentibus exterminandum, utinam verò ſpiritum ipſos inflantem potiùs extermináſſent, quàm ſpiritum ipſos informantem. Sed nec informari volunt, nec diſcere, quos proinde miſſos faciamus, unuſquiſq; interim in ſuo ſenſu abundet.

III. Nec ſolùm diſcentium indocilitate, vel diſcere omnino reſpuentium pertinaciâ, ſed etiam docentium ac veritatem proponentium vitio fit, quòd pauci ad ejuſdem veritatis tramitem â devio ſententiarum ſuarum itinere convertantur. Multi quidem de ſpiritu mundi hucuſq; ſcripſerunt, ſed valde paucos in ſuam traxerunt ſententiam. Cujus prima cauſa eſt, quòd methodo inordinatâ & confusâ doctrinam ſuam propoſuerint, & inſuper terminis quibuſdam barbaris, ac verbis exoticis eandem obvolverint. Qualia ſunt E. G. *Ens Pagoyum*, *Cagaſtricum*, *Iliaſtrum*, *Cherionium*, *Eveſtrum*, *Ylech*, *Zenda*, *Trarames*, *Turban*, *ſtannar*, *perenda*, *noſtoch*, *Zonetti*, & plura ſimilia, quæ in Paracelſi ſcriptis paſſim occurrunt. Ex quo etiam Helmontius deſumpſit ſuum *Relollaum*, apud quem præterea invenies: *gas*, *blâs*, *Quellem*, *Burleſſas*,

leſſas, *Alkaheſt*, *azot*, vocabula non tantùm ſcholis, ſed & linguis hominum, imò & diabolorum peregrina. Quo ſcribendi modo nihil aliud, quantùm æſtimo, intenderunt, quàm ut viderentur ſub ejuſmodi verbis grandia celare myſteria, quorum margaritæ ante quoslibet non eſſent proijciendæ. Si hæc fuit ipſorum invida intentio, ſcriptionem potiùs intermittere præſtitiſſet. Magna ſatis eſt rerum naturalium obſcuritas, ut obſcuratione majori non indigeat. Taceo quòd non pluribus margaritis ſcripta illorum referta ſint, quàm ſiliquis.

Alteram cauſam, ob quam hucuſq; ſententia ſpiritum mundi aſſerens omnibus exoſa fuit & contempta, hanc eſſe video, quòd nonnulli ejus aſſeclæ in comunem ſcholarum doctrinam, & authores contrarium ſentientes turpiſſimè invehantur, ob quod ſcripta ipſorum vix habent lectorem. Plures Helmontium volverent, niſi ſtylo tam arroganti & ſuperciliosſo ſcripſiſſet. Inprimis enim, tanquam à Deo ad reformandam Philoſophiam ſimul ac medicinam, *ad penurioſas* ut vocat *ſcholarum cæcitates*, *& credulam ignaviam* corrigendam eſſet vocatus, ac delegatus, dicit ſe *veritatem docere compulſum*, *& novam condere Philoſophiam, ac omnia penè reſcindere à prioribus tradita*. *Tantam*, inquit, *ſcholarum & ſæculorum ignaviam & cæcitatem cùm mecum perpendo, laudo Deum ter glorioſum, quod parvulis in ſe ipſo multam veritatem patefecerit, quam magnatibus & Cathedris occultavit.* Verum eſt quòd Deus Intellectum dat parvulis, eíſq; ſecreta ſua pluſquam aliis revelet. Videamus autem quàm iſte fuerit parvulus in ſemetipſo. Vereor enim ne omnibus major eſſe voluerit. Ait ſe legiſſe *opera Galeni, Hippocratis, Avicennæ, & tam græcos, Arabes, quàm modernos fortè ſexcentos, ex iis quidquid calamo dignum annotâſſe, & in collecta ſupellectile nihil comperîſſe ſolidi aut veri*. Ariſtotelem vocat *naturæ ignarum & miſerum rixatorem*. Divini Hippocratis pleraq; opera *quiſquilias* dicit eſſe *adulteras*. Galenum nominat *impoſtorem*, *alienorum corraſorem*, *judicio penurioſum*. Scripta Martini del Rio *ſtipulas* appellat *inanes*, *rapſodiáq; pauperrima judicio priva*. In omnes deniq; ſcholas, ſcholarúmq; doctores paſſim turpiſſimè debacchatur. Sibi ſoli datam à Deo ſcientiam veritatis non ſemel repetit. Se *novum medicinæ* vocat *authorem hactenus duntaxat nominetenus cognitæ*, *& doctrinam libri ſui permanſuram jactat uſq; in mundi finem*. Quæ quidem in libro ipſius uſq; ad diem Judicij permanere poteſt, paucos tamen arbitror per illam con-

IV.

vertendos. Habet cæteroquin in ſuis ſcriptis multa rara & conſideratione digna, ſed ut dixi, falſo & ambitioſo ſcribendi modo animos legentium avertit, & ſibi tanquam Machaoni alicui vel Æſculapio de cælis delapſo in omnibus inviolabilem vult fidem haberi, ſuam medendi potentiam in omnibus extollit, & miracula jactat. Medici nomine judicat indignum, qui febricitantem non reſtituit ante quatriduum. Aliorum quoq; morborum breviſſimas innuit curationes, quamvis ego exiſtimem theoriæ tam arroganti praxin in multis defuiſſe. Quidquid ſit, eo quo uſus eſt ſcribendi ſtylo, parum probat, ſe ad reformandam Philoſophiam & medicinam à Deo miſſum.

V. Hunc præceſſit Theophraſtus Paracelſus, quem ſi totum legeris, jejunus ut ante manebis, maledictorum tamen ſatur, quæ ubiq; ſcriptis ſuis immiſcet, & doctior terminis aliquibus non ſignificativis, quos, ut ſupra dictum eſt, frequenter uſurpat, quatenus myſterioſum aliquid, & communi hominum notitiâ indignum illis obtegere videatur. Ejus quoq; jactantiã audiamus: libros ſuos libris per quatuor millia annorum ſcriptis præfert; Ait ad ſe perveniſſe Monarchiam omnium artium; Avicennam, Galenum, Rhaſen, Montagnanam, Meſuen, Pariſienſes, Monſpelienſes, Svevos, Miſnicos, Colonienſes, Viennenſes, & quotquot Danubium, & Rhenum accolunt, Inſulas maris, Italiam, Dalmatiam, Athenas, græcos, Arabes, Iſraëlitas, ſe Monarcham ſapientiæ ſequi jubet. Univerſitatum Profeſſores, non profeſſores veritatis, ſed confeſſores mendaciorum; mendaces, non doctores eſſe ſcribit.

O Medici mediam huic capitis pertundite venam.

Non eſt hoc alijs tradere ſapientiam, ſed ſuam omnibus profiteri ſtultitiam. Paucos hoc modo ſcriptorum & ſententiarum ſuarum lectores, pauciores adhuc aſſeclas reperient tumidi & arrogantes hujuſmodi convitiatores & ſycophantæ, qui omnem ſapientiam ſe putant devoràſſe, & aliis nihil niſi deliramenta reliquiſſe. Nihil hîc volo dicere de quibuſdam aliis partis contrariæ ſcriptoribus, qui eodem generis humani typho ſufflante, non minùs per tumorem & arrogantiam exceſſerunt, cùm tamen perfectiores eſſe debuerint Paracelſo & Helmontio. Quiſq; ſe putat veritatem comprehendiſſe, quam proinde mordicus vult tenere. Interim plurimi decipiuntur, cæci ſunt, & duces cæcorum, quos inter

Ille mihi cæcus ſtultiſſimus eſſe videtur,
Qui ſe præ reliquis quàm plurima cernere jactat.

Cùm

Digitized by Google

Cùm tamen longè minùs videat, quàm cæcus ille Evangelicus, cui homines apparebant, tanquam *arbores ambulantes.*

Licitum eſt nihilominus, imò & laudabile, pro modulo capacitatis noſtræ ſcrutari naturæ myſteria, & quod quiſq; probabilius repererit, in medium proferre. Utinam plures hanc ſpartam ſuſciperent, & ſententiam Pnevmocoſmicam, quam ego hîç non ex profeſſo, ſed incidentaliter duntaxat, referendam magìs quàm tractandam ſuſcepi, ſcholaſticâ methodo, ſtylóq, facili & manſueto, ſinè ullis verborum tricis & ambagibus, veritatis amatoribus pleniùs exponerent; Et ex hinc tanquam ex univerſali principio, novam deducerent Philoſophiam, ſententias communes ità reformando, ut exiſtiment ſuis quoq; opinionibus poſſe falſum ſubeſſe; ſic aſſerendo communem ſpiritum, ut non jactent privatum.

Hi qui plurima judicant, probántq;,
Multâ utuntur imaginatione,
Et ſemper ſibi plus imaginantur.
At contingit imagines eorum
Crebrò diſſimiles videre rebus.
Hinc nil judicio meo videtur,
Cur docti ſibi tantum imaginentur.

CAPUT XVI.

De materialibus rerum principiis magna inter authores diſſenſio.

SEntentiæ Platonicæ inſiſtendo, tria ſtatui poſſunt rerum omnium principia: *Materia*, *Mens*, & *Idea.* Per *mentem* intelligitur anima, ſeu ſpiritus mundi, mirabilis ille phantaſta, qui omnem hujus univerſi materiam informat, & pro phantaſiæ ſuæ incidentiis omnia in omnibus operatur. Hic eſt principium effectivum rerum omnium viſibilium. Secundum principium eſt *Idea*, cujus naturam abunde ſuperiùs explicuimus, ſive tantùm ut cauſa exemplaris, ſive etiam aliquando ut cauſa effectiva concurrat. Tertium principium eſt *Materia*, ſeu cauſa ſubjectiva rerum omnium, quæ cum mundi for- I.

ma

Digitized by Google

ma magnum hoc univerſi animal conſtituit, cui etiam Ideæ, ſeu ſpecies rerum omnium inſunt, quorum aliquæ jam excitantur, & fiunt conſpicuæ; jam iterum ab aliis detruſæ in chaos ſuum recidunt, & ſic omnium rerum in hoc mundo generationes & corruptiones ſucceſſivè peraguntur, *continuato quaſi quodam fluvio, labentium, manantiúmq; rerum*, ut loquitur S. Auguſtinus, & *ex occulto in promptum, atq; ex promptu in occultum uſitato itinere tranſeuntium.* Diſquirendum jam quænam ſit illa materia, ſeu cauſa materialis rerum omnium.

de Trinit: lib: 3. cap: 6.

II. Et quidem ſi de materia remota ſit quæſtio, judico materiam primam poſſe admitti, propter communem Philoſophorum, & maximè Divi Auguſtini authoritatem, quam etiam ſuperiùs cùm de Ideis ageretur, fuimus venerati. Quamvis nulla ſint rationum pondera, quibus materiæ illius exiſtentia demonſtrativè probari, & corporis ſubſtantialiter ſimplicis exiſtentia poſſit elidi; ut taceam dari magnas circa tenebroſam hanc materiam errorum tenebras.

III. Circa materiam proximam, ſive corpus elementare, rerum omnium conſtitutionem viâ mixtionis ingrediens, quod ſit in compoſitione primum, in reſolutione ultimum clariùs philoſophari poſſumus. Talia corpora in ſententia communi ſunt quatuor elementa; in ſententia verò chymiſtarum, tria: *ſal, ſulphur*, & *Mercurius*, quibus alij addunt phlegma, ſeu *aquam*, & caput mortuum ſeu *terram*; in hæc enim ajunt omnia corpora mixta hujus univerſi arte ſpagiricâ reſolvi.

Beckius, doctrinâ & experientiâ inſignis Author, multis non parvi momenti rationibus & experimentis demonſtrare conatur, unico materiali principio omnia conſtare. Hoc principium aſſerit eſſe aquam, ex qua omnia hujus univerſi corpora dicit eſſe coagulata.

Reijcit primò *Mercurium* è numero principiorum, cujus nomine paſſim ſolet intelligi ſpiritus, qui ex unaquaq; re poteſt elici, E. G. ſpiritus Salviæ vel Majoranæ. Hunc ſpiritum ille dicit eſſe nonniſi oleum in phlegmate ſeu aqua reſolutum, quod inde probat; quia herbæ ante fermentationem dant oleum, nullum verò ſpiritum; poſt fermentationem verò dant ſolum ſpiritum, & nullum oleum, quod ſignum eſt oleum herbæ per fermentationem tranſire in ſpiritum ardentem, in quem etiam tranſire ſolet quodvis oleum rei fermentatæ affuſum. Docet ſimiliter experientia, olei aromatici guttas aliquot in ſpiritum vini infuſas, à ſpiritu abſorberi. Qui etiam ſi cum herbis aut ſeminibus vegetabiliſi deſtille-

Digitized by Google

deſtilletur, olea illorum per alembicum ſecum attrahit, quod clarè probat color lacteus in ſpiritu cinnamomi & aniſi. Quin etiam ipſe ſpiritus vini nihil videtur eſſe aliud, quàm oleum vini in phlegmate ſuo reſolutum, quod etiam certo artificio poteſt ab illo ſeparari. Quod concernit metallicum & fluidum illud Mercurij corpus, hoc idem author ait nihil eſſe aliud quàm aquam elementarem, virtute ſulphuris cujuſdam metallici & arſenicalis coagulatam, in talem aquæ ſpeciem, quæ manus non madefaciat. Hæc de Mercurio.

Videamus nunc an *ſulphur* ſeu oleum ſit tale corpus, quod in aliud ſe poſterius & ſimplicius non poſſit reſolvi. Contrarium tamen docere videntur experientiæ, quas adducit idem author: nam ſulphur in maxima etiam quantitate ſi accendatur, abit in ſpiritum acidum, qui ſi â ſalibus fixis ſeu alcaliſatis abſtrahatur, omni aciditate exuitur, ità ut nihil præter aquam inſipidam relinquatur. Similiter olea vegetabilium, cum alkalibus fixis conjuncta, transformantur cum illis in Saponem, & ſi crebriùs ab iiſdem abſtracta fuerint, abeunt in aquam elementarem. Ipſe ſpiritus vini, qui ut ſupra dictum eſt, nihil aliud eſt quàm oleum in phlegmate ſuo reſolutum, aliquoties â ſale Tartari abſtractus in puram aquam convertitur, ſicut etiam quælibet olea, & pinguedines.

De ſale idem docere videtur experientia. Nam ſi accipiatur ſal quodcunq; fixum, ſeu alcaliſatum, & per deliquium in cellario ſolutum, ac per retortam deſtilletur, aſcendit aqua ſeu phlegma per alembicum, ſale inferiùs relicto; qui ſi denuo per deliquium fluere permittatur, novam phlegmatis partem emittit, & ità ſucceſſivè totus in aquam elementarem tranſit. Similiter ſal Tartari, quod poſt abſtractionem ſpiritûs vini remanſit, aëri expoſitum, ſolvitur in puram aquam elementarem.

Omnia hæc experimenta conceſſerim, quibus utcunq; videtur probari, tametſi non infallibiliter demonſtrari, tria illa, ſcilicet ſal, ſulphur, & Mercurium excludi debere â ratione principiorum materialium, alia hujus mundi corpora principiantium, & ex aquis omnia ferè componi, ex quibus etiam piſces primitus factos, utì & aves ſacra ſcriptura memorat. IV.

Sed quid de terra, ſeu capite mortuo poſt reſolutionem corporum remanente dicendum? aſſerit quidem præfatus author, terram pariter in aquam reſolvi poſſe, quod tamen non probat. Ait poſſe gemmas, lapides, margaſitas tranſmutari in ſales actuales æquiponderantes ſuis cor-

Digitized by Google

poribus, qui tandem in aquam inſipidam, modo ſuperiùs expoſito tranſire poſſint, de quo tamen ipſe ſubdubitare videtur, ſaltem propriam non allegat experientiam.

Citat interim pro confirmanda ſua principij monade duas alias experientias, quarum prima dicitur eſſe Helmontij: Accepit ille vas terreum, in quo poſuit terræ in clibano arefactæ libras ducentas, quam madefecit aquâ pluviâ, illíq; implantavit truncum ſalicis ponderantem libras quinq;, ac tandem exacto quinquennio arbor inde prognata eſt, pendens centum ſexaginta novem libras, & circiter uncias tres, quam ſemper aquâ pluviâ, vel deſtillatâ humectavit ſive aſperſit, ac ne quidem computavit pondus foliorum, quaterno authumno deciduorum. Tandem iterum terram illam totam ſiccavit, & repertæ ſunt ejuſdem libræ ducentæ, duabus circiter unciis minùs. Unde nititur probare libras centum ſexaginta quatuor, quas lignum, cortex, & radices ſalicis ponderabant, ex ſola aqua proveniſſe. Alteram experientiam refert Boyleus: Juſſit ipſe hortulanum ſuum convenientem bonæ terræ quantitatem effodere, & in fornace ſiccare, ponderare, immittere ollæ fictili, eíq; ſemen peponis, quod feſtinanter creſcit, ingerere, nonniſi aquâ pluviâ ſeu fontanâ quotidie rigandum. Obſervavit non multò poſt incrementum plantæ, quanquam intempeſtivè conſitæ. Curavit igitur illam effodi ab hortulano & ponderari, cujus pondus tres libras æquavit. Excoctæ terræ æqua planè priori quantitas deprehenſa eſt. Hoc idem experimentum æſtivo tempore à ſe reiteratum idem Boyleus ſcribit, atq; tunc pondus totius plantæ decem libras & mediam ponderâſſe, ramuſculos cum radicibus habuiſſe quatuor libras, duabus unciis ſubtractis; terram verò exiccatam pondus antiqvum omnino retinuiſſe.

Tranſeat utriuſq; hujus experimenti veritas, nondum tamen eſt demonſtratum, ſolam aquam prædictis vegetabilibus alimenti materiam præbuiſſe; nam ipſa aqua etiam pluvia plurimis terreſtribus atomis abundat, utì & aër, qui cedere poterant illis vegetabilibus in augmentum, cùm ſimili aëris beneficio etiam ſerpentes vitro incluſi nutriri & augmentari poſſint, ut ſupra vidimus.

V. Unde quia Bockius intentum ſuum circa terram non probat, manet hæc in poſſeſſione principij communis ſeu elementi, cum principio aquæ mixta componentis. Quibus ſi libet tertium addere elementum, aër id munus ſubire poterit. Quod ignem concernit, quem idem author

Digitized by Google

thor ſubtiliſſimis rationibus ab experientia non vulgari petitis, ait nihil eſſe aliud, quàm motum velociſſimum ſulphuris acidi volatilis; is meritò videtur eſſe â numero elementorum excludendus, cùm â natura reſolvendis potiùs, quàm componendis corporibus videatur deſtinatus, eíq; potiùs alia corpora, quàm ipſe aliis corporibus ſubalternetur; nunquam enim videmus ignem, niſi præſuppoſitâ materiâ pingui & ſulphureâ, ergo ſemper præſupponit aliquod corpus ſubſtantiale, adeoq; non poteſt eſſe ullum ex primis elementis. Accedit quòd in Geneſi nulla fiat ignis mentio, cùm tamen omnia cætera elementa in mundi principio condita ibidem numerentur, terra videlicet, aqua, & aër, qui per ſpiritum aquis incumbentem philoſophicè ac literaliter intelligendus eſt. Tandem in Epiſtola ſecunda S. Petri dicitur, quòd in die Judicij *Elementa ignis ardore tabeſcent.* Ubi videtur diſtinguere Apoſtolorum princeps inter elementa & ignem. Sancti Patres quoties videntur aſſerere quatuor elementa, intelligunt elementorum nomine quatuor corpora, non univerſum proximè componentia, ſed de aliis corporibus minimum participantia, qualis etiam eſt ignis, in quo nulla videtur eſſe mixtura ſaltem notabilis aquæ, terræ, vel aëris, ſicut in aliis corporibus, quæ vulgò mixta vocantur. *2. Petri 3.*

Hæc de materialibus rerum principiis dicta ſufficiant, quæ ſpiritus mundi variè permiſcet, confundit, inſpiſſat, & coagulat juxta idearum diverſitatem.

Hoc in mundo homines ſibi plurima ſcire videntur,
Prima tamen miſeri vix elementa ſciunt.

CAPUT XVII.

Adfertur modus probabilis, ex relatis hucuſq; principiis, omnia naturæ miracula explicandi.

HIc latet nodus Gordius, quem ſi ſpiritûs mundi doctrina ſolvere, aut diſſecare potuerit, magni profectò nobis erit æſtimanda. Videamus primò, quid poſſit in explicandis cælorum influxibus.

§. I.

Quomodo cæleſtes influxus, mediante ſpiritu mundi, poſſint explicari.

I. CÆlorum influxus multi putant mundo huic inferiori adeo eſſe neceſſarios, ut etiam doceant ipſum non poſſe abſq; illis ſubſiſtere. Cælum cordi aſſimilant, unde ſicut motu cordis, & influxu in alia membra ceſſante periret homo, ſic ajunt motu cælorum & influxu deſinente, omnia in hoc inferiori mundo peritura. Quod non tantùm de virtute caloris & luminis productiva, ſed occultioribus etiam aliis quibuſdam influxibus volunt intelligi.

Quantas non pariunt mutationes tam in terreſtribus, quàm aquatilibus novilunia & plenilunia? Quis hucuſq; dubitavit motus & actiones lunaticorum, de quibus admirandæ referuntur hiſtoriæ, ab influxu lunari provènire? Quis neſcit ad motum ejuſdem lunæ maris æſtum regulari? Herba lunaria creſcit & decreſcit ſecundùm lunæ viciſſitudines. Dum luna ætatem habet unius diei, illa uno folio augetur, durante hoc foliorum augmento, uſq; ad decimam quartam lunam; ſequitur poſtea foliorum caſus per ſingulos dies, juxta lunæ decreſcentiam. Interlunij tempore omnibus orbata foliis ſe veluti abſcondens luctus agit. Sic etiam Cynocephalus in novilunio mæret, in plenilunio gaudet. Ova interlunij tempore fota nullos vel debiles dant pullos; bruta quoq; interlunij tempore nata raro ſunt vivacia. Ut pæoniæ radix ſerviat pro Epilepſiæ amuleto, tribus diebus ante novilunium verno tempore debet effodi, alio tempore effoſſa nihil adfert ſubſidij. Sic etiam carduus benedictus initio Junij collectus vulnera recentia mirabiliter curat, alio tempore collectus nunquam id præſtabit. De ligno fraxini jam ſuperiùs actum eſt. Radix fæniculi contra Epilepſiam pariter geſtari ſolet pro amuleto, contra quam tamen parum eſt efficax, niſi ſole arietem ingrediente ſit effoſſa. Alios plantarum aſtraliſmos hìc prætereo.

Ex iiſdem occultis aſtrorum influxibus prænoſcunt Alcyones maris tranquillitatem, & aëris ſerenitatem, quæ ſeptem diebus brumam proximè præcedentibus utì & ſubſequentibus anno quolibet obſervatur. Horum ſpatio dierum, qui etiam vocari ſolent dies Alcyonii, & æſtas S. Mar-

Digitized by Google

S. Martini, aves prædictæ in litore maris nidificant ob ſecuritatem, quod aliàs propter marinos fluctus facere non auderent.

Gallos, hirundines, corvos, cornices, pavones, & pecora, pluvias & tempeſtates præſagire multiplici conſtat experientiâ. Quin etiam arbores & frutices frigus poſt hyemem reſiduum perſentiſcunt, ut rubus & morus; hinc germinante moro, aut rubo effloreſcente, frigus non ultra timendum eſt.

Scimus plurimos in ſuis fontanellis, vulneribus, ulceribus, rupturis & fracturis, licet coalitis & cicatrice obductis, aëris mutationes ſenſu quodam advertère; ſed hæc ad mundum elementarem adhuc ſpectare videntur. Lunam tranſgrediamur.

Rabbinorum eſt effatum, nullam in terris reperiri plantam, quæ non habeat in Cælo ſtellam dicentem ipſi: *creſce*. II.

Solis Ecclypſes maximè grandiores, miras quandoq; mutationes cauſant in hoc mundo inferiori. Oleæ cinis in fundo argentei vaſis aquâ pleni poſitus, ad lunarem cum ſole congreſſum, mox turbatur, & in gyrum vertitur, uſq; dum illa ſe â ſolis complexu extricaverit.

Quantas non impreſſiones in hæc ſublunaria faciunt diverſi planetarum inter ſe & cum aliis Sideribus aſpectus, & congreſſus? experimento comprobatum eſt, Martis ſidere in cæleſtibus infirmato, aut ab inimicis obſeſſo, ferrum apud nos hebetari, & horologiorum trochleas lenteſcere; è contra eo bene conſtituto ferrum rigeſcere, & agileſcere.

Obſervatum eſt planetis maleficis in arietis ſigno conſtitutis, vel defectionibus in eodem ſigno incidentibus, arietes malo aliquo laborare. Sole ſignum leonis permeante, leones febre corripi; lunâ in ſcorpio exiſtente, ſcorpiones furere; cane ſidereo cum ſole exoriente, canes in rabiem agi; ſurgentibus ſtellis in delphino poſitis, in argonavi, in cete, & ſimilibus tempeſtates marinas excitari; lunâ exiſtente in ſignis ruminantibus, meliùs operari vomitiva, quàm purgantia. Neq; arbitrandum eſt ex his nominibus vires illorum ſiderum fuiſſe cognitas, ſed ideo iſta nomina ſideribus fuerunt impoſita, ut natura illorum per longam traditionem & experientiam comprobata, meliùs exprimeretur.

Nec vana illorum cenſenda eſt obſervatio, qui ſingulis membris humanis, ſingula zodiaci ſigna præficientes, prohibent quodcunq; membrum ferro tangi, lunâ permeante ſignum membro illi ſympathicè conjunctum.

Digitized by Google

III. Hæc etiam ſpectat, quòd certis annorum periodis mirabiles quandoq; fiant rerum in orbe politico revolutiones. Sic obſervatum eſt Neapolitanam defectionem anno hujus ſæculi 47. factam, alteri quæ præcedenti ſæculo, eodem pariter anno contigit, ab ejuſdem nominis homuncione fuiſſe concitatam. Videtur ergo magna in aſtris eſſe virtus & potentia, non tantùm in agentia neceſſaria, ſed etiam in libera, quæ â ſidereis influxibus ad multos actus inclinantur, nunquam tamen neceſſitantur.

Ad cæleſtes quoq; influxus referendum videtur, quod hiſce diebus ex Hajecio lectum audivi: In conflictu Regis Wladiſlai primi, cum Pragenſibus Borzivoio tunc faventibus, qui ſub finem anni 1109. circa feſta natalitia contigit, nullum ex iis, qui utrinq; vel minimum læſi fuerunt, curari potuiſſe, ſed omnes ex vulneribus etiam leviſſimis, citra evidentem obitûs cauſam fuiſſe extinctos, quod neſcio cui alteri cauſæ potiùs, quàm malignis aſtrorum influxibus, in idem tempus incidentibus fuerit attribuendum.

IV. Hos Cælorum influxus multi per occultas qualitates explicant. Sed quis credat eas ab altiſſimis planetarum & firmamenti conſtellationibus, quod octoginta millionibus milliarium â terra diſtare dicitur, ad nos tam celeriter delabi poſſe? Tranſeat quòd lumen, omnium qualitatum diviniſſima qualitas, citò, imò inſtantaneè, juxta communem ſententiam propagetur, non illico tamen hoc attribuendum eſt aliis etiam qualitatibus. Deinde lumen inſtantaneè propagari nullus hucuſq; demonſtravit, ſicut etiam non habere contrarium, quod non ideo nullum eſt, quia hucuſq; â nullo deprehenſum eſt.

Demus autem cæleſtes influxus præfato modo ſalvari poſſe, meliùs tamen poſſunt in ſpiritûs mundi ſententia explicari. Pro quo advertendum, ſi mulier tantæ magnitudinis produceretur, ut caput haberet inter ſidera, & uterum in orbe terrarum, nonne ſi ejus in cælis imaginatio fætum in terra pingeret, facilè id conceptibile eſſet ac explicabile ob animæ unitatem atq; indiviſibilitatem, quæ in utero formans, cùm ſit eadem cum illa quæ ſuperiùs imaginatur, facilè â ſpeciebus imaginativis determinatur ad imprimendum analogæ parti fætûs in utero quidſimile illi quod in capite concipiebat? tali mulieri videtur comparanda hæc totius univerſi compages, in qua unus atq; indiviſibilis ſpiritus, totus in toto, & totus in qualibet ejus parte, quod ſuperiùs per diverſas ideas

ideas á variis aſtrorum concurſibus ſuſcitatas concipit, exprimit in utero terreſtri.

Mihi etiam videtur credibile, non tantùm unamquamq; hujus mundi ſpeciem, ſed etiam unumquodq; ſpeciei cujuſlibet Individuum certos habere inter ſidera nativitatis ſuæ præſides, quibus bene affectis, bene afficiatur; malè affectis malè. Hoc modo totalis ratio cæleſtium influxuum in ſympathias reſolvitur, de quibus modò agendum.

§. 2.

Modus explicandi ſympathias in ſententia ſpiritûs mundi.

SUppono ex Superioribus jam conſtare, quid ſit Archæus. Quo ſuppoſito Advertendum primò: dari Archæos familiares, dari etiam Archæos hoſtiles, ſeu pugnantes. Familiares Archæi dicuntur illi, qui ſimilibus & familiaribus ideis ſeu accidentibus ſunt inſigniti. Hoſtiles è contra, qui contrariis ſunt inſtructi. De familiaribus nunc agendum, de hoſtilibus poſtea, cùm de antipathiis tractabitur. I.

Advertendum ſecundò: familiares Archæos dici poſſe replicatos, non ſolùm quòd omnes, quanquam diverſiſſimis ac remotiſſimis in locis conſtituti, ſint unus idémq; mundi ſpiritus, & ſecundùm hanc radicem, non tantùm ſibi invicem, ſed etiam hoſtilibus identificati; ſed ideo vel maximè, quòd ſimilibus Ideis vel accidentibus ſint inſigniti. Quòd ſi in humanis unus amicus ab alio amico vocatur *alter ego*, quaſi replicatus *Ego*, multò magìs in hac univerſi ſcena, unus Archæus nominari poteſt alter, in quo non ſolùm ſimilitudo & familiaritas accidentium, ſed ſubſtantialis quoq; identitas concurrit.

Advertendum tertiò; Archæos quoſdam eſſe quoad ſpeciem, alios verò quoad Individuum replicatos. Quoad ſpeciem replicati ſunt, qui accidentibus ſeu ideis ſpecificè tantùm ſimilibus ſunt inſigniti, & nihil ſecum de uno eodémq; Individuo participant ſeu coṁunicant. Quoad Individuum ſeu individualiter replicati ſunt, qui ſecum communicant in accidentibus eidem Individuo propriis, & conjunctis ante factam replicationem. Archæi quoad ſpeciem replicati ſunt ſingula Individua, ſub

Digitized by Google

ſub eadem ſpecie phyſica vel ſimilitudinaria, E. G. cepæ in agro & in granario, mora in arbore & mora in cute, luna in cælo & luna in lapide, ova plura gallinæ ſuppoſita, chordæ duæ æquitenſæ, duo homines, aut duo urſini adipes, quæ omnia de eodem individuo nihil communicant. Archæus quoad Individuum replicatus eſt in illis corporibus, quæ aliquando idem Individuum conſtituebant, ut in cato & genitura ipſius, in verre & Embryone quem ab illo ſcropha concepit; in frutice ac decerpto ramuſculo, in ſanguine & vulnere, in pure & fontanella, in tarantulæ veneno ipsáq; tarantula, in lacte & uberibus, in ſecundinis & puerpera, in capillis, unguibus, urina, aliíſq; excrementis, ipſóq; homine ex quo deſumpta ſunt; ſimiliter in quibuſcunq; licet inſenſibilibus effluviis, & corporibus, è quibus emanârunt; in lardo & verrucis, perſicaria & ulceribus. In his & ſimilibus exemplis, diſtingvi poteſt inter Archæum majorem & minorem, genitorem & genitum; Nec multùm refert an Individuum illud cujus Archæus replicatur, ſit compoſitum per ſe, an verò per aggregationem, juxta communem loquendi modum, ſive conſtans partibus non adeo ſtrictâ unione colligatis, prout ſibi uniuntur partes farinæ in eodem ſacco, inter quas tamen ſympathia notabilis intercedit.

Advertendum quartò, quòd Archæus replicatus aliquando bene, aliquando malè afficiatur. Aliquando major Archæus ſeu genitor minori compatitur, ut in maleficiis ſympatheticis, in putrefactione ſanguinis, ſecundinarum, petiarum, emplaſtrorum, &c. aliquando congaudet ut in ſympatheticis curationibus. Aliquando minor Archæus majori compatitur, ut in Embryone ad mortem cati genitoris extincto, in naſo putreſcente ad obitum ejus de cujus humero exciſus eſt; aliquando etiam congaudet, ut in ſpiritu ſanguinis limpido ad bonam hominis illius valetudinem, de quo ſanguis emanavit.

Advertendum quintò, ſenſum & conſenſum, quem omnibus hujus univerſi corporibus competere docet experientia, non eſſe ſenſum animalem, ſive unum aliquem ex quinq; ſenſibus, quibus animalia ſunt prædita, ſed eſſe ſenſum naturalem, ſenſui tactûs analogum, qualem E. G. habet acacia, dum ſole abſcedente folia conſtringit, adveniente pandit. Unde non ſequitur ex eo, quòd omnia corpora in hoc univerſo ſibi conſentiant, & mutuas affectiones percipiant, omnia titulo animalium gaudere. Nec ſenſus ille eſt privatus, & proprius hujus vel illius

Digitized by Google

illius Archæi, ſed ſenſus quidam communis, per mundi ſpiritum ubiq; diffuſus, qui etiam non daretur ſublatâ unitate communis principij. Hæc omnia ſi bene advertantur, non erit difficile omnes ſympathias ſuperiùs enarratas explicare.

Verum eſt quod ſimiles in rebus ſimilibus affectiones aliquando poſſint explicari per recurſum ad altiores & univerſales cauſas, E. G. dũ aliquot canes rabiunt oriente caniculâ, vel ſcorpiones furunt lunâ ſcorpium pervagante; non eſt autem tunc propriè ſympathia, quia licet ſimul idem patiantur, non patiuntur illud tamen â ſe invicem, ſed ab alio altiori. II.

Non deſunt etiam qui putent omnes ſympathias explicari ſufficienter poſſe per inſenſibilia rerum effluvia, ſeu atomorum expirationes & attractiones. Tranſeat illa in rerum ſympathiis multùm aliquando cooperari, dum corpora expirantia magnæ ſunt virtutis aut quantitatis. Sed quis credat exile vulnus per magna terrarum ſpatia ſuas atomos protendere, vel tantillam ſanguinis vitriolo aſperſi particulam balſamica ſua effluvia ad vulnus remotiſſimum, non obſtantibus aliarum rerum potentioribus effluviis, & ventorum aërem commoventium procellis diffundere? credat hoc Judæus Apella.

Meliùs hæc difficultas, quæ in ſimilibus effectibus explicandis oritur ex rerum diſtantia ſolvitur, ſi admittatur in rebus omnibus unitas ſive identitas principij effectivi ac ſenſitivi, & Archæorum ſuperiùs explicata replicatio, quâ ſemel admiſsâ, nil mirum, ſi ad eandem Individualem progeniem accidentium, aliorum quoq; accidentium & paſſionum ſimilitudo conſequatur; & idem mundi ſpiritus, eodem modo per Ideas aliáq; accidentia determinatus, idem in hoc, & illo loco, ſub Archæorum pluralitate ſentiat.

Exemplificari hæc omnia poſſunt exemplo gravidæ mulieris, in qua facilè capimus, quomodo figuræ rerum in materna membra ſubitò incidentium, vel imaginatarum, in analogis fætuum utero contentorum membris exprimantur, tum ob formæ ſenſitivæ unitatem, tum ob cognationem accidentium; nullibi enim magìs apparet Archæi replicatio, & vis ipſius, quàm in prole, & Matre prægnante. Quamvis hæ maternæ impreſſiones in fætum grandiorem non amplius ità facilè operentur, ob Ideas partium in ipſo perfectè jam evolutas, & potentiores, quàm ut ſe ſympathico Matris influxu aboleri patiantur. III.

Digitized by Google

Exemplificari ſecundò poſſunt, in tam diverſis, ac â ſe invicem remotis humani corporis membris atq; potentiis, quæ magnam nihilominus inter ſe habent connexionem, quam tantopere non miramur, quia per communicationem ejuſdem principij facilè poteſt explicari. Sic ad viſum rei alicujus ridiculæ, diaphragma per riſum commovetur; ad propriæ laudis auditum; vel cibi ſapidioris præſentiam, imò & ſolam appetentiam, ſalivat os; verecundantibus illico ſanguis ad faciem confluit; timentibus ad cor, iratis â centro ad peripheriam diffunditur. Unica rei triſtis & contrariæ, vel etiam voluptuoſæ ac jucundæ cogitatio, quantos & quàm diverſos in remotis humani ejuſdem corporis partibus motus cauſat? Idem videmus in corporibus aliorum animalium etiam inſectorum. Ità ſerpens ſi prematur vel pungatur in cauda, ſe totum movet; ex quo partium conſenſu Divus Auguſtinus probat animas quorumcunque animalium eſſe indiviſibiles.

Quod concernit rerum familiaritates & amicitias, illarum cauſa in nihil melius refunditur, quàm in naturæ ſimilitudinem; ſivem anifeſtam: hinc aves ejuſdem ſpeciei libenter ſecum volitant; ſive occultam, quæ reperitur inter individua diverſorum generum, aut ſpecierum. Sed hæ familiaritates non videntur ſinè aliquo magnetiſmo perfici, unde ex infra dicendis meliùs intelligentur.

§. 3.

Modus in hac ſententia explicandi magnetiſmos.

I. MAgnetiſmus nihil eſt aliud, quàm fortior quædam ſympathia, per quam duæ res ità ſibi ſunt affectæ, ut una trahat alteram, ejúſq; appetitum innatum excitet, quo appetit ſe alteri rei, quam trahentem vocamus ſociare. Videndum jam quomodo illa tractio perficiatur, quæ aliquando eſt ſenſibilis, aliquando inſenſibilis, nec ad illam requiritur, ut res tracta ſequatur trahentem, cujus exemplum habemus in magni ponderis ferro, quod â magnete quidem trahitur, ſed non attrahitur.

II. Suppono ex ſupradictis admittenda eſſe occulta rerum effluvia, ſive vocentur atomi ſive corpuſcula. Similibus effluviis repletus eſt totus aër. Dantur in illo quàmplurima aquea corpuſcula, maximè ſi fuerit in

in loco, in quo aqua evaporaverit. Hæc corpuſcula naturalem habent ſympathiam inter ſe, & maximè cum ſuo corpore, cui ſe unire vehementer affectant. Hinc ad aquam in conclavi poſitam confluunt. Sic etiam atomi vitriolatæ redeunt ad colcothar, effluvia ſerpentina ad ſerpentes in vitro clauſos congregantur, quo etiam modo adipis urſini augmentum in officinis, & longa urſorum, utì & quorundam hominum inedia ſalvari poteſt, humorum quoq; ſublunarium in pleniluniis incrementa explicari.

Si autem quæras, cur atomi tales ſe ſibi & corpori ſuo unire affectent? aliter reſponderi non poteſt, quàm talem eſſe illarum naturam, cui ſimilem videmus in bullis & guttis aquæ, quæ ſe invicem avidiſſimè complectuntur. Talem unionem inter ſe plurimæ res in hoc univerſo expetunt. Nec putandum eſt in magnetiſmis ſemper unam rem tantùm eſſe tractam, & alteram tractricem; trahunt enim plerumq; ſe mutuò. Sunt qui tenent tam ferro virtutem magnetis tractivam, quàm magneti potentiam ferri tractivam ineſſe. Illud tamen corpus, quod majus & compactius, adeoq; potentius eſt, ordinariè dicitur trahere ſubſtantiam minorem, aut rariorem. Sic magna ferri quantitas attrahit parvum Magnetem, permiſſâ utriq; motûs libertate. Sic aqua vaporem attrahit, aurum halitus mercuriales, metalla corylum, major ignis minorem, bufo venenum. Sic etiam in animaliũ familiaritatibus illud dicitur alterum attrahere, quod potentiora habet motiva ad amorem alterius devinciendum. Quamvis non negem dari in genere animalium amores & tractiones non mutuas. Sic lacerta hominem amat, non tamen homo lacertam. In rebus tamen aliis extra gènus animalium credo vix dari non mutuam tractionem, quamvis mutua pertractio non ſemper conſequatur, ſed minùs ut dixi â majori pertrahatur. Idem probabilius etiam tenendum videtur de quibuſcunq; rerum ſympathiis.

Sic ſe igitur habet res cum ferro, & magnete: ferrum habet ſua effluvia, utì & magnes; Hæc effluvia eandem inter ſe habent ſympathiam, quam habent ipſa corpora inter ſe, & cum mutuis effluviis. Effluvia igitur è ferro egreſſa, obviant effluviis magneticis, & illis magìs & magìs ſemper uniuntur, donec uſq; ad ipſum corpus magnetis perveniant. Idem faciunt effluvia magnetis reſpectu ferri. Jam ſi magnes ſit major vel activior, aut loco fixus, ità ut moveri non poſſit, ferrum ad magnetem movetur, ſequens motum corpuſculorum, ſicut ovi teſta ſe-

Digitized by Google

quitur in aëre rorem aſcendentem. Quid verò dicemus ad tractionem, quâ magnes â polo trahı dicitur? uti & ad lingvulæ magneticæ vim ad polum converſivam? quomodo ad hæc inferiora per tantum chaos, polorum effluvia pervenient.

III. Ante omnia hîc obſervandum, falli communem hominum opinionem, qui putant cæleſtes polos in mundi hujus terreſtris magnetes & ferramenta magnetica, vi tractivâ & directivâ influere: quia ſi â polo cæleſti vis illa in lingvulas magneticas dimanaret, non deberent unquam declinare â linea meridiana, á qua tamen alicubi pluſquam octo gradibus declinant, & quidem nunc pluribus, nunc paucioribus, cujus quidem mutationis cauſa nos latet. Experientia quoq; contrarium evincit; nam ſi lapides, aliáq; corpora magnetica â cælorum polis traherentur, deberent extrema illorum, pòlos Cælorum ſibi viciniores reſpicere, ſed contrarium contingit: ſi enim Magnes ın globi formam redactus argento vivo imponatur, polo ſuo quo Boream reſpicit, non cæli polum ſpectat, ſed infra horizontem ſenſibilem ſe deprimit. Idem cernitur in omnibus ferramentis, ſi ponantur in horizontali æquilibrio, quorum extremitas ſeptentrionem reſpiciens, cùm fuerit magnete attacta, non ſurſum ad polum vel urſam minorem trahitur, ſed deorſum inclinatur & collimat infra ſenſibilem horizontem. Hac de cauſa artifices, qui lingvulas magneticas fabricant, extremitatem acûs quæ auſtrum debet reſpicere ponderoſiorem ſolent facere quàm oppoſitam, ut acus ſemper in æquilibrio conſiſtat. Quæ hîc retulimus de lingvula reſpectu poli noſtri arctici, etiam nautæ reſpectu poli antarctici infra æquatorem experiuntur, éſtq; tantò major illâ lingvulæ inclinatio, quantò propiùs ad polos acceditur. Sub Æquatore ſitum obſervat horizonti exactè parallelum.

Magìs ergo in terram, quàm in cælos, cauſa lingvulæ magneticæ & magnetum tractiva videtur eſſe referenda. Pro quo breviter notandum, â montibus ferri & magnetis feracibus, polorum utriq; ſubjectis, & per intima terræ viſcera in axis modum Auſtro-borealiter continuatis, copioſiſſima in univerſum hunc mundum effluvia prodire, lineis ubiq; rectis, meridiano cujuſq; loci parallelis, tametſi nonnihil ab illo declinantibus, nam & lingvula magnetica ut vidimus â linea meridiana aliquot ſæpe gradibus declinat. His effluviis Geocoſmi ultro citróq; manantibus, lingvula magnetica, & axis magnetici corporis in ſitu meridiano

Digitized by Google

ano continetur. Sed quia hæc ratio non videtur ſufficere ad ſalvanda & explicanda omnia experimenta circa magnetes & ferrum ſuperiùs allata, non judico in illa ſiſtendum, ſed alios adhuc explicandi modos eſſe inveſtigandos de quibus infra.

Videamus jam quomodo explicari poſſit rerum gravitatio, quam IV.
nonnulli magnetiſmo adſcribunt. Tenent illi omnia omnino hujus univerſi corpora gravitare, ſed unum præ alio; res graviores, denſiores, & compactiores magis tendere deorſum quàm minùs graves, minúſq; denſas. Ajunt verò gravia deorſum trahi vi quâdam magneticâ, & quò ſunt graviora eò fortiùs attrahi, quantóq; viciniora ſunt ſuo magneti, tantò trahi potentiùs, per quod etiam explicant majorem in fine motûs velocitatem. Magnetem illum ponunt non in aliquo terræ centro, cùm eo in loco, ubi centrum eſſe deberet, ſit locus â terra vacuus, reprobis in tartareo igne cruciandis deputatus; ſed ponunt illum in parietibus inferni, in intima & extrema terræ ſuperficie, meditullarem ejus cavitatem complectente, quæ licet fortaſſe ut multi divinant, ad tria milliaria germanica in rotundum excurrat, tamen reſpectu totius terræ globi ſatìs eſt anguſta & exilis. Hanc ſententiam judico non eſſe reprobandam. Si enim infernus eſt in medio terræ juxta communem ſententiam, tanquam in loco â Beatorum glorioſa & amæna ſocietate remotiſſimo, non poteſt ibidem eſſe terra, & medium aliquod ejus centrum; totum namq; illud ſpatium ignis & fumus occupat. Nec in illo igne vel alio terræ loco videtur eſſe congruum gravium omnium metam conſtitui; ſic enim omnia reproborum corpora in unum illum locum collimarent, & quocunq; â dæmonibus ad ſupplicia raperentur, versùs eundem locum ſemper reciderent. Veriſimilius ergo videtur, illa in funeſto illo carcere, â terreſtrium parietum magnete æqualem undiq; trahendi vim habente attrahi, & versùs convexam terræ ſuperficiem gravitare, ut ſic ad illa diverſis ſuppliciis crucianda, igníq; ad permeandum liberior pateat locus & acceſſus. Cum qua doctrina bene adhuc ſtare poteſt, quòd ſicut oves in inferno ſint poſiti. Sed quomodo in hac ſententia, tractio illa gravium, poterit abſq; penetratione, per atomos â profundiſſimis terræ partibus aſcendentes, explicari? niſi dicatur, accidentalia quædam effluvia pro ſimilibus effectibus explicandis ſufficere.

Unde ad horum & ſimilium naturæ magnalium, latiùs in hoc uni- V.
verſo patentium explicationem, cenſeo confugiendum eſſe ad univerſale

aliquod principium, ad ipſum ſcilicet mundi ſpiritum, qui totam hanc mundi machinam continet atq; informat. Huic Deus vim quandam indidit omnia gravia in medio congregandi, & omnibus corporibus manſiones congruas aſſignandi; ità ut niſi aliud obſtet, ſemper graviora locum occupent profundiorem. Similem vim habet Archæus humani corporis, quâ partes ſive in eo tantùm contentas, ſive illud etiam conſtituentes, quaſdam ad centrum, nonnullas ad peripheriam movet, alias huc illuc rapit motu reciproco & circulari. Sic in ſangvinis fermentatione morbillos per cutem pellit, alia quædam ſuperflua per crines, alia per veſicam, alia per alvum, alia retro vel juxta aures, alia per glandulas axillares & inguinales eijcit; ab eodem, cordis motus & ſanguinis circulatio chyli ad hepar deductio, ac nutrimenti per omnes corporis partes diſtributio peragitur.

Dici etiam poteſt, vim â ſupremo rerum omnium opifice mundi animæ impreſſam, corpora quæcunq; non tantùm in gravitate, ſed etiam in quibuſcunq; aliis qualitatibus ſimilia congregandi; magnetica verò & martialia versùs mundi ſeu cæli polos per rectiſſimam viam reiiciendi, vel ſaltem dirigendi.

Nec tot motuum diverſitas videtur obſtare, nam idem ipſemet ſpiritus in Cælis, & in unaquaq; cælorum parte, eſt diverſiſſimorum pene motuum principium; cur non pariter diverſos in rebus terreſtribus & quidem diverſis motus cauſare poſſet?

VI. Cogit ergo etiam, ſive congregat ſpiritus mundi Archæos ſimiles & cognatos, eóſq; non tantùm unit per communem ſenſum, ut etiam abſentes ac diviſi ſe mutuò percipiant, in quo ſenſu ſeu perceptione ſupra diximus ſympathias ſimplices conſiſtere, ſed etiam copulat ſecundùm locum, quæ copula effectus eſt magnetiſmi. Hoc iterum explicari poteſt exemplo Archæi humani, qui ſanguinem in venis, ſerum in renibus, fel in hepatis veſicula, ſalivam in ore congregat; ſive jam præter ipſius diſpoſitionem atq; ordinationem, habitudo quædam ſpecialis & naturalis coordinatio in rebus ipſis admittatur, quæ ſpiritum mundi ad hos vel illos motus & actiones determinet, ſive dicatur ex natura ſua eſſe ad aliqua determinatus. Talem vim homogenea congregandi, & heterogenea ſeparandi, etiam ignis in communi ſententia habere dicitur, quæ tamen eſt longè diverſa, multóq; inferior. Per hanc ſententiam generales magnetiſmos ſufficienter puto explicari poſſe.

§. 4.

Digitized by Google

§. 4.

Quomodo antipathiæ in hac ſententia poſſint explicari.

UTi non omnes ſympathiæ, ità non omnes antipathiæ ſunt mutuæ, ſeu reciprocæ. In quo autem ratio antipathiæ conſtitui, ſeu per quid explicari debeat, facilè innoteſcet, ſi ea quæ de rerum ſympathiis & familiaritatibus ſuperiùs dicta ſunt, mente repetantur. Sicut enim ſimilitudo Archæorum, & àccidentium ſeu idearum cognatio ſympathiam fundat, ſic Archæorum diſſimilitudo ex accidentium ſeu idearum oppoſitione procedens cauſat antipathiam. I.

Quamvis ergo lupus eandem animam cum ove habeat, habet tamen contrario quodam modo per ideas oppoſitas limitatam; hinc eſt quòd Archæus lupi ovis Archæo ſit infeſtus. Hæ qualitates manent in animalium partibus etiam poſt mortem. Tales ideas naturæ viventium contrarias habent omnia venena, ſive ſint deleteria, quæ vitam individui ex toto abolent, ſive certas duntaxat partes aut functiones oppugnent. Quibus è contra Deus oppoſuit qualitates alexipharmacas vitæ ſalutares & ipſorum malignitati è diametro contrariantes, morbíſq; diverſarum partium debellandis occultâ quâdam virtute ſervientes.

Sicut verò non ſufficit ad rerum familiaritatem quæcunq; ſimilitudo, ſic neq; ad antipathiam ſufficit quæcunq; accidentium contrarietas vel oppoſitio. Quàm ſenſibilis eſt diſſimilitudo inter delphinum & hominem? inter ſargum & capram? perdicem & cervum? & tamen inter hæc amicitia ſaltem non mutua intercedit. E contra non eſt tanta diſſimilitudo inter gallinam & accipitrem, & tamen ille gallinis naturaliter exoſus eſt. Quin imò individuum ejuſdem ſpeciei ſæpe horret alterum naturali quodam inſtinctu, ut ſupra vidimus. Qualitates ergo illæ antipathiam fundantes, non ſunt communes & manifeſtæ, ſed inſenſibiles & occultæ, quas in rebus non niſi ab effectu deprehendere poſſumus. II.

Quod Idioſyncraſiam attinet, ea ſimiliter in qualitatum ſeu idearum quandam oppoſitionem eſt referenda. Sentit ergo quilibet Archæus ideas in alio ſubjecto ſibi contrarias, ut ovis in lupo, columba in accipitre, mus in fele, quapropter illud odit, & ſi forte eſt, illud fugit; ſi debilius, perſequitur.

Quòd ſi aliquando antipathia in diſtans videatur operari, ut dum III.
Ele-

elephantum advenientem, tametſi magno adhuc locorum ſpatio remotum perſentiſcit rhinoceros, tunc vel recurrendum eſt ad effluvia, vel dicendum, quòd ad elephanti adventum idea ipſius etſi nunquam viſi in rhinocerote ſuſcitetur, quæ ipſum reddat perterritum, eo modo quo ſæpius experimur nos adventum hoſtis adhuc remoti, ſiniſtros de nobis abſentium ſermones, & caſus damnoſos in diſtans percipere. Illa verò ideæ ſeu phantaſmatis excitatio, quæ fit in diſtans, explicari debet per ſpiritum mundi; ineſt enim cuilibet Archæo vis ſenſitiva alterius etiam remoti, ſive familiaris, ſive hoſtiliter oppoſiti; ſicut in microcoſmo ſenſus ineſt animæ, quo ſive delectationem, ſive dolorem in pede ſubjectatum, percipit in corde vel capite, adeóq; ſpiritus mundi, non ſolùm ad ſympathiæ,ſed etiam ad antipathiæ explicationem deſervit.

IV. Quod concernit antipathiam quorundam corporum cum malis ſpiritibus, ea non improbabiliter â quibuſdam admittitur, cui etiam multa favent experimenta, uti & inſtantiæ â corpore humano petitæ, â quo animam noſtram multa pati, & in operationibus ſuis frequenter impediri experimur. Dici ergo poteſt, qualitates dæmoni contrarias in rebus quibuſdam materialibus reperiri. Neq; illud axioma, quo dicitur ens materiale ac ſpirituale toto genere differre, adeò certum eſt, ut negari non poſſit. Cùm ſatis videatur probabile corpora Electorum in futura reſurrectione verè ſpiritualiſanda, & defacto depuratam phantaſmatis entitatem munus obire ſpeciei intelligibilis. Subſtantiæ enim ſpiritualis & corporeæ ratio non videtur diſtingui niſi ſecundùm majorem & minorem Entitatis puritatem ac ſubtilitatem in ſuo genere. Nec contra fidem eſſe video, ſi dicatur dæmones de ſubſtantiali & nativa ſua puritate ac ſubtilitate multum perdidiſſe. Nam & ſancti Patres animas hominum, per peccata maximè carnalia, & rerum ſenſibilium amorem, dicunt reddi ſordidas, impuras, & quaſi carnales; juxta quod etiam ille

Gen: 6. textus Geneſeos videtur explicandus: *non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.*

Hujus puritatis ac ſubtilitatis tres gradus aſſignari poſſunt. *Primus* eſt in rebus, quæ tangi vel videri non poſſunt, eſto ſint materiales, & talis præcisè puritas atq; ſubtilitas non meretur, ut res propter illam vocetur incorporea. Quamvis Origenes dicat incorporeum vulgari uſu ſermonis appellari, quod non eſt craſſum, ſolidum, palpabile, veluti ſi quis dicat aërem iſtum incorporeum. Quin imò Chymici, viſibiles atq;

palpa-

palpabiles liquores, â terreſtribus fæcibus depuratos & ſubtiliſatos, ſpiritus appellant.

Secundus gradus eſt in rebus, quæ tangi, vel videri, aut etiam aliter ſentiri non poſſunt, & inſuper â materia omnino ſunt independentes; tales ſunt omnes Angeli tam mali quàm boni.

Tertius eſt in ſubſtantia infinitè pura & ſubtili, qualis ſolus eſt Deus, ſpiritus ille perfectiſſimus, cujus comparatione alij quandoq; ſpiritus corpora dicuntur. Et ſic interpretandæ ſunt quædam ſanctorum Patrum authoritates, ut *Hilarij*, qui ait nihil eſſe quod in ſubſtantia ſua non ſit corporeum; *Macarij*, qui affirmat Angelum, animam, dæmonem ex natura ſua eſſe cc pora; Divi *Auguſtini*, qui animam vocat corpus incorporeo vicinum. Non ergo videtur eſſe tanta inter materiales & ſpirituales ſubſtantias differentia & improportio, quanta vulgò putatur.

§. 5.

Quomodo idearum doctrina in ſententia ſpiritûs mundi debeat applicari, & explicari.

JAm ſuprà de Ideis copioſè tractavimus, quas diximus eſſe duplices; quædam enim materiæ ſtatim in prima mundi creatione â Deo fuerunt concreatæ ſeu congenitæ. Tales ſunt ideæ vegetabilium, animalium, aliarúmq; ſpecierum hujus univerſi, quamvis non omnes primis illis diebus fuerint evolutæ; nam ideæ animalium ex putredine originem trahentium tunc adhuc ſopitæ manſerunt. I.

Præfatæ omnes ideæ ſpiritum mundi determinant ad certos Archæos, quibus non ſolùm dat eſſe, verùm etiam operari, ſecundùm accidentales ſpecierum differentias. E. G. Idea canis priuſquam è ſuo chao evolveretur, non erat tantùm cauſa exemplaris organici corporis, quod canem vocamus, ſed etiam curſûs & latratûs, aliarúmq; operationum naturalium, eidem canis individuo per ſe competentium, utì & omnium qualitatum, ſive manifeſtarum, ſive occultarum, ſive aliis rebus familiarium, ſive hoſtilium. Pleraſq; has ideas, initio mundi, ſaltem quoad ſpeciem evolutas fuiſſe, probabiliùs videtur.

Dantur verò & aliæ Ideæ, quæ materiæ poſt primam creationem â mundi hujus agentibus & diverſo cauſarum concuſſu imprimuntur. II.

Digitized by Google

Tales iterum ſunt in duplici differentia. Quædam enim rebus dant eſſe, & conſtituunt quaſdam ſpecies ex diverſis jam præexiſtentibus permixtas; E. G. ſpeciem muli, aut leopardi; quædam verò impreſſæ ſunt duntaxat ad aliquid operandum. Ideæ primi generis ortum habent ex ideis primogeniis ſive originalibus, diverſo modo permixtis & confuſis. Sicut enim homo intentionaliter concipit hircocervum, montem aureum, aut vitulum volantem, ſpecies diverſas in phantaſia vel intellectu ſubjectatas confundendo, ſic etiam ſpiritus mundi in ſua phantaſia ſpecies diverſas permiſcere poteſt, earúmq; ſpeciales ideas deinceps retinere, ſicut nos in intellectu retinemus ſpecies rerum â nobis ſemel apprehenſarum.

III. Nec tantùm rerum omnium naturalium, ſed etiam quorumlibet arte factorum, vel purè ab hominum inſtituto primitùs dependentium ideas, ſpiritus mundi contrahit ex ipſis rebus. Ex hoc principio omnia illa naturæ miracula poſſunt explicari, quæ ſuperiùs cùm de idearum mirabilibus ageretur, poſtremo loco ſunt allata, E. G. novem muſæ cum ſuo Apolline lapidi â natura inſculptæ, Alphabetum in ſaxo, Pontifices & Sacerdotes marini, orchidum imagines, & infinitæ aliæ figuræ non tantum rerum naturalium, ſed etiam artefactarum, & ab hominum præcisè arbitrio dependentium. Huc etiam ſpectat Morgana Rheginenſis, & plura ſimilia, quæ omnia quomodo fiant pleniùs adverte.

Multæ ſunt rerum in hoc mundo ſpecies & ſpecierum combinationes, factæ ſive per naturam ſive per artem. Has omnes ſpiritus mundi concipit in animalibus, ſenſuum beneficio, maximè verò potentiæ viſivæ. Rerum ità conceptarum formatam effigiem in phantaſia retinet, nec tantùm poſtea in ipſis animantibus, ſed etiam extra ipſa ſimiles rerum figuras & ſpecies producere poteſt, cùm idem omnino ſit qui hoc in loco aliquid concipit, & idem alibi pingit aut format, & â propriis conceptibus facilè ad productionem rei conceptæ determinetur, ſicut determinatur anima in manu artificis vel Matris utero, ad formandum, & in ſubjecto ſive immanente ſive extraneo pingendum, quod in capite concipiebat.

Ex hac doctrina colliges, nullum eſſe tam ſubtile, præclarum, vel ingenioſum artefactum, quod non poſſit â natura ſecundùm figuram & alias qualitates exprimi, adeoq; ars cenſenda eſt naturâ longè inferior; Poſſunt etiam uni homini quandoq; naturaliter patere cogitationes alterius

Digitized by Google

rius, non quidem immediatè ac directè, ſed mediante phantaſmate, in quo res ab intellectu cogitata materialiter ſemper exprimitur, ſi verum eſt illud commune axioma, quòd intelligentem oporteat phantaſmata ſpeculari. Phantaſmata enim unius Archæi, facilè alteri Archæo ob identitatem principij poſſunt innoteſcere.

Veniamus nunc ad Ideas, quæ rebus imprimuntur ad aliquid operandum. Talis eſt idea furoris, â cane irato, lapidi contra ipſum projecto impreſſa; idea quoq; timoris, cultro lanionum, & carni jumentorum, â morientium animalium Archæis ingenita; hæc plevriticorum & arhtriticorum furentes Archæos mitigat cultro potibus impoſito, & carne locis dolentibus applicatâ; Illa verò Archæos etiam pacatos & mites concitat, & contra ſe invicem exacerbat, lapide inter convivas projecto. Per infuſionem plumbi in aquam frigidam capiti ſuperpoſitam, vel extinctionem carbonum, idea extinctionis non tantùm aquæ, ſed ipſi etiam capiti imprimitur, unde ſpirituum in corpore ferveſcentium ardores extingvuntur. Talem fortaſſe ideam ſanguinis bullientis mitigativam habent illa omnia, quæ ſolâ geſtatione ſangvinis fluxum ſiſtunt. IV.

Huc etiam pertinet inimica & maligna Idea, quæ ab animalibus ad iram concitatis, item â cane rabido, ſerpente, tarantula, & ſimilibus, corpori per morſum, vel aliam læſionem imprimitur, & ſæpè cauſa eſt, quòd homo demorſus aut læſus non tantùm actiones illorum animalium imitetur, ſed etiam ſpecies atq; imagines eorum in vulnere atq; urinis exhibeat, ut Archæus humanus exceptâ corporis formâ & figurâ omnino videatur in alium tranſmutatus.

Mirabilis eſt Idea quietis, quam Echeneis piſciculus navi imprimit; hanc tantopere miramur, & non miramur qualitatem impetûs, quæ non minùs forſitan eſt mirabilis, & nihil eſt aliud, quàm idea motûs, rei projectæ aut motæ, vel ad motum adactæ ab aliis corporibus impreſſa. Hæc aliquando ſenſum latet, ſicut intenſo arcu, arbore deorſum alligata, & in quocunq; corpore ab aliis corporibus preſſo, nec adverti poteſt, niſi cùm per effectum proditur. Latet ſimiliter idea turbulenti motûs in medicamento ſomnifero motibus contrariis tuſo ſeu piſtato, quæ motum ſimiliter turbulentum in ſpiritibus cauſat. Idea pariter motûs deorſum vel ſurſum, Sambuci frondibus vel aſari foliis impreſſa, virtutem illorum ad ſuperna vel inferna determinat.

Idea magnetica, ſolo affrictu compaſſorum lingvulis, ſimiliter na-

tura magnetis ſubterranei, ſive arctici, ſive antarctici; ferramentorum extremitatibus, à terra, mediantibus atomorum effluviis, inſenſibiliter imprimitur; quæ quidem ſi operis ſuſcepti brevitas pateretur, fuſiùs hîc eſſent pertractanda.

V. Quæcunq; tandem actiones & generationes, quas in hoc univerſo miramur, per ideas optimè poſſunt explicari, E. G. quomodo in ſaxis diverſa conchilium genera, in terra carnes foſſiles, in homine ranæ, bufones, anſeres intrà vel extra uterum naſci poſſint; in aëre ferrum, lana, ſanguis, ranæ, vituli, ſaxa, & alia plura, quibus nonnunquam pluiſſe conſtat. Item grandines mirabiliter & uniformiter figuratæ, ſpecie humanâ E. G. inſignitæ, & virilia capita cum crinibus & barbis, muliebria cum peplis referentes; cruces quoq; prodigioſæ, & aliæ figuræ, non ſolùm grandini ac nivi, ſed obviis quibuſcunq; rebus inſenſibiliter impreſſæ, quod ſæpiùs factum hiſtoriæ teſtantur. Quamvis non ſemper operentur idearum impreſſiones, niſi in corporibus ad evolutionem illarum diſpoſitis, & Archæo per aliam fortiorem ideam non præoccupato. Hinc etiam non ſemper imaginatio materna fœtum in utero mutat, nec ſemper cæleſtis impreſſio effectum in ſublunaribus ſortitur. Ità doctis raró, ſtultis autem ſæpe accidit ut futura præſagiant, quia mens doctorum ſpeculationibus aliò abſtrahitur, ne idearum ſentiat impreſſionem. Sic etiam illi quibus mens ægrotat, dolorem non ſentiunt; & lepus dormiens non videt, tametſi ſpeciem habeat in oculo ſubjectatam.

Videtur etiam ex adductis hucuſq; principiis via ſufficiens pandi ad explicandos fulminum admirabiles effectus, ſi admittatur fulmen eſſe animatum, & per diverſas nubium igniúmq; cæleſtium colliſiones, Archæo ipſius potentiſſimo, diverſarum operationum Ideas imprimi, quarum directione ac impulſu adeo mirabiles producat effectus. Eâdem viâ poſſent ſalvari mirabiles illæ virtutes, quas certis figuris & characteribus nonnulli attribuunt.

Hæc breviter pro elucidatione ſpiritûs mundi dicta ſufficiant, per cujus in ſe quidem indiviſibilis, in tot nihilominus Archæos diviſi operationes, ab idearum determinatione manantes, & atomorum effluviis promotas, omnia naturæ magnalia, clariùs & faciliùs, quàm in ulla alia ſententia videntur explicari.

Hiſce diutiùs immorandum eſſe non duxi, quòd hæc modernæ profeſſioni meæ non adeo videantur congruere, & parum ad meam vel

gregis

Digitized by Google

gregis mihi commiſſi ſalutem atq; utilitatem conferre. Animarum paſtores, de ſpiritu Religionis potiùs, quàm de ſpiritu mundi debent eſſe ſoliciti; detur hic vel non detur, parum ad nos, modò DEUS ſpiritum ſuum ſanctum non auferat à nobis, & ſpiritu ſuo principali confirmet nos in ſancto propoſito, & vocatione noſtra. Hoc noſtrum eſſe debet principale ſtudium, hæc meditatio, hæc precatio.

Utinam alij gravioribus ſoluti curis onus hoc in ſe ſuſcipiant, & doctrinam de ſpiritu mundi ſuccinctè hìc propoſitam, clarâ, ordinatâ, & fuſiori methodo pertractent, quo labore, quanquam parum cæleſtis gloriæ promerebuntur, hæc tamen fortaſſe in Rempublicam literatorum utilitas dimanabit, ut multi opinionum ſuarum veterum tenebris implexi, ad contrariæ probabilitatis lucem oculos aliquando aperiant, vel eam ſaltem deſinant calumniari, ſpiritu ſuperbiæ turgentes, & ſibi ſolis certam veritatis cognitionem arrogantes. *In nullo aliter ſapere, quàm ſe res habet, Angelica perfectio eſt*, inquit S. Auguſtinus, *quamdiu ergo non habemus perfectionem Angeli, non habeamus præſumptionem diaboli.*

Cæca velut gallina ſolet deprêndere granum,
Sic homines verum tangere mente ſolent.
At qui ſe multum reperire ac cernere jactat,
Nondum vel granum repperit ille ſalis.

CAPUT XVIII.

Liquidò nondum conſtat, per hucuſq; dicta, circa rerum in hoc univerſo mirabilium cauſas, erutam eſſe veritatem.

SAtis à nobis laboratum eſt in cauſis inveſtigandis tam diverſorum ac mirabilium effectuum, quos videmus in hoc univerſò; nihil tamen ferè cum his omnibus actum eſt, omnémq; operam mihi videmur perdidiſſe. I.

Ne laboretis, inquit Eccleſiaſticus, *non enim comprehendetis* non *Eccli. 43.*
ſolùm Deum tantorum magnalium opificem, ſed nec ipſa ejus opera in his creaturis elucentia, quæ nonnemo ex amicis Job *veſtigia Dei* appel- *Job 11.*

lat: *Forſitan*, inquit, *veſtigia Dei comprehendes*; quaſi diceret: *nequaquam.* Hinc etiam illud pſalmiſtæ: *veſtigia tua non cognoſcentur.*

Proverb: 30. *Tria ſunt difficilia mihi*, inquit Salomon, *& quartum penitùs ignoro: viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper terram, viam navis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia.* Aquila enim in cælo, ſeu aëre volans videtur quidem, ſed nullum ſui volatûs relinquit veſtigium. Sap: 5. *Tranſvolat in aëre, nullum* tamen *invenitur argumentum itineris* illius, *ſed tantùm ſonitus alarum, verberans levem ventum, & ſcindens per vim itineris aërem, commotis alis tranſvolavit, & poſt hoc nullum ſignum invenitur itineris illius.* Similiter petram coluber pertranſit, & navis *fluctuantem aquam, cujus cùm præteriêrit, non eſt veſtigium invenire, neq; ſemitam carinæ illius in fluctibus.* Homo pariter in juventute ſua nullum vitæ juvenilis relinquit veſtigium, per quod via ejus ſeu vita præterita, maximè quoad affectiones internas, ſuccedentibus annis cognoſci poſſit. Latet hæc eadem difficultas in omnibus naturæ magnalibus. Videmus quidem cauſarum naturalium effectus valde admirandos, ſed cùm pertranſiêrint, nullum ſui relinqvunt veſtigium, ex quo poſſimus cognoſcere, quibus modis & viis effectus illi proceſſerint. Et ſicut aquila tranſvolans, vel coluber tortuosè gradiens, aut navis hinc inde fluctibus jactata, vel ſicut adoleſcens in actionibus ſuis inconſtans, & nunquam in eodem ſtatu permanens, oculum vias ejus conſiderantem nunc huc rapit nunc illuc; Ità in hoc univerſo effectus naturæ admirandi conſiderationem noſtram diverſimodè torquent, & nunc in hanc, nunc in illam partem rapiunt, ut neſciamus quid de illis ſentire debeamus. Citò enim tranſeunt, & cùm tranſiêrint, non eſt unde illorum Eccli. 47. modos & cauſas cognoſcamus. Huc etiam ſpectat illud Eccleſiaſtici jam ſupracitatum: *quàm deſiderabilia opera* Dei, *& tanquam ſcintilla, quæ eſt conſiderare.* Sicut enim ſcintilla in ſilice latet abſcondita, ſic plurima Dei opera nobis ſunt occulta. Et ſicut ſcintilla excuſſa valde parva, imò ferè nihil eſt reſpectu incendij, ſicut & gutta reſpectu oceani, ſic opera Dei quæ noſtræ conſiderationi ſunt permiſſa, minima ſunt reſpectu aliorum, quæ humanam latent cognitionem. Et inſuper ex his minimis nihil â nobis evidenter cognoſcitur.

U. Cùm ità nobis clarè Dei opera, eorúmq; cauſæ innotuerint, ut ea mirari omnino deſinamus, tunc gloriari poterimus ſublatam eſſe â nobis ignorantiam, imò adhuc timere debebimus ne â veritate procul recedamus,

mus,non enim omnis via clarior in philoſophicis etiam eſt verior. Quidquid ſit, non vult DEUS naturæ arcana nobis ad oculum patere: *facit magna & incomprehenſibilia, & mirabilia quorum non eſt numerus.* Job. 9.
Ut non deſinat in minimis etiam creaturis eſſe mirabilis. Sufficiat illa nobis interim admirari, dum ad plenum ea ſcire ac penetrare non conceditur. Quòd ſi aliqui putant ſe omnes nodos Gordios in hoc rerum omnium ſibi cohærentium vinculo repertos ſolviſſe, videant ne per hoc, non tam ſubtilitatem, quàm ſtultitiam ſuam vendant, & multi lateant nodi in ſcirpis ipſorum. Mirari multa humanum eſt, pauca mirari non ſemper ſapientem ſed etiam ſtultum quandoq; denotat, nec ideo bruta ſapiunt, quia nihil mirantur.

Licet ergo adhuc hodie uſurpare illud Plinij: *multa ſunt naturæ miracula incomperta adhuc rationis, & in natura majeſtate penitus abdita.* Item illud Senecæ: *arcana illa non promiſcuè, nec omnibus patent, reducta, & interiore ſacrario clauſa, ex quibus aliud hac ætas, aliud quæ poſt ſubibit accipiet.* Huc etiam ſpectat illud quod canit Lucretius:

Multa tegit ſacro involucro natura, nec ullis
Fas eſt ſcire quidem mortalibus omnia. Multa
Admirare modò, nec non venerare, nec illa
Inquires, quæ ſunt arcanis proxima. Namq;
In manibus quæ ſunt hæc nos vix ſcire putandum;
Eſt procul à nobis adeo præſentia veri.

Et quamvis fortaſſe aliquando veritatem palpando ac divinando inveniamus, ſicut cæca gallina granum ſolet invenire, illam tamen à falſo diſcernere prorſus neſcimus. Oſtendendum nunc multa, etiam in ſententia ſpiritûs mundi, præſuppoſitis atomis, Archæis & ideis, adhuc manere intricata, explicatu difficilia, & admiratione digna.

Scio quidem Hieronymum Vitalem, virum alioquin eruditiſſimum, III.
in lexico ſuo mathematico audenter aſſerere, omnia naturæ arcana & myſteria, per ſpiritum mundi nobis facilè reſerari, ubi eum ſequentibus honorat prædicatis. *Eſt hic Alexandri gladius, tot gordianos nodos in univerſa Philoſophia reſcindens; Hoc Ariadnæ filum, nos manu ducens ad tot difficultatum inextricabiles aditus ſuperandos; hæc inquam mundi vita, quâ ſemel admiſsâ, ſtatim univerſa naturæ arcana intelliguntur, quâ demptâ in mille errorum lapſus impingimus.* Video nihilominus

Digitized by Google

nus admiſſo etiam hoc principio, adhuc non pauca in naturæ gazophylacio abſtruſa latere, & nodos quoſdam gordios adhuc manere inſolutos.

Ipſe primò ſpiritus mundi admirationem noſtram parum evacuat, imò fortaſſe majorem parit, quàm ſit apud illos, qui quotidianam formarum ſubſtantialium generationem admittunt. Quis enim non miretur animam adeo latè patentem, ut totum hoc univerſi ſpatium informare poſſit, quod fortaſſe omnes Angeli cunctis ſuarum extenſionum virtualitatibus non poſſent implere? Inſuper cùm ſit indiviſibilis, & tanta, támq; diverſa operetur, ut etiam à quibuſdam vocetur *magnale magnum*, materialis tamen eſſe affirmatur; quam depreſſam Entitatis conditionem, cum tanta, tam celeri ac ſublimi activitate, ac ſenſu per omnia diffuſo combinare, non parum eſt difficilè; utì etiam cum adeo notabili rerum diverſitate, deſinentia; & ſeparabilitate ſenſuum judicio comprobata, conciliare ſubſtantialem earum identitatem, permanentiam, & continuitatem.

IV. Si jam ideas ſpiritûs mundi determinatrices penitiùs contemplemur, reperiemus in his adhuc plurima, quæ digna ſint omni admiratione. Inprimis Idearum natura, evolutio, cohæſio, quàm eſt mirabilis? quis dicere poteſt, quonam modo Ideæ, earúmq; partes in eodem ſubjecti ſpatio ſecum invicem penetratæ, inconfuſæ tamen permaneant? Quis explicare poteſt, quomodo, & à quo Ideæ ſuſcitentur? ſi dicas eandem eſſe difficultatem in ſpeciebus intelligibilibus, quomodo excitentur ſeu evolvantur; Item quomodo non ſint invicem confuſæ, quamvis occupent locum indiviſibilem; hoc ipſum eſt quod ſententiam ſpiritûs mundi relinquit plurimis adhuc difficultatibus intricatam, dum difficile per aliud difficile volumus explicare, adducto animæ indiviſibilis in humano corpore tam diverſa operantis exemplo, allegato etiam ſtupendo illo maternæ connexionis cum fœtu myſterio, & inextricabili ſpecierum labyrintho à minoribus ad majora translato. Non eſt hoc meo judicio difficultatem enodare, ſed obſcurum explicare per obſcurum, & difficilia docere, quia per alia difficilia explicari poſſunt.

Magnum ſatis naturæ *miraculum*, *& grande* ſatis *profundum* teſte S. Auguſtino, *imò omni miraculo, quod fit per hominem, majus miraculum, eſt ipſe homo.* *Idem S. Auguſt:* * *Eunt interim potiùs homines mirari alta montium, ingentes fluctus maris, latiſſimos fluminum lapſus, oceani ambitum, & gyros ſiderum, & relinquunt ſe ipſos & non mirantur*, per hu-

mana

mana quoq; tanquam faciliora naturam hujus univerſi conantur explicare, ſeu potiùs adumbrare, cùm tamen in terris *nihil magnum* ſit *prater hominem*; ut ajebat Phavorinus. *In* ipſo autem *homine nihil magnum prater mentem*, *nulla profunditas quoq; major ſuper humani animi abyſſum*, teſte Iſidoro. Unde humanæ mentis, & ſpecierum ei ſervientium exemplo, velle uti, ad declaranda cætera in hoc mundo naturæ miracula, videtur nihil eſſe aliud, quàm ignotum explicare per ignotius.

Quid hìc dicam de Idearum multitudine? quæ omnes ſunt entia verè actu, innumeræ tamen ſingulis momentis evolvi dicuntur; & major longè in hac ſententia idearum, quàm in communi formarum ſubſtantialium fit multiplicatio. Hæ quidem Ideæ Archæos determinare dicuntur, jam ad ſympathicos, jam ad antipathicos, aliósq; mirabiles effectus. Si autem quæratur, cur hæc idea Archæum ad hos effectus determinet? cur uni ſit familiaris non alteri? nihil reſponderi poterit, quàm talem eſſe ipſius naturam. *Brevis ſanè iſta eſt ratio fateor, ſufficiénſq; reſponſio*, inquit Sanctus Auguſtinus, dum aliam ultra dare non poſſumus; hæc tamen noſtram admirationem, parum tollit. Sufficiebant fortaſſe occultarum cauſarum & qualitatum nomina, quibus alij in rerum naturalium explicatione ſunt contenti, ut non videatur fuiſſe opus ſe in majores conijcere terminorum & quæſtionum labyrinthos. Demum in illo agendi & formandi modo phantaſtico, quem animæ huic univerſali attribuunt, vereor ne meræ ſint hominum phantaſiæ.

Civit: lib: 21. cap: 7.

Quod atomorum ſeu corpuſculorum effluvia concernit, magna in illis recondita latet difficultas. Nec enim facilè concipitur, quomodo tantam effluviorum maximè ſubſtantialium copiam res una quandoq; minima ſuppeditare poſſit, aut quomodo hæc ab una univerſi parte ad alteram per tanta ſpatia poſſint pertingere.

Taceo hìc, quòd non omnes, qui ſpiritûs mundi fundamento inſiſtunt, eundem explicandi modum teneant, ſed in via quam putant eſſe veritatis, unus ſic, alius ſic incedat, quod magnum eſt indicium eos in plurimis hallucinari; veritatis enim unicus eſt trames, pluribus calliculis deviatur. Hæc de ſententia ſpiritûs mundi, quæ licet veriſimilior quàm communis, nondum tamen vera & certa mihi eſſe videtur, dicta ſufficiant. *Utinam* verò, ut ſibi Tullius optat, *tam facilè vera invenire poſſem, quàm falſa convincere.*

V. Sunt igitur quamplurima in hoc mundo, quæ ignoramus; imò

ſeclusâ fide non auſim dicere, ullam reperiri ſententiam, in rebus præſertim phyſicis, quæ non ſit periculo erroris obnoxia. Dantur in hoc rerum naturalium theatro quàmplurimæ ſphinges, nos verò Davi ſumus, non œdipi. Ludit nobiſcum divina ſapientia in orbe terrarum, dum ſcientiæ noſtræ aut doctæ potiùs ignorantiæ illudit. Mundum quidem
Eccle: 3. tradidit diſputationi noſtræ, *ut* tamen *non inveniat homo opus quod operatus eſt DEUS ab initio uſq; ad finem.* Hoc eſt; nullius à primo uſq; ad ultimum certam reddere poſſit rationem; ſive, incipiendo à rerum cauſis & eſſentiis, uſq; ad effectus illarum & proprietates, nullius rei notitiam perfectè aſſequi valeat. Horum omnium vera & genuina cognitio nobis pro ſtatu præſenti eſt impoſſibilis, ſeclusâ Dei revelatione.
Eccle: 8. Quis ſapiens ut Salomon? ille tamen ait, *quòd omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem, eorum quæ fiunt ſub ſole, & quantò plus laboraverit ad quærendum, tantò minus inveniat.*

Si eorum non poteſt reddere rationem quæ fiunt ſub ſole, quantò magis illorum quæ fiunt ſupra ſolem? valde *obturatus eſt* humanæ men-
Num: 24. tis *oculus*; Palpando ac divinando plerumq; in ſententiis noſtris proce-
Eccle: 5. dimus. *Multa* ſunt in illis *ſomnia, plurimæ vanitates, & ſermones innumeri.* Ex tergo faciem, & ex viſibilibus inviſibilia debemus conjicere. Multa nihilominus ſcrutamur, etiam illa quæ DEUS poſuit in theſauris ſuis rimari præſumimus, ſed deficimus ſcrutantes ſcrutinio.

VI. Præſtaret nos quibuſcunq; noſtris opinionibus ſemper illud adjicere, quod ſententiis ſuis adhibent Turcarum Hairetti: *Deus optimè novit*; confiteri quoq; imbecillitatem & ignorantiam noſtram, dicendo cum Divo Auguſtino: *neſcio, & non erubeſco me confiteri neſcire quod neſcio*, nec animo præſumptuoſo illorum ſcientiam appetere, quæ nos DEUS voluit ignorare. Quod ſi fecerimus, nunquam incidemus in Homeri ſtultitiam, qui cùm piſcatores quoſdam interrogâſſet quid haberent? & illi reſpondiſſent:

Quod captum eſt periit, ſed quæ non cepimus adſunt.

Significantes ſe, cùm piſces capere non potuiſſent, pediculos interim captos necâſſe, quos verò non cepiſſent adhuc habere, reſponſo diu ſecum perpenſo, cùm illud explicare non poſſet, ac de ſua ignorantia erubeſceret, præ mœrore animi contabuiſſe ſcribitur. Nec Ariſtotelis dementiam incurremus, qui Euripi ſepties in die ac nocte curſum reciprocantis naturam admiratus, cùm ejus cauſam explorare non poſſet, igno-

Digitized by Google

ignorantiæ ſuæ pariter impatiens, & ægrè ferens dari aliquid ingenio ſuo impervium, ſe in aquas Euripi dedit præcipitem, inquiens: *quoniam te capere non poſſum, cape me.* Nos quibus difficiliora & intricatiora in rebus naturalibus ænigmata quotidie ſolvenda occurrunt, & cauſarum naturalium arcana penitùs ſunt inacceſſa, ſimus his ſapientiores; erimus autem, ſi non nimiùm ſapere affectaverimus. Quod ſi alioquin in hoc naturæ mari multum capere voluerimus, parùm tamen vel nihil capiemus, ſed plurima eorum quæ cepiſſe videbimur, ſcientiam noſtram effugient, eadémq; intellectu noſtro aſſequi nullatenus poterimus.

Projiciamus nos potiùs, & omnem ſcientiam noſtram, non quidem in fluxum & inconſtans Euripi fretum, ſed in pelagus inexhauſtum æternæ ſapientiæ, illi veritatis notitiam, nobis autem nihil ex nobis niſi errorem & mendacium attribuentes; ſapientiſſimum quoq; illud Eccleſiaſtici monitũ animo ſemper repetamus: *altiora te ne quæſîeris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi DEUS, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus; non eſt enim tibi neceſſarium ea quæ abſcondita ſunt videre oculis tuis. In ſupervacuis rebus noli ſcrutari multipliciter, & in pluribus operibus ejus non eris curioſus. Plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi. Multos quoq; ſupplantavit ſuſpicio illorum. Suſpicio* dicit, non *ſcientia* vel *opinio*, ut per hoc denotet, nos in rerum naturalium cauſis indagandis plerumq; ſuſpicari, vix aliquid opinari, ſeu probabiliter judicare, multò minùs evidenter cognoſcere. VII. Eccli: 3.

Audiamus hîc etiam ſapientiſſimum Cardinalem Cuſanum de doctâ hominum ignorantia ità ſcribentem? *In his*, inquit, *tam admirandis rebus, tam variis & diverſis, per doctam ignorantiam experimur, nos omnium operum Dei nullam ſcire poſſe rationem, ſed tantùm admirari. Quoniam magnus Dominus, cujus magnitudinis non eſt finis, qui cùm ſit maximitas abſoluta, utì eſt omnium operum ſuorum Author & cognitor, ità & finis, ut in ipſo ſint omnia, & extra ipſum nihil; qui eſt principium, medium, & finis omnium entium, & circumferentia univerſorum.* VIII. lib: 2. cap: 14.

** Cùm inhabitet ipſam lucem inacceſſibilem, quæ per omnia quæritur, ſolus poteſt pulſantibus aperire, & petentibus dare, & nulla habet poteſtatem ex omnibus Creaturis ſe pulſanti aperire, & ſe oſtendere quid ſint, cùm ſinè eo nihil ſint, qui eſt in omnibus; ſed docta ignorantia ab eis ſciſcitanti: quid ſint? aut quomodo? aut ad quid? reſpondent: Ex nobis* Ibidem.

nihil, neq; ex nobis tibi aliud, quàm nihil reſpondere poſſumus. Cùm etiam ſcientiam noſtrî non nos habeamus, ſed ille ſolus, per cujus intelligere id ſumus, quod ipſe in nobis vult, imperat & ſcit. Muta ſumus omnia, ipſe eſt qui in nobis loquitur, qui fecit nos, ſolus ſcit quod ſumus, quomodo, & ad quid. Si quid ſcire de nobis optas, hoc quidem in ratione & cauſa noſtra, non in nobis quære. Ibi reperis omnia, dum unum quæris, & neq; te ipſum, niſi in eo reperire potes. Hæc ille.

Ne putemus ergo nos veram ſcientiam, veriq; notitiam, quantiſcunq; ingeniorum noſtrorum viribus & ſtudiis poſſe comparare. A ſolo Deo illam obtinere ſtudeamus, qui ſi placitum eidem fuerit, facilè nobis de infinitis ſapientiæ ac ſcientiæ ſuæ theſauris illam communicabit. *Dan: 2.* Ipſe enim ſolus eſt, qui docet hominem ſcientiam, * *qui revelat profunda & abſcondita, & novit in tenebris conſtituta.* Sinè hujus Ariadnæ ductu, & face divini hujus luminis, omnia in mundi hujus labyrintho, erroribus atq; caſibus obnoxia ſunt.

Non tantùm in materiis Theologicis & divinis, ſed etiam in plurimis naturalium ſcientiarum difficultatibus, meritò uſurpare poſſumus illud Simonidis, qui ab Hierone Siculo rogatus, quidnam, aut qualis eſſet *DEUS?* ad deliberandum unius diei ſpatium popoſcit. Id cùm effluxiſſet, revocatus, & quod pridie quæſitum fuerat ſolvere juſſus, biduum poſtulavit; eo finito quatriduum. Et cùm ſic ſæpe ſpatium duplicâſſet, Tyranno, quid ſibi procraſtinatio hæc vellet, percontanti, reſpondit: *Quò diutius cogito, eò mihi res videtur obſcurior.* *Cicero de natura Deorum.*

IX. Adducamus hîc adhuc pro capitis coronide, S. Laurentium Juſtinianum, qui ſcientiam humanam, de ſe multa præſumentem, in altis volantem, & ima lingentem ſequentibus verbis confundit: *Cùm ad divinæ ſapientiæ inveſtiganda inſcrutabilia humanus attollitur intellectus, ut ſuccumbat neceſſe eſt. Si enim de naturalibus cogitans parum proficit, & ad latentes rerum cauſas perquirendo non venit, quid de divinis cenſendum ſit, judicet qui rectè ſapit. Humana quippe ſcientia ſi diligenter examinetur quid neſciat; non ſcientia, ſed veriſſimè potiùs q; ignorantia vocatur. Innumera namq; ſunt, quæ prorſus ignorat. De ipſis, quæ quotidie videt & palpat, nullam convincitur habere notitiam, & rationis ſcientiam; ſi ſciſcitetur, ut rationem reddat, cur olivarum lauriq; folia potiùs, quàm vitis & fici in hyeme vireſcant, penitus ignorabit; ſi quæratur, cur formica, ſinè alarum remigio creata, cur talia & talia* *S. Laure: Juſtin: de caſto Connubio cap: 14.*

Digitized by Google

talia facta ſint, omnino ſuam convincetur confiteri ignorantiam. O elata præſumptio! ô tumens humana exiſtimatio! indocta ſcientia & neſcia doctrina quid inflaris? quid extolleris? cur terminos excedis tuos? cur erectâ cervice, extento collo, ductis ſuperciliis graderis? & quaſi de ſingulari inflaris ſcientia? viſq; â cunctis vocari Rabbi? quare cæteros deſpicis? quare ſimplices inhonoras? reddere de minimis rationem neſcis, & de magnis intumeſcis; ſtultam ô homo fecit DEUS ſapientiam tuam, tibi objiciendo multa inſcrutabilia & exigua, quarum nullam habes ſcientiam, quatenus ex illis diſcas non inflari.

Si quando ſuper ingeniis ſit quæſtio mota,
Divino humanum cedere nemo negat.
In pleriſq; tamen mihi divinare videtur,
Divinum hinc meritò dixeris ingenium.

SCIENTIA ergo noſtra etiam anagrammatis ex nomine ipſius deſumpti teſtimonio IT NESCIA, ET INSCIA.

Hæc de ſcientiarum, aut veriùs opinionum, atq; ſuſpicionum noſtrarum incertitudine ac fallibilitate dicta ſufficiant. Plurima ſuſpicamur, opinamur pauca, ſcimus nihil. Nunc ad ſcientiæ, ſeu potiùs ſciendi cupidæ ignorantiæ, damna ſpiritualia deſcribenda calamum convertamus.

CAPUT XIX.

Scientia tempus meritis & pietati conceſſum vanè prodigit, & ſpiritum ac devotionem diſtrahit.

AD ſpiritualia ſcientiæ damna & incommoda explananda me jam confero; hanc non immeritò *occupationem peſſimam* vocat Eccleſiaſtes, *quam dedit DEUS filiis hominum, ut occuparentur in ea.* Peſſimam occupationem ideo vocatam exiſtimat Lyranus, quòd ſit impeditiva majoris boni, devotionis ſcilicet & orationis; in quibus occupari millies profectò ſalubrius eſſet homini, â quo ſtudio ne retardarentur vel impedirentur plures Sancti, literas velut peſtem fugerunt. Veriſſima Divi Bernardi eſt ſententia: *â terris ad cælos feſtinantem qui moratur, etſi non detinet, plurimùm tamen nocet.* Remorantur nos eò feſtinantes, ſi tamen feſtinamus, nugæ nugarum, & vani-

[Margin: I. — c. 1. — ad ff. de monte Dei.]

vanitates vanitatum, inania ſcientiarum ſtudia, remorantur, & utinam plurimos non penitus detinerent. Plangebat Divus Bernardus hanc mentis humanæ calamitatem, remoras hujuſcemodi vix aliquando perrumpere valentis, quin ſæpius, ſponte ſectantis, cùm de ſe humiliter ità loquitur? *Tu quidem Domine greſſus meos dinumeras; ſed ego lentus aſcenſor, feſſus viator diverticula quæro; væ mihi ſi tenebræ me comprehendant, aut ſi mea fuga fiat in hyeme, vel ſabbatho, dum nunc ad lucem, cùm tempus acceptabile, & dies ſalutis ſunt, proficiſci diſſimulo.*

de gradibus humil: & ſuperb.

Michea. 3. * *Væ qui cogitatis inutile*, ait Propheta. Inutilia cogitant, qui mentem ſuam ejuſcemodi rebus occupant, quæ parum vel nihil ad æternam beatitudinem utilitatis adferre poſſunt. *Una cogitatio felix*, inquit D. Hieronymus, *cogitare de Domino, de reliquis nolo ſinas cogitationem creſcere.* * *Nam omnis cogitatio*, ut ait Caſſianus, *non ſolùm turpis, ſed etiam otioſa, & â Deo quantumcunque diſcedens, â perfecto viro immundiſſima fornicatio reputatur.* * *Quidquid cor cogitat*, inquit Divus Bernardus, *quod ad utilitatem tuam, vel proximorum quoquo modo non pertineat, reſpuendum eſt.* Et alibi: *Sicut nullum eſt momentum, quo homo non utatur, vel fruatur Dei bonitate & miſericordia; ſic nullum debet eſſe momentum, quo eum præſentem non habeat in memoria. Omne tempus in quo de Deo non cogitas, hoc te computes perdidiſſe.*

Epiſt: ad Euſtoch: Collat: 14. c. 11. de inter: domo c. 24.

II. Quantam igitur jacturam temporis ſuſtinent literati, quàm vanè oleum, & omnem operam ſuam perdunt, quibus rara de Deo cogitatio obverſatur, & ſola cordi eſt inanium literarum occupatio. Beatus ille, qui, ut ait D. Bernardus, *omnia detrimentum facit, omnia aſpernatur & arbitratur ut ſtercora, exinanivit ſemetipſum penitus, non ſe patitur occupari, quibus novit non poſſe repleri; non ignorat ad cujus imaginem conditus ſit, cujus magnitudinis capax ſit; nec ſuſtinet de modico creſcere, ut de maximo minuatur.* Beatus homo talis, quem tu erudieris Domine, & docueris eum incumbere Soli curæ te promerendi, & ad magnum illud æternæ beatitudinis pondus, pro parvo laboris pretio mercandum, omne ſtudium adhibere, neglectis cæteris illi ſoli vacare, quod cum ipſo poteſt eſſe in æternum. Ad hujus autem conſecutionem, ſtudium ſalutis, non verò ſcientiæ neceſſarium eſt. Non illud quo mundi ſapientes occupantur, ſed quod adhibebat Rex David, cujus omnis meditatio & occupatio fuit in lege Domini, & in ſanctiſſima voluntate illius,

ſerm: 15. in pſ: qui habitat.

us, ut per ejus obſervantiam ſemper juſtificatus permaneret. Hinc DEUM rogat, non ut ipſum doceat alta & ſubtilia, ſed ſaluti utilia: *doce me*,inquit, *juſtificationes tuas. Viam juſtificationum tuarum inſtrue me. Da mihi intellectum ut ſciam teſtimonia tuâ. In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas; in juſtificationibus tuis meditabor, non obliviſcar ſermones tuos. Conſiderabo mirabilia de lege tua.* Ait deinde: *didici judicia juſtitiæ tuæ. A mandatis tuis intellexi. Teſtimonia tua exquiſivi. Quomodo dilexi legem tuam Domine, totâ die meditatio mea eſt.* Hæc meditatio ſtudium eſt ſalutis, quod ſpiritûs devotionem accendit, non extingvit, non diſſipat, ſed retinet, atq; confirmat.

Videamus nunc quantam remoram ad cæleſte bravium feſtinantibus inijciat, quantùm â devotionis merito mentes humanas abſtrahere ſoleat, & theſaurizationem gloriæ cæleſtis impedire ſtudium ſcientiæ. Neſcio, an ullus ex hujus ſæculi literatis Divo Bernardo ſit ſanctior? audi tamen illum humiliter de ſe confitentem, & miſeriam ſuam deplorantem: *lego*,inquit, *de Religione mea, & plùs diligo lectionem, quàm orationem. Verumtamen nil aliud mandat divina ſcriptura, niſi Religionem amare, unitatem ſervare, charitatem habere; ego autem miſer & miſerabilis citiùs curro ad lectionem, quàm ad orationem; libentiùs volo legere, quàm miſſas auſcultare. Expectat me aliquis volens de neceſſitate ſua mihi loqui, ego verò librum aliquem accipio, lego in eo, & legendo amitto fructus charitatis, pietatis, affectus compunctionis, fletûs, Miſſarum utilitatem, cæleſtium contemplationem.* *Medit. c. 7.*

O! quanta literati meritorum lucra ſibi poſſunt aggregare, qui nunc potiorem vitæ ſuæ partem otioſè ſpeculando tranſigunt, Intellectum ſuum ſcientiarum ſtudio perficiunt, negligunt voluntatem, â qua tamen vel elicitè vel imperatè procedere debet, quidquid pro pretioſa illa margarita â Rege Cælorum ſuſcipitur; faſtidiunt orationem, indeſinenter lectioni vacant; cùm tamen hæc ſinè illa ſterilis ſit & infructuoſa, & bene dixerit D. Auguſtinus: *Meliùs eſt orare quàm legere. In lectionibus cognoſcimus quid agere debeamus, in orationibus percipimus quæ ſaluti neceſſaria poſtulamus. Orationibus nutritur anima, lectionibus excitatur. Novit ſemper oratio ſinè lectione proficere, ſed lectio ſinè oratione rariſſimè. Unde nec diſcerni poteſt de facili, quanti ſit periculi & laboris parùm vel nihil orare & ſemper legere, & nunquam ad ſapidam ſcientiam pervenire.* Scio

Scio equidem illud ejuſdem Divi Auguſtini: *Intellectus cogitabundus eſt principium omnis boni.* Item illa in ſoliquiis ejus verba, quibus DEUM ſic alloquitur: *quiſquis cognoſcit te, diligit te; ſe obliviſcitur, amat te pluſquàm ſe, relinquit ſe, & venit ad te, ut gaudeat de te. Hinc eſt ergo Domine, quòd non tantùm diligo, quantùm debeo, quia non plenè cognoſco, ſed quia parum cognoſco, parum diligo, & quia parum diligo, parum in te gaudeo.* Scio tantò fortiùs ad proſequendum aliquid, trahi voluntatem, quantò clariùs in eo boni, vel amabilis ratio cognoſcitur. Novi deniq; ſcientiam plurimùm ad pietatem ac Religionem conducere, quin imò eſſe neceſſariam, ut bene dixerit Lactantius: *ſapientia præcedit, Religio ſequitur; prius eſt enim Deum nôſſe, conſequens colere.* Verùm utinam filij hominum cognitionem & ſcientiam ſuam ſterilem eſſe non ſinerent & ſpeculativam, ſed per illam ad praxin amoris, erga objectum ſuum cognitum dirigerentur, & cognoſcere perfectiùs appeterent, ut ardentiùs amarent. At quia plerumq; non ideo appetunt ſcientiam, ut ædificent conſcientiam; in perficiendo intellectu hærentes, & nunquam ad voluntatem excolendam ſe extendentes, & quæ ſciunt, ad hoc ſolummodò ſciunt ut ſciantur, fit ut telas aranearum texant, *& vacua ſit ſpes illorum, & labores ſinè fructu, & inutilia opera eorum.* Tum quia in ſupervacanea plurium ſpeculationum vanitate ſenſus eorum detinentur, quàm opus ſit ad amorem, cujus motivum ſufficiens eſt Deum ſcire & credere ſub ratione Creatoris, Redemptoris, ac Benefactoris, Patríſq; ſummè amabilis. Tenera res & mollis eſt amor, ſpeculationibus altis abſorbetur potiùs, quàm adjuvatur. Bene Divus Bonaventura: *ſi quis hoc dictum corde frequentaret, ô Domine quando te diligam! citiùs ſe ſentiret experimentaliter inflammari, quàm ſi de ſecretiſſimis cæleſtibus & æterna generatione vel proceſſione millies cogitaret.*

Soliloq: c. 1.

Sap: 3.

III. *In formula honeſtæ vitæ. In ſpec: Monach:*

Illas ſcripturas libenter legas, inquit D. Bernardus, *quæ præcipuè erga Chriſtum Dominum tuum magìs inflammaverint intellectum.* Et alibi: *Si ad legendum accedat, non quærat ſcientiam, ſed ſaporem.* At dum ſcire tantùm multa, non etiam inde proficere quærimus, víxq; aliquando inter laborem literarium mentem ad divina levamus, vix illum unquam ab Jove ordimur, totum ei tempus impendimus nullum devotioni, ac tot evolutis codicibus ſalutaria illorum documenta nunquam vertimus in opera, vaniſſimi profectò ſumus. Laudo ſapientiſſimum, ſan-

Digitized by Google

ſanctiſſimúmq; Idiotam Abbatem Pambonem, cui cùm alius quidam vir doctrinâ clarus, ut refert hiſtoria Eccleſiaſtica, ſuaderet, ut virtutis ſtudio adderet aliquid ſacratioris doctrinæ, & cùm annuiſſet S. Abbas, ac Doctor in prima prælectione illud Regij vatis, *dixi cuſtodiã vias meas ut non delinquam in lingua mea*, quod primũ fortè occurrerat, interpretatus eſſet; *Heus*, inquit, Pambo *ſatìs eſt, cùm hoc probè didicero, & dedero effectum, tunc reliqua proſequeris.* Simile quid legitur de ſcholari quodam, qui de terra longinqua ad Theologiæ ſtudium Pariſios venit; & cùm primâ die Magiſtri cujuſdam, qui Matthæum legebat, ſcholam ingreſſus fuiſſet, & explicari audiviſſet illud: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, ſubitò ſurrexit & exiit; interrogatus quò iret? cur tam citò ſcholas deſereret? reſpondit: *nihil mihi factum eſt, ſed antequam plus audiam, iſtud volo opere complere* Religionem poſtea intravit, ac dilectionem Dei, quam doctus fuerat, ſedulò cœpit exercere. Pauciſſimi hodie tales reperiuntur. Sunt è contra quamplurimi, qui multa quidem nôrunt, ſed tantò minus faciunt, & cum ſterili ſua ſcientia per omnem vitam Deo diſplicent, qui, ut ait D. Auguſtinus, *legem ſuam non ſolùm ſciri, ſed etiam impleri jubet.* Ità ſcilicet mundi ſcientia nos ſupplantat; ità Sirenes iſtæ aures cordis noſtri doloſè rapiunt; ità Typhus hic pernicioſus humani generis collectum in nobis ſpiritum, quem accendere deberet, ſolet diſſipare; ità ducimur ad cor durum; ità nos ſubvertit, ut cum Divo Bernardo loquar: *hæc ſapientia mundi terrena, animalis, diabolica, inimica ſalutis, ſuffocatrix vitæ, Mater tepiditatis ejus, quæ ſolet Deo vomitum procurare.* *Super Evang: Ecce nos.*

IV. Vis ſcire quantùm devotionem orationis enervent ſtudia literarum, quàm importunè, quoties ad meditationis quietem, aut plectra Davidica ſe â Muſarum Choris transferunt literati, auribus eorum ſoni ipſarum nondum deſinentes obſtrepant, ab expertis & hæc quotidie plangentibus require. Solent literatis, præſertim dum divinis vacant negotiis, miræ ſubtilitates, faciles difficultatum maximarum enodationes occurrere, orationem ac meditationem ipſorum tepefacere, & omnem plerumq; laborem reddere infructuoſum. Neq; mirum eſt, rerum quibus vacant cogitationem mentibus ipſorum ſe ingerere; cùm etiam â pluribus jam annis ſepulta phantaſmata tunc reviviſcere ſoleant, fabularum levitates, & nugæ nugarum, quas aliquando jam olim in ſcholis conceperunt. Conqueritur hoc in ſe quidam apud Caſſianum, id ſpe-

 ciale

Digitized by Google

Collat: 14. c. 12. ciale impedimentum ſalutis vocans, dum ſic ait: mihi *præter illas generales animæ captivitates, quibus non dubito infirmos quoq; pulſari, extrinſecus ſpeciale impedimentum ſalutis accidit, pro ea, quam tenuiter videor attigiſſe, notitiâ literarum, in qua me ità vel inſtantia pædagogi, vel continuæ lectionis maceravit intentio, ut nunc mens mea poëticis velut infecta carminibus, illas fabularum nugas, hiſtoriáſq; bellorum, quibus à parvulo primis ſtudiorum imbuta eſt rudimentis, orationis etiam tempore meditetur, pſallentíq;, vel pro peccatorum indulgentia ſupplicanti, aut impudens poëmatum memoria ſuggeratur, aut quaſi bellantium heroum ante oculos imago verſetur, taliúmq; me phantaſmatum imaginatio ſemper eludens, ità mentem meam ad ſupernos intuitus aſpirare non patitur, ut quotidianis fletibus non poſſit expelli.* Audivi quendam excellentis doctrinæ virum, cùm aliquando poſt diſputationem celebraret, & in Miſſa *Orate fratres* dicere deberet, vultu ad populum verſo dixiſſe: *probo minorem.*

Quis igitur fucos tales multùm nutriat? qui deinde importunè bombilando, quæſtuoſæ orationis laborem totum deperdi faciunt, & ipſius ſacrificij devotionem interturbant. Rara avis in terris homo eminens eruditione, ac ſedulus in pia cæleſtium contemplatione, diligens in ſtudendo, devotus in orando, intentus ſtudio literarum, & gaudens dono lacrymarum.

Climacus ex hac cauſa ipſam ſcientiarum diviniſſimam Theologiam, à viris Deo addictis & contemplationis ſtudio deditis arcendam *Scala parad; gr. 7.* cenſet. *Non convenit*, inquit, *lugentibus Theologia ſermo, nam ex eo maximè ſolvi illorum fletus conſuevit.* Omnes lugentes ſumus, aut eſſe ſaltem debemus, *producentes nunc lacrymas*, ut bene dixit in vitis Patrum Macarius, *antequam eamus hinc, ubi lacrymæ noſtra corpora comburant; * nam tempus hoc*, ut ajebat Thallæus Abbas, *nobis ad pœnitentiam indultum eſt, & valde requiretur à nobis, ſi illud neglexerimus.*
ſerm: de miſeria humana. Veriſſimum eſt illud Divi Bernardi: *qui non flevit, quando erat tempus flendi, æterno luctu lugebit, ſed ſinè fructu.* Lacrymis ergo potiùs quàm literis ſtudendum.

V. Mirum quid narratur de pſittaco Leonis X. quod cùm aliquando præter morem taciturnus & cogitabundus videretur, dixerit ei per jocum Pontifex: *Papagallo che penſi? pſittace quid cogitas?* ad quæ verba pſittacus velut expergefactus protulit illud pſalmi: *cogitavi dies antiquos, & an-*

& annos æternos in mente habui. Quo reſponſo perculſus Leo, pſittacum Dæmoniacum eſſe ſuſpicatus, juſſit occidi. Optandum eſſet, ut quilibet doctus in ſuo muſæo ejuſmodi pſittacum aleret, à quo cor ſuum à tranſitoriis mundi hujus vanitatibus abſtrahere, & æterna diſceret cogitare; ſunt enim plures hoc tempore, qui magìs literis quàm lacrymis ſtudent, plùs ſcientiæ intendunt quàm virtuti, potiorem ætatis partem magìs philoſophicarum novitatum indagini, quàm noviſſimorum ſuorum conſiderationi, Ariſtoteli & vanitati ſectandæ plùs quàm DEO & veritati conſecrant, illud Divi Hieronymi monitum malè dimidiantes: *ſic ſtude tanquam ſemper victurus, ſic vive tanquam ſemper moriturus*, ſtudentes quidem tanquam ſemper victuri, non viventes autem, tanquam ſemper eſſent morituri. Utinam tandem dum maturè ſapiendum eſt, ſapiant. *Vita hæc miſera eſt*, ait D. Auguſtinus, *mors incerta, ſi ſubitò obrepat quomodo hinc exibimus?* & ubi flebimus quæ hîc flere negleximus? annon hujus in lacrymando negligentiæ luenda nobis erunt ſupplicia? *Quid cunctamur igitur conferre nos totos ad quærendum Deum & vitam beatam*, cum eodem Divo Auguſtino, cui *diſplicebat quid-quid agebat in ſæculo, præ dulcedine Dei, & decore domûs ejus quam dilexit.* Pereunt in mundo omnia ut fumus, in nihilum vaneſcunt omnia, reprobantur in ſapientia ſua mundi ſapientes; Væ qui æterna non diligunt, & cæleſtem lucrari negligunt margaritam, ac magìs docti eſſe ſatagunt, quàm devoti, plùs nutrire ſtudent typhum inflantem, quàm charitatem ædificantem. *S. Auguſtinus.*

In vaticinijs Iſaiæ de Chriſto ſcribitur: *Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum & eligere bonum.* Quem textum Rabbini ſic explicant: Chriſtus erit valde ſapiens atq; intelligens, quem in finem comedet mel & butyrum, quæ ſolent homines facere valde acutos & intelligentes. Hanc Rabbinorum ſententiam Joannes Huartus Medicus multis argumentis phyſicis conatur adſtruere. Comedunt multi hodierno tempore butyrum & mel, devorant multos ſtudiorum labores, *ut ſciant* de multis rebus diſcurrere, ſapientiam ſuam jactare, & vanam hominum æſtimationem aucupari, non *ut ſciant* reprobare malum & eligere bonum. Quod eſt illud bonum homini eligendum? *Indicabo tibi ô homo*, inquit Michæas, *quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: utiq; facere Judicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo.* Hoc fac ô homo & vives; fac inquam, hoc eſt *Iſaia 7.* *Michæa. 6.*

 non

non tantùm ſcias ſpeculativè hoc bonum, ſed etiam practicè. Ambula cum Deo tuo, de virtute potiùs quàm de ſcientia ſolicitus; Deum meditare, Deum cole ac venerare, Deum indeſinenter ora, maximè ſi
Eccle: hier: Religioſum te profiteris. *Religioſi* enim *eſt unum ipſum ambire, & ad*
cap: 6. *ſacram monadem cogi* ut ſcribit S. Dionyſius. Nil prodeſt turbari erga plurima, hoc unum nobis eſt neceſſarium, quod per meditationem & orationem potiſſimùm obtinemus. Climacus Monachum ſive Religi-
cap. 1. oſum ità deſcribit: *Monachus eſt qui ſemper habet ſpiritum elevatum in Deum, & orat in omni loco, tempore, & negotio.* * *Languida & infirma eſt Religio*, teſte S. Bonaventura, *quæ non multùm habet orationis*, ſtudio autem ſcientiæ valde impeditur atq; tepeſcit orationis ſtudium. Ora igitur, & ſtrenuè in pietatis ſtudio labora, nec ſinè boni operis fructu tempus pretioſum elabi permitte, damno irreparabili, & per totam æternitatem deplorando.

Immenſum tibi larga favent modò ſidera tempus,
Tempus erit, nullum cùm tibi tempus erit.

VI. At objiciet hic quiſpiam literatorum fautor, hæc omnia poſſe à doctis commodè impleri, utì etiam illud Lucæ 8. *oportet ſemper orare &*
1. Theſal: *non deficere.* Item illud Pauli: *ſinè intermiſſione orate*, & ſufficientes
5. ab illis meritorum acervos cumulari, eſto literis & eruditioni potiſſimum diei tempus ſoleant dedicare. Nam ùt bene ait S. Auguſtinus, ſuper illa pſalmographi verba: *totâ die laudem tuam. Vis optimum*, inquit, *quoddam Deum totâ die laudandi medium: en quidquid egeris bene age, & laudâſti Deum totâ die.* Divus Hieronymus etiam quærens, quomodo ſol & luna Deum laudent, ait: *in eo quòd à ſuo officio & ſervitio non recedunt, ſervitium ipſorum laus Dei eſt.* Scriptum eſt etiam ab
Eccli: 35. Eccleſiaſtico, *qui conſervat legem, multiplicat orationem*, vel ut vulgata habet, *oblationem. Sacrificium ſalutare eſt attendere mandatis, & diſcedere ab omni iniquitate.* Deniq; juxta Divum Hieronymum, qui in Epiſtola ad Lætam jubet, ut orationi lectio, lectioni ſuccedat oratio; & Euſtochium hortatur, ut tenenti codicem ſomnus obrepat, & caden-
ad Euſtoch: tem faciem pagina ſuſcipiat, *Sanctis etiam ipſe ſomnus eſt oratio.*

Epiſt: 22. Sed eſto ſe omnia ſic habeant, quotuſquiſq; tamen hoc ſæculo eſt literarum ſtudio impenſiùs vacans, qui quidquid agit bene agat, officio ſuo ac ſervitio ad quod creatus eſt ritè fungatur, ac divinis ut tenetur ſedulò intendat mandatis? neq; talis eſſe poteſt, niſi frequentiſſimè inten-
tionem

Digitized by Google

tionem ſuam ad Deum renovet, quidquid agit virtuali ſaltem charitate in Deum referat, nulli rei totus vacet, & ut plus dicam æmuletur chariſmata meliora. At quis ſcientiarum ſtudio ſemel captus, atq; quodammodo abſorptus, hæc facilè potuit, aut ſi potuit fecit? quantò ampliùs in labore literario docti profecerunt, tantò plus inveſtigare inardeſcunt, & ſcientiarum profunditates fruſtraneè ac inaniter ſcrutando deficiunt ſcrutantes ſcrutinio. Hic illis ſolus labor, his ſtudijs omne tempus devovent, negligentes ſtudia pietatis, devotionis cultum, fervorem charitatis, coacervationem meritorum, in ſecutura vitæ momentaneæ tempora, quæ inaniter ſperant differentes. *Qui obſervat ventum, non ſeminat*, inquit Eccleſiaſtes. Non ſeminant juſtitiam, qui ventum ſcientiæ obſervant & ſectantur; ventum ſeminant, & turbinem metunt. In ſola vanitate ſenſûs ſui proficiunt, & ſcientiæ vinculis adeo tandem irretiuntur, ut cor ſuum extricare, Deóq; vendicare non poſſint; Iterantes verba lenta & ſomnolenta: *modò*, & *ecce modò*, *ſinè paululùm*, ac dicentes: *cras cras*; & ſic Deum vocantem eludunt, faciúntq; ut *futurum* illud ſemper ſit futurum, *modò* & *modò* non habeant modum, & *ſinè paululùm* in longum eat, dúmq; hæc conſilia in anima ſua ponunt: poſt tot dierum & annorum ſpatia Deo ſoli vacabo, meritorum tantummodo lucra ſectabor, cæteris omnibus ad ſalutem meam quoquo modo non ſpectantibus, vel ab ea me remorantibus vale nuntiabo, vanè de futuris diſponunt temporibus, *quæ ſolus Pater æternus in ſua poſuit poteſtate.* Cùm enim hæc omnia cogitaverint, *una nonnunquam febricula venit*, ut cum D. Hieronymo loquar, *& tollit omnes cogitationes.* O *curas hominum? ô quantum eſt in rebus inane! una cogitatio felix eſt cogitare de Domino. * Vanè occuparis ô cor ſapiens & omni prærogativâ excellens in his, quæ vanitates vanitatum ſunt.*

Eccle: 11.

S. Bernar: de inter: domo cap: 26.

Cur ſequeris ventum, quaſi ſint tibi ſæcula centum? totum eſt vanitas, totum ſtultitia, totum dementia, quidquid cogitas, quidquid facis in hoc mundo, præter id, quod in Deum, & propter Deum, & ad honorem Dei facis.

Idē ſerm: de miſeria humana.

VII. Si menſura gloriæ cæleſtis, ſcientiæ in vita comparatæ proportionaretur, quantóq; intellectus eruditior in mundo eſſet, tantò in cælis poſtea fulgeret glorioſior, operæ pretium cenſerem, uni ſcientiæ ſtudio, toto vitæ tempore operam dare. At nunc ſola meritorum ratio habetur; quantóq; quis bonis operibus eſt locupletior, tantò & ditior eſt

Digitized by Google

beatitudine, quæ in fruendo intelligendóq; perfectè Deo conſiſtit, & tantò perfectior in vera ſapientia & cæleſti Theologia. Ibi contemptibilia hujus mundi exaltabuntur, ibi ſimplicibus ſuis arcana ſua largè patefaciet, qui docet hominem ſcientiam, quem ut ait D. Gregorius, *ſemel inſpexiſſe, eſt omnia didiciſſe.* Multos ibi ſublimis Theologiæ Magiſtros & Doctores ſuperabunt elingues Idiotæ, rudéſq; vetulæ, quæ licet non habuerint ſapientiam hominum, ſcientiam tamen Sanctorum noverunt, ſi eos vel unico meritorum gradu in vita præceſſerint; nec enim ullam doctrinæ hîc adeptæ habendam fore rationem cenſeo, quæ omnis abſorbetur in comparatione cæleſtis illius; Et illi qui è duobus intellectibus pari lumine gloriæ illuſtratis, naturaliter perfectiorem perfectiùs divina viſurum affirmant, perinde mihi ratiocinari videntur, ac ſi guttâ unâ tumefacere vellent Oceanum, in cujus comparatione gutta penè nihil eſt, vel atomo gravare univerſum. Ego enim ſcientiam noſtram, quam in hoc tenebroſo carcere vitæ totius ſpatio conquirimus, aut veriùs conquirere videmur, nihil penitus eſſe puto, non illi ſolummodo comparatam ſcientiæ, quam vel puncto temporis haurit intellectus lumine gloriæ inſtructus, ſed etiam illi quam anima nudè ſeparata de rebus concipit.

Anno 1211. n. 12. Narrat ex Trithemio Bzovius hiſtoriam mirabilem, de Ruſtico quodam Adalberto nomine, qui cùm jam eſſet ſepeliendus, & totâ nocte mortuus jacuiſſet, coram omnibus ſubitò reſedit, ac tandem coram paſtore ſuo, & Monaſterij cujuſdam Abbate, nec non Priore ſequentia narravit; Cùm graviſſimâ inquit infirmitate urgerer ad mortem, & obtenebratis omnibus ſenſibus meis ſic jacerem, videbatur mihi quaſi terræ motus fieret maximus, in quo cælo & terrâ concuſſis fortiter, ſubitò anima mea extra corpus facta, quaſi ex tenebris ad lucem, neſcio quomodo omnem mundũ ſimul & ſemel videre quàm liquidiſſimè potuerit. Anima mea tunc quidem extra corpus poſita, tam lucida fuit, ut omnia quæ in mundo ſunt, Provincias omnes, civitates, caſtra, villas, gentes, homines, regna, terras, montes, colles & aquas ſive maria, ipſum ſitum totius univerſi tam clarè perſpiceret, omniáq; propriè & diſtinctè ſimul & ſemel intelligeret, ut nihil unquam in hoc mundo tam bene me intellexiſſe viderer. Et mirabile eſt ſuper omnia quod dicturus ſum; cùm enim ſcirem me nec corpus habere, nec oculos, & tamen omnia videre, quæ ſunt in toto mundo, non poſſum jam ſatis admirari ignorantiam meam,

meam, quâ non ampliùs intelligo quæ tunc intellexi, ſed ſum quaſi poſt lucem magnam in denſiſſimas ignorantiæ tenebras projectus. Vides ex hac hiſtoria, ſcientiam animæ ſeparatæ luci magnæ, ſcientiam verò animæ mortale hoc corpus inhabitantis tenebris denſiſſimis comparari. Lege ſimiliter apud Cæſarium hiſtoriam de quodam â mortuis reduce, qui aſſerebat animam ſuam â corpore ſeparatam, fuiſſe tanquam vas vitreum & ſphæricum, oculatam retro & antè, plurimùm habuiſſe ſcientiæ, vidiſſe univerſa. Simile quid habet idem author lib: 4. c. 39. Si igitur tanta ſerenitas & perſpicacitas eſt animæ corporeis tantùm ſolutæ vinculis, nullo ſupernaturali dono inſtructæ, qualem eſſe credemus illius animæ ſapientiam, quæ divini ſubſidio luminis adjuta & elevata videntẽ omnia videt? At cùm lumen illud ſolis proportionetur meritis & charitati, beati qui magìs voluntatem his divitem, quàm intellectum ſcientiâ inſtructum attulerint. Quòd ſi allegetur Doctorum Aureola; dico illam non in majori lumine gloriæ, & exactiori rerum viſione atq; intelligentia conſiſtere, in quocunq; demum alio conſiſtat. Si ergo in beata æternitate confuſioni locus eſſet non ſanè mediocriter docti confunderentur, in cæleſti Theologia cedere rudibus multarum vetularum animabus, quas vix ad Deum videndum & intelligendum proportionari poſſe credebant; & minùs ibi ſcire indoctiſſimis quondam idiotis, tunc doctrinâ præfulgentibus. Sed contenti hac ſorte eſſe poſſunt, modò pejora fata evaſerint, quæ multis ipſorum impendent.

lib: 1. c. 32.

VIII.

Libet in horum confirmationem adijcere, quod in Chronicis Minorum legitur, de Ægidio viro ſancto & humili. Hic quâdam die, cum Sancto Bonaventura Generali Ordinis Miniſtro ità fertur collocutus fuiſſe: *multas vobis Doctoribus DEUS gratias conceſſit, quibus eum laudare, eiq; ſervire poteſtis; nos verò Idiotæ & indocti, qui nihil literarum novimus, quid quæſo faciemus ad ei placendum?* Cui D. Bonaventura: *etſi aliam DEUS homini gratiam non daret, quàm ut is ipſum amare poſſet, hæc unica profectò ſatìs eſſet, ad majora illi, pro hac, quàm pro aliis omnibus ſimul obſequia deferenda.* Tum petenti Ægidio: *poteſtne Idiota tanto erga JESUM Chriſtum amore ferri, quanto aliquis eruditus?* * *Una* inquit S. Bonaventura, *ſimplex vetula plùs Deum amare poteſt, quàm profundus aliquis in Theologia Magiſter.* Quare Ægidius propere exurgens, magno fervore hortum ingreditur, & ad eam partem quæ urbem reſpiciebat corpore & voce converſâ clamabat: *vetula*

1. p. l. 7. c. 14.

Digitized by Google

tula paupercula, indocta, ſimplex, Dominum noſtrum JESUM Chriſtum ama, & major eſſe poteris, quàm frater Bonaventura. Et his dictis more ſuo extra ſe raptus, alienatis ſenſibus, tribus continenter horis in eodem loco immobilis permanſit.

Rapiantur hîc & obſtupeſcant Doctores & literati, ſurgere quamplurimos indoctos, & Cælum ipſis præripere, ſempérq; meminerint non pro ſcientiæ ſublimitate, ſed pro meritorum, & charitatis præſertim divinæ pretio, gloriam â Deo vendi mortalibus. Novit ergo charitas ſinè ſcientia ad commodum ſuum proficere; at quid ſcientia ſinè charita-
1. Cor: 13. te? *ſi linguis*, inquit S. Paulus, *hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.*

IX. Æmulemur ergo chariſmata meliora, ſtudeamus potiùs meritis & charitati dum poſſumus, inſtanter operemur bonum, neq; ſinamus inaniter perire lucroſum tempus. Et vos æra ſonantia, ac cymbala tinnientia, D. Bernardum meliùs ſonantem audite: *quidquid ſe conſiderationi offerat, quod non quoquo modo ad ſalutem hominis pertineat, reſpuendum.* Audite quoq; â D. Hieronymo, unam felicem cogitationem eſſe *cogitare de Domino.* Tandem ſi vos ſcientiæ adhuc deſiderium
Serm: 13. de verbis Domini. tenet, illud Divi Auguſtini monitum animis veſtris imprimite: *amate ſcientiam, ſed anteponite charitatem*, útq; idem Sanctus Doctor ſuo monet verbo & exemplo: quidquid ſinè nomine Chriſti ſe vobis obtulerit, quamvis literatum, & expolitum, & veridicum, non totos vos rapiat.

Quòd breve ſit tempus, toties ſacra pagina clamat,
Nóſq; piis ſtudiis invigilare monet.
Si breve ſit tempus, ſtulti ſunt ergo vocandi,
Qui vanis ſtudiis id breviare ſtudent.
Si tibi fauſta ſapis, minimi cave temporis hora
Effugiat meriti ne ſinè fruge tibi.
Semper devoto potiùs inſiſte labori,
Spirituíq; tuo commodiora ſape.

Chronoſtichon anni 1676. Audiamus hîc tandem Apoſtolum nobis chronoſticè inclamantem:
CaVtè aMbVLetIs, non qVasI InsIpIentes, ſeD Vt ſapIentes,
Ephes: 5. 16. *Redimentes tempus quoniam dies mali ſunt.*

CAPUT

CAPUT XX.

Docti plerumq; mali & vitijs ſubjecti.

Excuſant excuſationes in peccatis, quæ ipſis tamen longè graviùs quàm aliis imputantur.

SI cupiditatem ſcientiæ Ducem exercitûs vitiorum pronuntiavero, nihil â veritate, nihil â SS. Patrum ſententiis protulero alienum.Ità enim Damianus habet Epiſtolâ 105. in illud, *eritis ſicut Dij ſcientes*: * *Qui vitiorum omnium catervas moliebatur inducere, cupiditatem ſcientiæ quaſi Ducem exercitûs poſuit, ſicq; poſtea infelici mundo cunctas iniquitatum turmas invexit.* Fecit hoc ſerpens ille tortuoſus, qui cùm eſſet *callidior cunctis animantibus*, fuit etiam pejor. Si ſola ſcientiæ cupiditas Dux eſt exercitûs vitiorum, quæ non illorùm agmina ſcientiam comitabuntur? In multa ſapientia multam eſſe indignationem Divus ſic interpretatur Hieronymus, quòd quantò magìs quis ſapientiam fuerit conſecutus, tantò plus indignetur, quòd ſubjaceat vitijs, & procul ſit â virtutibus quas requirit, cùm inſuper ſciat, cui plus traditur, plus exigendum ab eo. I. Gen: 3.

Scio Demadem pronuntiare ſolitum, doctos ab indoctis tantùm differre, quantùm DEOS ab hominibus. Ariſtippum verò dixiſſe, quantũ equos domitos ab indomitis. Verùm ùt cum venia ipſorũ dicã, plerumq; ſecus accidit, & qui alios continere & frænare debuerant, ipſi per abrupta vitiorum paſſionibus ſuis acti omnium licentiſſimè proruunt, & ſe vel maximè homines, quin potiùs equos indomitos eſſe demonſtrant.

Plato libro de Republica, paſſionibus iracundiæ doctos ùt plurimùm docet eſſe ſubjectos: *Admodum difficile eſt*, inquit, *reperire hominem ingenioſum ſimul, & præ cæteris manſuetum; nam acuti ſagacéſq;, memorioſi àc dociles, ùt plurimùm in iracundiam impetúſq; præcipites ſunt, proruunt enim atq; raptantur, quemadmodum ſinè retinaculis navis.* Hæc divinus Plato. Audi quoq; Senecam loquentem: *liberalium*, inquit, *artium conſectatio, moleſtos, verboſos, intempeſtivos,* Epiſt: 89.

vos, ſibiq́ʒ placentes facit, & ideo non diſcentes neceſſaria, quia ſupervacua didicerunt. Et alibi: *erubeſcimus diſcere bonam mentem.* Notum eſt illud Catonis de græcis profeſſoribus: *quandocunq́ʒ gens iſta ſuas literas dabit, omnia corrumpet.*

Epiſt: 51.

II. Videamus modicè quales fuerint veteres Philoſophi, & an virtutem quam plenis buccis ubiq; crepabant, opere fuerint ſectati. Scribit Laertius Pythagoram fuiſſe ſeditioſum & Tyrannidis cupidum. Magicas illùm artes didiciſſe teſtatur Plinius, utì & Empedoclem atq; Democritum. Socratis ſapientia quantùm laudatur? Ille tamen, ſi Ariſtophani credimus, docuit malam cauſam dicendo bonam facere. Eundem Porphyrius ſcribit libidinoſum fuiſſe, furentiſſimè iraſci ſolitum, parenti gravem, omnibus vitijs turpiſſimum. Scimus Ariſtotelem in libidines fuiſſe pronum, & Hermiæ Concubinæ quaſi Eleuſinæ Cereri præ amoris impotentia ſacrificâſſe. Plato ille divinus fœdæ libidinis mancipium ab aliquibus appellatur, iræ præterea dicitur fuiſſe obnoxius & ſcurrili dicacitati; Conviciator, maledicus, vanus, gloriæ avidus, & Magiſter Tyrannorum; quorum multi ex philoſophorum ſcholis prodiverunt, quos etiam cæteris crudeliùs imperâſſe docet Rhodiginus. *Quotquot*, inquit, *ex Philoſophorum progreſſi ſcholis Tyrannides arripuêre, crudeliùs, avariùs, immaniùsq́ʒ eas exercuiſſe comperiuntur, quàm ignari prorſus literarum.* Quamvis aliqui ex SS. Patribus conentur Platonem ab his calumnijs vindicare, dum ejus non tantùm ſapientiam ſed & vitam commendant. Ità S. Thomas vocat Platonem ſapientiſſimum, & docet illum amore veritatis contemplandæ abſtinuiſſe ab omni delectatione venerea. Scribit etiam Nicetas vetus Gregorij Nazianzeni ſcholiaſtes, Platonem cuidam Chriſtiano, à quo maledictis fuerat impetitus, noctu apparuiſſe, eiq; dixiſſe, ſe cum antiquis Patribus è Limbo fuiſſe ereptum, & in cælos traductum. Quæ hiſtoria ſi vera eſt, rarum in tanta Philoſophorum turba continet exemplum.

Quid hîc dicam de Diogene Cynico, & aliis Epicureis? quorum hîc referre turpitudines vetat honeſtas. Ipſe Seneca, Romanus ille ſapiens, profeſſione ſtoicus, qui cæteros quoſcunq; Philoſophos loquendi ſanctitate antecellit, cujus etiã ſententiæ huic noſtro Tractatui frequenter ſunt inſertæ, de quibuſdam criminibus apud Tacitum & Dionem accuſatur. Hos tamen ſapientiæ profeſſores adorat vetuſtas. Vide jam qualia ova mali corvi excluſerint.

Audi-

Digitized by Google

Audiamus hîc Ludovicum Vives, qui de ſæculi ſui Philoſophis, & veteribus illis, non multùm diſparatè loquitur. *Inviſi fuerunt*, inquit, *Athenis & Romæ Philoſophi, & ipſa adeò Philoſophia, etiam tum cùm maximè in illa civitate ſtudium illud floreret. Indignabantur enim eos quos rerum & ſapientiæ cognitio meliores debuiſſet facere, pejores eſſe hominibus omnino imperitis. Et erat quodcunque vitium in illis notabilius, qui formationem morum & ſcientiam omnium virtutum promitterent. Itaque Athenis & Romæ quiſquis vituperare voluit vel Philoſophos vel ipſam Philoſophiam, ſecundo admodum populo uſus eſſet. Neque nunc verò repugnantem haberet multitudinem: quanquam populus noſter multò ſe habeat, quàm ille priſcus, moderatiùs. Nam quanquam hujus ætatis philoſophi, & utilitatis minùs adferant, ſive ad loquendum ſive ad ſentiendum, quàm illi Athenis aut Romæ, nec probitate aut compoſitione morum antecellant, tamen populus ſervat adhuc non parum venerationis iis, qui artes profitentur, etſi nullam præſtent. Neſcio an ea ſit cauſa, quod Athenienſis & Romanus populus, quæ â Philoſophis dicerentur, intelligebat, ideo facilius poterat de illorum ingenio ac eruditione judicare; noſter non intelligit, ideo nec judicat, ſed admiratur.* *de cauſis corrupt: art: lib: 1.*

III. Utinam hæc ſæculo noſtro minimè conveniant, & nunquam â ſcholis ſapientiæ virtus exulet. Derivatur nomen ſcholaris â quibuſdam ex græco, â *ſchola*, id eſt vacatio; & *aris*, id eſt virtus, ut idem videatur ſignificare quod virtutibus vacans. Infrequens tamen eſt in hoc mortaliũ genere virtutis ſtudiũ, imò illud pſalmi eis quàm optimè quadrare videtur: CorrVptI sVnt & aboMInabILes *facti ſunt in* ſtVDIIs sVIs. *Chroneſtichon anni 1676. ex Pſal: 13.*

Divus Bernardus poſtquam de cordis cuſtodia, & paſſionum regimine diſcurriſſet, ac rabiem leoninam puniendam eſſe docuiſſet per patientiam, ferocitatem apri per manſuetudinem, ſuperbiam unicornis per humilitatem, ait: *non invenitur autem inter cæteras artes liberales ars iſta præ aliis liberalis.* Præclarus quidam Concionator illud apocalypſis: *Qui habet ſapientiam*, &c. *Reges quinque ceciderunt*, in morali ſenſu, ſatis quidem torto ſic interpretatur: In illo qui eſt ſapiens, quinq; ſenſus, qui ſunt tanquam quinq; Reges, non habent imperium, ſed coguntur ſervire rationi. Quod quidem ego de illo conceſſerim qui verè ſapiens eſt. Plurimi verò dantur *pſeudoſapientes* in quibus hi quinq; Reges deſpoticè ſatis regnant, & plures alij ſuum tenent imperiũ, in quibus, & ſuper quos, tot ſunt Domini quot paſſiones. *de inter: domo c. 25. Apocal: 17.*

Digitized by Google

Cicero etiam Doctorum hac in parte patronus, poſtquam Philoſophiam parentem eſſe vitæ, & Magiſtram veritatis alicubi docuiſſet, graviter queritur, extitiſſe aliquos illius vituperatores: *quiſnam*, inquit, *vituperare vitæ parentem, & hoc parricidio ſe inquinare audeat, & tam impiè ingratus eſſe?* cui in hæc verba Lactantius reſpondet: *Nos ergo M. Tulli parricidæ ſumus, & inſuendi te Judice in culeum, qui Philoſophiam negamus parentem eſſe vitæ; Magiſtram tu virtutis, aut parentem vitæ voces, ad quam ſi quis acceſſerit, multò ſit incertior neceſſe eſt, quàm priùs fuerit? cujus virtutis? quæ ipſa ubi ſita eſt adhuc Philoſophi non expediunt; cujus vitæ? cùm ipſi Doctores ante fuerint ſenectute ac morte confecti, quàm conſtituerint, quomodo vivi deceat. Quid te Magiſtra illa vitæ docuit; an ut potentiſſimum Cònſulem maledictis inceſſeres, eúmq; hoſtem Patriæ venenatis orationibus faceres?* falsè ſatis, verè tamen; & alio capite ejuſdem libri ſic, ait: *quòd ſi Philoſophia vitam poſſet inſtruere, nulli alij niſi Philoſophi eſſent boni, & qui eam non didiciſſent, eſſent omnes ſemper mali, cùm innumerabiles exiſtant, & ſemper extiterint, qui ſint aut fuerint ſinè ulla doctrina boni; ex Philoſophis autem perraro fuerit, qui aliquid in vita fecerit laude dignum. Quis eſt tandem qui non videat eos homines virtutis quâ ipſi egent, non eſſe Doctores? nam ſi quis mores eorum diligenter inquirat, inveniet iracundos, cupidos, libidinoſos, arrogantes, protervos, & ſub obtentu ſcientiæ ſuæ vitia celantes, domi facientes ea, quæ in ſcholis arguiſſent. Fortaſſe mentior accuſandi gratiâ, nonne idipſum Tullius & fatetur & queritur? quotuſquiſq; inquit Philoſophorum invenitur, qui ſit ità moratus, ità animo & vita conſtitutus ut ratio poſtulat? qui diſciplinam ſuam non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putet? qui obtemperet ipſe ſibi, & decretis pareat ſuis? videre autem liceat alios tantâ levitate & jactatione, ut his fuerit non didiciſſe meliùs; alios pecuniæ cupidos, alios gloriæ, multos libidinum ſervos, ut cum eorum vita & vitiis mirabiliter pugnet oratio. Nepóſq; Cornelius ad eundem Ciceronem ità ſcribit: tantum abeſt, ut ego Magiſtram eſſe putem vitæ Philoſophiam, beatæq; vitæ perfectricem, ut nullis magìs exiſtimem opus eſſe Magiſtris vivendi, quàm pleriſq;, qui in ea diſputando verſantur. Video enim magnam partem eorum qui in ſchola de pudore & continentia præcipiunt argutiſſimè, eoſdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere. Item Seneca in exhortationibus: pleriq; inquit Philoſophorum ſunt diſerti in convitium*

Lactant: de falſa ſap: c. 14.

c. 25.

vitium ſuum, quos ſi audias in avaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, judicium ſui putes profeſſos; ideo redundant ad ipſos maledicta in publicum miſſa, quos nos non aliter intueri decet, quàm medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides venena. Quoſdam verò nec pudor vitiorum tenet, ſed patrocinia turpitudini ſuæ fingunt, ut etiam honeſtè peccare videantur. Hæc Lactantius.

Eſt hoc quod poſtremo memoratur perniciosiſſimum in viris ſcientiâ pollentibus malum, quòd eâ frequenter abutantur, ad patrocinia turpitudini ſuæ fingenda, ad excuſandas excuſationes in peccatis; illa extenuent, & mille diſtinctionum velis pallient, ac cum periculo ſalutis blandiantur conſcientiæ, inutiliáq; ſibi texant perizomata foliorum, nè vulnera ſua videant. At DEUS qui illa videt, cujus Judicio judicia illorum non præjudicant, in confuſionem ipſorum palam ea faciet aliquando, & hos malè ſapientes deprehendet in aſtutia ſua, juſtitias etiam illorum judicaturus, cum Jeruſalem ſcrutabitur in lucernis. IV.

Quid ſuperbis ô homo, qui te ſciolum jactas? inquit Divus Bernardus, *vide quoniam beſtia factus es, cui venandæ laquei præparantur. Sed qui ſunt venatores iſti? venatores utiq; peſſimi, & nequiſſimi, & callidiſſimi venatores, qui cornu non ſonant ut non audiantur, ſed ſagittant in occultis immaculatum.* Venatores iſti qui cornu non ſonant, ſunt vitiorum dæmones, quorum inſidiis docti præſertim ſunt expoſiti, qui rarò ſe literatis cornu ſuo produnt, quin potiùs illos ſub ſpecie virtutis fallunt, & dum inſuper ſub inutilium perizomatum umbra ab illis occultantur, ſubitò in occultis ſagittant incautos, & laqueo æternæ mortis implectunt. Rarò literati D. Bernardum monentem audiunt: *puta tibi non licere, etſi aliis fortaſſe liceat quidquid malè fuerit coloratum; interroga Majores tuos, & dicent tibi: ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Et D. Auguſtinum ſuadentem: *nolite diligere vias latas, quæ ducunt ad perditionem.* Quin potiùs actiones ſuas mille inanium excuſationum fucis colorant, & vias ſuas dilatant, cùm tamen anguſtiſſimo incedant tramite, in gehennam niſi præcaveant, ocyùs deturbandi.

S. Benard: Serm: 3. in qui habitat.

1. Theſal: 5.

Accedit illorum damnationi, quòd peccata eorum, quæ ipſi rarò magni pendunt, apud ſeveri Tribunal Judicis ſemper graviora, quàm cæterorum judicentur, ac diſtrictiùs puniantur. Veriſſima eſt illa Salvatoris ſententia: *Servus qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non fecit ſecundùm voluntatem ejus, vapulabit multis.* Cognoſcunt docti V.

Luca. 12.

quàm optimè Domini Dei ſui ſeverè præcipientis voluntatem; optimè motiva penetrant, quæ eos ad bonum inducere, ac â malo avertere deberent; ſciunt præmij cæleſtis excellentiam, & ſupplicia reprobis in Inferno præparata; noverunt diſtrictum Dei judicium, apud quod argumenta ipſorum nihil proderunt, nec quicquam valebunt excuſationes in peccatis. Horum omnium notitiâ plus cæteris inſtructi ſi nondum Domini faciunt voluntatem, annon meritò multis vapulabunt? *Ad majoris culpæ cumulum pertinet*, inquit Iſidorus, *ſcire quenquam quid ſequi debeat, ſequi nolle quod ſciat.* Tales fuerunt illi, de quibus ſcribit Paulus Apoſtolus, qui *cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.*

Rom: 1.

Auget quoq; illorum obligationem, beneficiorum ac talentorum â Deo collatorum major copia, ob quam eidem ſe gratos exhibere plus quàm cæteri obſtringuntur. Hinc juſtè contra illos divina bonitas conqueritur in revelationibus S. Brigittæ ità loquens: *magis peccant contra me, qui nunc dicuntur ſapientes. Ego enim dedi eis ſenſum, & intellectum, & ſapientiam ut me diligerent; ſed ipſi nihil niſi ad ſuam utilitatem temporalem intelligunt. Oculos habent in occipite, videntes ſunt ad ſua delectabilia, ſed cæci ſunt ad gratias agendas mihi, qui dedi eis omnia.* Creſcit etiam criminum ab illis commiſſorum enormitas ex periculo ſcandali, quod ex lapſibus vel malefactis ipſorum puſilli plerumq; concipiunt; accedit quòd ſæpenumero delinquentes corrigere, indoctos inſtruere, ipſis incumbat, & ſic plerumq; culparum alienarum participes reddantur, præſertim dum quod ore prædicant, malo vitæ exemplo retractant. S. Franciſcus Xaverius, Doctorum, maximè illorum qui verſantur in Academiis conſiderans pravitatem, in Epiſtola quadam ad ſuos in Europa commorantes ità ſcribit: *mihi perſæpe venit in mentem, circùm Europæ Academias, ac præcipuè Pariſienſium curſare, ac inſani ritu paſſim vociferari, eóſq; qui doctrina plus habent quàm charitatis, his compellare verbis: heu! quàm ingens animarum numerus, veſtro vitio excluſus cœlo, deturbatur ad inferos.*

Revelat: lib:1, cap: 19.

Legimus Chriſtum in Revelationibus S. Brigittæ de docto quodam Prælato ſequentia protuliſſe: *Ille Prælatus pro quo tu oras, jam avertit oculos ſuos à me, & vertit ſe ad mundum cum ornatu dignitatis ſuæ; ſi enim*

Ex Revel: S. Brigit: lib:6. c. 15.

Digitized by Google

ſi enim vellet eſſe meus, reſpiceret me quotidie, legeret librum meum attentiùs, & non ſic ſolicitè cogitaret in lege, quæ dicitur Eccleſiæ. Cui illa reſpondit: *Nunquid non Domine mi eſt lex tua lex Eccleſiæ*: & Dominus reſpondit: *lex mea erat quamdiu mei legerunt eam, & propter me legebatur. Nunc autem non eſt mea, quia legitur jam in domo taxillatorum, qui tres punctos ſuper unum taxillum jaciunt, quia pro modica juſtitia quam in lege Eccleſiæ inveniunt, magnam ſummam pecuniæ acquirunt. Nec legitur jam pro honore meo, ſed ad finem illum quomodo pecunia acquiratur. In domo autem ludentium ad taxillos ſunt meretrices, ſunt potatores vini. Tales nunc legunt legem meam, tales nunc nominantur ſcientes, ſed verè ſunt inſipientes. Quid enim facere ſolet meretrix; utiq; ſolet eſſe procax in verbis, levis in moribus, pulchra facie, ornata veſtibus. Tales ſunt jam qui legunt & addiſcunt legem meam. Scurrilitas eſt in verbis eorum, nunquam aperitur os eorum ad prædicationem meam, nunquam ad laudem meam. Leves ſunt in moribus, ità quod etiam ſæculares erubeſcunt de moribus eorum, nec ſolùm ſe ipſos præcipitant, imò ſecum alios exemplo ſuo trahunt. Ipſi nihil affectant niſi videri à mundo, & laudari; honeſti & honorati incedere veſtibus ſuis, divitias & honores acquirere; verba mea & præcepta mea ſunt eis amara, vita mea & via eſt eis abominabilis. Verè converſatio eorum & vita ſic fætet in conſpectu meo ſicut meretrix. Quia ſicut præ aliis mulieribus vilior & abjectior videtur meretrix, ſic ipſi præ aliis ſunt mihi odioſi; dicunt enim & gloriantur ſe ſcire legem, ſed ad aliorum deceptionem & ſuam voluptatem. In domo etiam mea ubi lex legitur, ſunt potatores vini & incontinentes, quorum gloria eſt præ aliis excedere, & naturam ad ſuperflua irritare: Tales nunc ſunt Magiſtri legis, qui gaudent ad ſuperflua, de exceſſibus ſuis modicùm verecundantur, de aliorum peccatis minimè contriſtantur. Verumtamen ſi bene legerent legem meam, invenirent ſe præ aliis ad bene vivendum obligatiores.*

Quantò igitur plus ſciunt docti, tantò graviùs ſe noverint judicandos, niſi ſanctiùs vixerint. *Omni cui multum datũ eſt multum quæretur ab eo*, inquit Salvator, *& cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.* Quantò pinguior arbor fuerit, niſi tanto largiores fructus dederit, excindetur, & in ignem mittetur. *Tribulatio & anguſtia*, inquit Paulus, *in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primùm* Lucæ. 12. Rom: 2.

Digitized by Google

mùm & Græci, *quia* ut exponit Divus Chryſoſtomus, *Judæi excellebant in cognitione Dei.* Divus Bernardus in Tractatu de præcepto & diſpenſat: poſtquam illud crucifixi pro crucifixoribus ſuis prolatum allegâſſet: *Pater ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt*, * *acſi diceret*, inquit, *eò digni veniâ, quò & puſilli ſcientiâ ſunt.* Quod adeo verum eſt, ut Theologi paſſim aſſerant, ignorantiam omnem, etiam quantumcunq; culpabilem, gravitatem peccatorum imminuere. Notum eſt illud Pau-

1. Tim: 1. li Apoſtoli: *miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci.* Vides ergo doctos ad majora longè obligatos, & tantò pluribus vapulaturos plagis, ſi voluntatem Domini ſui non fecerint, quantò eam meliùs perfectiúſq; cognoſcunt.

Narratur de Azone Juris conſulto, quòd vice quadam cum alio quodam Juris perito diſputans, adeo fuerit contra Æmulum ſuum irâ exacerbatus, ut arrepto cultro lethale ipſi vulnus inflixerit. Quamobrem comprehenſus, & audiens contra omnem ſuam ſpem atq; opinionem, latam contra ſe mortis ſententiam, ſummè territus ac perturbatus, excla-

l. 31. ff. de pœnis. mâſſe dicitur: *ad Beſtias, ad Beſtias.* Quod eſt legis cujuſdam principium, per quam viris doctis, tametſi aliquid morte dignum commiſerint, vita indulgeri videtur. Sed cùm Judices juris non eſſent adeo periti, Azonis citationem non intellexerunt, quinimò exiſtimârunt ſe ab illo *beſtias* appellari; quapropter irâ correpti, executionem ſententiæ in miſerum accelerari fecerunt. Quicquid ſit de vigore illius legis, meo tenui judicio non videntur docti præ cæteris ullâ veniâ digni, quinimò ſi crimen quodpiam perpetrant, duplicato ſupplicio plectendi, ad Beſtias & rotas condemnandi, ſcientiâ ipſorum & lingvâ teſtimonium contra ipſos ferente. Quanquam parum ſit pœnalia hujus ſæculi tormenta evaſiſſe. Graviora longè ſupplicia illis imminent in altero, ubi circa ipſos nulla erit perſonarum acceptio, rigida tamen ponderatio delictorum, & juxta menſuram ſcientiæ creſcet pœnarum magnitudo.

VI. Felicior eſt longè ſors ſimplicium, quibus licet in eadem cum do-

Luca 12. ctis peccata labantur, longè minor accidit damnatio. *Qui* enim *non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*; Quinimò ſæpius opera, quæ ſi â doctis fierent, iram Dei adverſùm ſe provocarent, ab indoctis & ſimplicibus commiſſa Deum nullatenus offendunt. Multi apud Cæſarium leguntur ſimplicium errores peccaminoſi aliàs, ſed ipſis minimè imputati. Nam ùt idem Author lib: 6. ſub finem Capitis noni ait:

ſim-

Digitized by Google

ſimplex, quandoq; mimo vel joculatori comparatur. Sicut illius verba vel opera, in eorum ore vel manibus, qui joculatores non ſunt, ſæpe diſplicent, & pœnâ digna ſunt apud homines, quæ tamen ab his dicta vel facta placent; Ità eſt de ſimplicibus, qui ut ſic dicam, joculatores Dei ſunt, ſanctorúmq; Angelorum, quorum opera, ſi hi qui ſimplices non ſunt, quandoq; facerent, haud dubium quin Deum offenderent, qui in eis, dum per ſimplices fiunt, delectatur.

Nota eſt fabula de Marſya tibicine, qui non eſt veritus ipſum Apollinem ad cantûs certamen provocare, ſed arrogantiæ ſuæ pœnas luit, nam victus ab illo & excoriatus eſt. Cogitabat Apollo fratrem quoq; illius Babym in fraternæ temeritatis ultionem occidere, ſed ignorantia & inſcitia cantûs eidem profuiſſe legitur, ut propterea illum Apollo liberum dimiſerit. Per Marſyam docti, per Babym ſimplices figurantur; Illi ob ſuperbiam & arrogantiam ſuæ doctrinæ meritas à Deo luunt pœnas, hos verò ſæpius excuſat humilis inſcitia. O igitur miſerandam Doctorum ſortem! quibus peccantibus non tam facilis datur venia, & longè durius quàm cæteris inſtat judicium, potentiora tormenta, fortior cruciatio. O ſimplicium magnam felicitatem! quorum peccata frequentiſſimè ante thronum diſtricti Judicis excuſationem inveniunt, & quorum humilis ignorantia Dei gratiam & miſericordiam ſibi conciliat. Sed ideo dilatavit Infernus tam ſpatioſè os ſuum, ideo tot animarum doctarum millibus Plutoni ſacrificatur, quia quæ dicta ſunt non eſt qui recogitet corde. O quot formidanda habent literati ſalutis ſuæ pericula, quàm anguſtam cæli portam expectandam, ut meliùs ſit ſcientiâ nondum maturâ mori, quàm doctum vivere.

Gratulatur D. Auguſtinus, Adeodatum puerum è vita raptum, priuſquam ſcientia mutaret intellectum ejus dum ſic ait: *Horrori mihi erat illud ingenium, & quis præter te talium miraculorum opifex? citò de terra abſtuliſti vitam ejus, & ſecurior eum recordor, non timens quidquam pueritiæ, nec omnino homini illi.* * *Quò igitur docti*, ut cum Divo eodem vos alloquar, *cum laboribus veſtris, quò ambitis pervenire? quid quæritis? cujus rei causâ laboratis? quid in ſtudio veſtro ſcientiarum non fragile plenúmq; periculis, & per quot pericula pervenitur ad grandius periculum?* Quod Ariſton de Dialectica, hoc ego de omni ſcientia veſtra pronuntio, luto viarum ſimilem eſſe, quod inutile eſt, tranſeuntéſq; commaculat & proſternit. Creditis hæc, ut opinor, creditis

VII. *Confeſſ: lib: 9. c. 6.*

omnia quæ fides docet, quin etiam exactiùs quàm ſit neceſſe, illa calletis. Cui igitur niſi ſtultitiæ veſtræ ſed nimiùm damnabili attribuam, quòd his omnibus probè perſpectis, nondum ſapitis, nondum ad leges divinas vitam inſtituitis, intellectum ſemper literis, nunquam voluntatem virtutibus adornatis, *ſemper diſcentes, & nunquam ad ſapidam ſcientiam pervenientes.*

S. Laurentius Juſtinianus ſcientiam virtutis expertem reprobat, & vanè ſapientibus exprobrat ità ſcribens: *Valet utiq; quæ inflat ſcientia alios inſtruere, & multa quæ ab indoctis ignorantur reſerare. Sed (perhibente Magiſtro cœleſti) quid prodeſt homini, ſi per elationem cordis univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Non nobis præcipitur ut propriâ ſalute neglectâ alios ſalvare docendo ſtudeamus, ſed proximum ſicut nos jubemur diligere. Priùs nos, deinde proximum amare debemus pariter & inſtruere. Nam his qui alios erudiunt, & ſe bene vivendo non corrigunt, audi quid Propheta loquatur: Peccatori (inquit) dixit Deus, quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam & projeciſti ſermones meos retrorſum, exiſtimâſti iniquè quòd ero tui ſimilis, arguam te & ſtatuam contra faciem tuam. Non damnat divinus ſermo ſcientiam, ſed ſcientem & docentem corripit, qui ſe contempto & inſcio cæteros erudire præſumit. Laudabilis eſt ſcientia & omnino neceſſaria ad ſervandam juſtitiam, ad componendum mores, ad erudiendos ignaros, ad corroborandam & dirigendam conſcientiam, de Dei dono proveniens, Deum inſinuans, rationem informans, illuminans intellectum, & de ſe ipſo ſe neſcienti notitiam præbens. Cæterùm quantò in ſe ipſa commendabilior eſt ſcientia, & neſcientibus utilior, tantò ea malè utentibus, illámq; perversè interpretantibus, & pravis moribus dehoneſtantibus, atq; per eandem non rectè agnoſcentibus, intelligitur eſſe pernicioſior: quoniam ipſius teſtimonio convincuntur, ipſiúsq; judicio rei efficiuntur. Judæis ſolâ ſcientiâ gloriantibus Apoſtolum Paulum audiamus quid dicat: Si tu Judæus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo, & nôſti voluntatem ejus, & probas utiliora, inſtructus per legem confidis te ipſum ducem eſſe cæcorum, lumen eorum qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, Magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ & veritatis in lege. Qui ergo alium doces, te ipſum non doces. Qui prædicas non furandum, furaris. Qui dicis non mœchandum, mœ-*

de humili: c. 5.

machaeris. Qui abominaris Idola, ſacrilegium facis. Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras.

Pulchrè Beſſæus, multa callentes & rerum ſalutis ſuæ vel ignaros vel incurios, comparat primò. VIII. *Con: Dom: 12. poſt pent: 2. Reg: 16.*

Aſchitopheli, qui omnes in rerum gerendarum experientia & notitia antecellebat, cujus conſilium in diebus ejus erat, quaſi ſi quis conſuleret DEUM; in iis tamen quæ ſalutis & animæ erant, bruto erat brutior; nam deſperatione & indignatione quâdam ſtimulatus, infami laqueo vitam ſibi interclusit. Comparat ulteriùs.

Arcæ fabricatoribus & Naupegis diluvio pereuntibus, qui eam tot annis ædificatam non ſubiêrunt tamen præ cæteris, ſed cum reliqua turba ſubmerſi periêrunt. At profectò inquit magìs deplorandum eſt, tot hodie in orbe reperiri Doctores, tot Eccleſiaſtes, tot ſapientes, qui horum ad inſtar fabrorum, poſtquam toto vitæ tempore media & rationes ſuggeſſerint, quibus alij ſe â divinorum judiciorum fluctibus ac diluvio conſervent, tantum abeſt ut ſui ipſorum præ cæteris ſalutem procurent, ut ante alios etiam pereant, & ſub aquis ſuffocentur.

Arbori ſcientiæ boni & mali, quia ut illa primis noſtris parentibus perniciem, ac toti poſteritati ruinam peperit, velut arbores in medio rerum publicarum conſitæ, ſæpe fructum non afferunt ſed exitium, non proſunt ſed obſunt.

Servo illi malo & pigro. Nam & illi præclarum ſcientiæ talentum â Domino recipientes, non ad animarum ſalutem & majorem Dei gloriam illud impendunt, ſed ob illud ſuperbiunt, illóq; abutuntur. *Matt: 25.*

Aſtris Cæli, quæ ſæpenumero ſiniſtros ac noxios effectus producunt, quamvis aliàs lumine ac motu ſuo omnia ſublunaria tueantur.

Agro illi Evangelico tempore meſſis zizania producenti: ſic apud doctos dum meſſis eſt facienda & in bonum Reipublicæ, ſive Dei gloriam fructus colligendus, præter ſuperbiam, vanitatem, jactantiam, aliáq; zizania nihil apparet. Comparat præterea

Caminis ædium, fumariiſq; reſpiraculis, quæ ſunt eminentiſſima & altiſſima domûs pars, ſed nigerrima; ſic illi ſunt ſæpiùs ſordidiſſimi, & tetrâ pravarum affectionum fuligine denigrati.

Montium cacuminibus, quæ utpote cælo proxima citiùs pluvias & influxus cæleſtes recipiunt quàm valles, abundant quoq; fontibus, ſed ſæpe ipſis in tota circùm Regione nihil ſterilius & infructuoſius reperitur.

Digitized by Google

Arboribus infructuoſis, licet in ſolo pingui ſint conſitæ, fructum tamen nullum aut modicum ferentibus, ideóq; excindendis & in ignem mittendis. Hæc Beſſæus.

Nec parvus eſt ſimilium numerus inter doctos, optima quæq; ſcientium & dicentium, peſſima tamen facientium. Medici bonæ valetudinis monita non obſervant. Juriſtæ non parent ſuis legum interpretationibus. Theologi qui ſalutis æternæ viam præ alijs omnibus nôſſe creduntur, per vitiorum devia ruunt quandoq; ad inferos, utinam ſibi potiùs quàm aliis eſſent ſapientes. Huc ſpectat illud acuti Poëtæ:

Ægrotant Medici, fraudantur jure periti,
Deſcendunt multi in Tartara Theologi.

Arbor ſcientiæ, ut ſcribit S. Bonaventura, *multos privat arbore vitæ*, vel ſaltem graviſſimis purgatorij pœnis addicit. Mirum quid mihi retulit quidam Ordinis noſtri Religioſus, parochialem curam oppidi cujuſdam in Bohemia exercens. Hic nocte quadam; in æde parochiali templo vicina, ſpectrum lecto ſuo adſtare vidit, virili corporis effigie, cujus manum imperterritâ mente apprehendens, quæſivit: *quis, vel unde es tu?* reſpondit qui tenebatur, *ſum de fonte ex quo docti ſalvantur.* Subjecit alter: *explica te*; ſed ille in riſum ſolutus manu extricatâ evanuit. Interpretationem genuinam hujus reſponſi lubens audire vellem. Poſſet quidem per illum fontem intelligi fons baptiſmalis, ex quo docti id eſt illuminati, homines per infuſionem fidei & gratiæ ſalvantur. Verùm reſponſio in hoc ſenſu nimis fuiſſet remota. Mihi videtur intelligendum eſſe fontem quendam igneum profundiſſimum in Purgatorio, in quem docti, qui gehennæ pœnas evadunt, præcipitantur, è quo deinde ſalvantur, non antè tamen, quàm in eo longa & horrenda ſupplicia pertulerint. Sed utinam gehennæ ſaltem pœnas evaderent, & ſic viverent, ut de quolibet eorum pronuntiari poſſet illud Salomonis proverbium: *Semita vitæ ſuper eruditum, ut declinet de inferno noviſſimo.* Illi verò non ſunt ſic ſapienter eruditi, ſed per vias mortis ambulant, & cùm aliàs multa ſciant declinare, infernum raro declinant.

Proverb: 15.

IX. Cùm tantum immineat animabus in ſcientiarum ſectatione damnũ & periculum, non eſt mirum viros quoſdam ſanctiſſimos literarum ſtudia, tam in ſe, quàm in aliis ſibi ſubjectis reprobâſſe. Horrenda eſt hiſtoria quæ in Chronico minorum legitur, & refertur ab Antonio Perez. Frater quidam Joannes Ordinis Minorum, tempore B. Franciſci Miniſter

lib: 1. cap. 23.

ſter erat Bononiæ, & valde literatus; hic abſq; licentia B. Franciſci ordinavit ſtudium Bononiæ. Beato autem Franciſco abſenti fuit nuntiatum, tale ſtudium ordinatum eſſe Bononiæ. Quo audito, Bononiam protinus perrexit, & reprehendit illum Miniſtrum dicens: *Tu vis deſtruere Ordinem meum? deſiderabam & volebam exemplo Domini mei fratres meos magis orare quàm legere.* Poſtmodum Bononiâ recedens S. Franciſcus maledixit eidem Miniſtro durâ maledictione, qui ſtatim cæpit infirmari, & fratres ad S. Franciſcum miſit, rogans per illos, ut retractaret maledictionem. Reſpondit B. Franciſcus: *illam maledictionem quâ illi maledixi, confirmavit in cœlo Dominus JESUS Benedictus, & maledictus eſt.* Infirmus itaq; Miniſter jacebat ſuper lectum malè conſolatus. Et ecce ſubitò deſcendit de alto quædam gutta ignea & ſulphurea ſuper corpus ejus, perforans corpus ipſum, & lectum in quo jacebat; tunc cum maximo fætore miſer expiravit, & diabolus accepit animam ipſius. Nolim tamen per hæc, quæ hucuſq; dixi, ſtudia literarum in Monaſterijs uſitata reprobare; ſcio enim illa Religionibus, maximè Clericalibus eſſe plurimùm neceſſaria. Commonitos tamen vellem omnes Religionum Superiores, ut iis, quos literarum quarumcunq; ſtudio, maximè extra Conventus ſuos applicuerint, ſolicito invigilent oculo, ne *corrupti & abominabiles fiant in ſtudiis ſuis.* Quod facilè contingere ſolet venerabili Bloſio atteſtante: *Niſi*; ait, *Juventus, quæ exercetur in literarum ſtudiis, fræno timoris divini contineatur, facilè amore eloquentiæ correpta illectáq; dulcedine, curam pietatis deſeret, & effecta velut Ethnica, ac ſinè Deo abibit in vitiorum præcipitium. * Nos ſic fratres permittimus pro tempore vel ætate dare operam politioribus literis, ut tamen per illarum ſtudia labem ſuperbiæ, & vanæ gloriæ in ſe non traijciant, ſed omnia ad honorem Dei purè referant. Alioquin præſtat Monachos idiotas eſſe. Utilis ſatìs eſt ſimplicitas, per quam meliùs conſervatur humilitas. * Melior eſt homo qui minuitur ſapientiâ, & deficiens ſenſu intimſore, quàm qui abundat ſenſu, & tranſgreditur legem Altiſſimi.* Oculus ingenij per ſcientiæ ſtudium clarificatus multos ſcandalizat & perdit. *Bonum eſt luſcum intrare in Regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.*

In vita. *Eccli: 19.* *Marci. 9.*

Utinam noſtris temporibus nullos videamus per ſtudia depravari. Contingit verò ſæpius Angelicos Juvenes, ſtudiorum tempore in diabolicos transformari, quibus ſcientia idem eſt quod gladius phrenetico,

Digitized by Google

cultellus infanti. Qui ad ſua Monaſteria revocati, cùm paulò plus quàm alij ſapere didicerint, illico ſe incipiunt efferre, non tantùm inferiores, ſed coæquales etiam ſuos contemnere, ſuperiorum facta dijudicare, iiſdem ſe protervo ac rebelli ſpiritu opponere, cum iis judicio velle contendere, in capitulo velle diſputare, conſpirationes accendere, querelas & murmura ſeminare, officia, honores & præcedentias ambire, exemptiones & commoditates proprias quærere. Quæ omnia cùm citra Communitatis detrimentum illis concedi vel diſſimulari nequeant, poſtquam negata fuerint, & juxta Ordinis præſcripta cum iiſdem proceſſum, ad extremum uſq; præſumptionis & perverſitatis perveniunt, ut etiam omnino reddantur incorrigibiles. Homo ſimplex facilè corrigitur & gubernatur, facilè obedientiæ jugo colla ſubmittit; at non ità doctus, qui ſibi omnia videtur intelligere, nec Superiore aut Rectore ullo indigere. *Nihil impoſſibilius*, ait S. Chryſoſtomus, *quàm illum corrigere, qui omnia ſcit*, vel ſaltem ſibi omnia ſcire videtur, *& tamen contemnens bonum, diligit malum.* Ait ſacer textus: *ſi ſal evanuerit in quo ſalietur?* quem locum S. Hieronymus ità interpretatur: *ſi Doctor erraverit, à quo alio Doctore emendabitur? ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Non quòd Eccleſiæ deſint plures Doctores & Rectores, ſed quòd illos non audiat Doctor perverſus.

Hom: 40. — *lib: 1. in Matth:*

X. At nunquid omnes literati ſunt hujuſmodi? minimè. Scio plurimos doctrinâ ſimul & ſanctitate famoſiſſimos viros reperiri, quos à primo, uſq; ad decimum ſextum à Chriſto ſæculum, enumerat Franciſcus Arias. Non talis erat Divus Bonaventura, ut exemplum veri ſapientis, pluribus prætermiſſis adducam, de quo Alexander de Ales, vitâ ejus & moribus probè compertis, teſtimonium hoc ferre ſolebat: *verus Iſraëlita iſte eſt, in quo Adam non peccâſſe videtur.* Centeſimo & ſexageſimo poſt obitum ipſius anno, dum corpus illius ad novam Eccleſiam tranſferretur, reliquâ corporis parte exeſâ atq; corroſâ, caput tamen ſolidum, capillamentum hærens, labia, dentes, & lingua in nullo à vitali ſtatu, aut colore demutata ſunt reperta. Sic quippe à Deo incorruptione Organorum doctrinæ ſervientium donantur, qui illis incorruptè ad Dei gloriam, non jactantiam ſuam aut vanitatem uti conſveverunt. Sed perexiguus Iſraëlitarum hujuſmodi nunc eſt numerus, plures Sapientes Babylonis, *qui terrena ſapiunt, quorum gloria in confuſione ipſorum;* plures,

Theſaur: Chriſti tom: 1. tract: 5. cap: 23. & ſeqq.

Digitized by Google

res, in quibus non ſolùm Adam, ſed etiam Lucifer peccâſſe videtur; plures, quos Judas Apoſtolus nominat *nubes ſinè aqua, quæ â ventis circumferuntur, arbores authumnales infructuoſas, bis mortuas. eradicatas, fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones, ſidera errantia, quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum.*

Quid igitur? an procellam hanc tenebrarum imminentem evadere non poteſtis literati? poteſtis ſecurè, nec enim omnibus imminet, & quibus imminet, ab iis facilè periculum ejus poteſt averti. Si ſapientes ſinè damno eſſe cupitis, veram ſapientiam amate; amate ſcientiam, ſed anteponite charitatem. Nam ùt ait S. Ambroſius, *ante vita, quàm doctrina quærenda eſt.* Sint animarum ornatus, quales in dilecta ſponſus requirit: *murenulæ aureæ, vermiculatæ argento,* virtus ſcilicet, principalis & pretioſior animæ decor, ſcientiâ velut ornamento acceſſorio illuſtratus. Sicut ex argento & auro fit electrum, quod eſt utroq; pretioſius; ità ex ſcientia & virtute naſcitur pretioſiſſim9 & pulcherrimus animæ ornatus. *Parum eſt ſcientia,* ut ſcribit Lactantius, *niſi accedat & virtus; virtus autem cum ſcientia conjuncta eſt ſapientia.* Per ſcientiam quis lucet, per virtutem ſeu charitatem ardet. *Lucere vanum, ardere parum; lucere & ardere perfectum,* inquit S. Bernardus. Cavendum verò nè virtutem *ſcientia* perimat; cautos & providos reddere poteſt duplex anagramã ex nomine illius deſumptũ: ISTE CAIN. * INTE SICA. XI.

de falſa. ſap: cap: 8.

Quiſquis te ſtudio eruditionis
Seclusâ pietate tradidiſti,
Sicam *præcave, quâ tibi minatur,*
Quam ſic præcipiti labore quæris.
Ut fidam teneas ſalutis arrham,
Doctrinæ pietas ſodalis adſit;
Nec fidas tamen eruditioni,
Quæ vitæ inſidias doloſa nectit.
Germanum veluti Cain *ſceleſtus*
Mundi principio peremit Abel,
Sic virtutem animi pióſq; mores
Doctrina interimit, quibus peremptis
Damnum perpetuæ imminet ſalutis.
Ergo ſi ſapis, hoc cavebis unum,
Ne mentis probitate ſubjugatâ
Te Sicarius *hic necando perdat.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXI.

De ſterili ſcientia & prædicatione Doctorum.

1\. DOcti optima quæq; ſciunt, ſicut jam viſum eſt Capite præcedenti, ſaluberrima quæq; dicunt, ſed pauca faciunt, ſuáq; verba raró vertunt in opera. Et ſicut Athenienſes, Teſte Anacharſe, numis utebantur tantùm ad numerandum, ſic ipſi ſcientiâ ſuâ tantùm utuntur ad ſciendum. Noverunt optimè de virtutibus diſputare, alios in doctrina Religionis inſtruere, & ad bonum adhortari, laudare jejunia, commendare vigilias, ſuper omnia orationes exaltare, de patientia & humilitate, ſingulíſq; Virtutibus pleniſſimè & doctiſſimè, ſed vaniſſimè diſputare; *Ut tu ſcilicet ſi audiêris, dicas quòd ex abundantia cordis os loquitur, & quòd bonus homo de theſauro ſuo profert bona.*

S. Bernar: de grad: ſuperb:

Hi mihi ſimiles eſſe videntur ligneis illis manibus in agrorum limites infixis, quæ quà ſit eundum, digito viatoribus demonſtrant, ipſæ nihilominus loco fixæ permanent; campanis item, quæ alios ad Eccleſiam vocant, ipſæ tamen loca ſua quibus affixæ ſunt nunquam deſerunt; Cytharis & muſicis Inſtrumentis, quæ ut ajebat Diogenes ſono quidem proſunt aliis, ipſæ nec ſentiunt, nec audiunt quidquam; ſcribis quoq; illis & Phariſæis, qui Magis viam in Bethlehem oſtendentes, ipſi eodem proficiſci noluerunt, & nè quidem pedem moverunt.

Afranius interrogatus quid octuaginta aliquot annis didiciſſet, reſpondiſſe legitur: *Nihil niſi bene docere & bene dicere,* utinam etiam *bene vivere* addidiſſet. Eudamidas cùm audîſſet Xenocratem jam ſenem in Academia cum amicis diſputantem, percontatus eſt quis eſſet ille ſenex? cum reſpondiſſet aliquis illum eſſe virum ſapientem, ex illorum numero qui virtutem quærerent; & *quando*, inquit, *eâ uſurus eſt, ſi adhuc quærit?* Plures videas inter literatos, ſcientes virtutem in actione conſiſtere, & moribus atq; praxi, non ſterili ſcientiâ eſſe aſſequendam, nunquam tamen ad quærendum ſe accingunt, multò minùs uſum ejus ſibi reddunt familiarem. Quod Spartanus olim quidam dixit de Athenienſibus, id ego de pleriſq; doctis hodie pronuntio: *Nôrunt quæ ſunt honeſta, at ea non faciunt.* Florebat maximè apud Athenienſes Philo-

ſophiæ

Digitized by Google

ſophiæ ſtudium, ſed in cognitione & doctrina ſiſtebant. Magìs laudabiles Spartani, apud quos, non ut apud Athenienſes verba ſolummodo Philoſophiæ, ſed res ipſa reperiebatur. Contemnebant omnes artes, quæ civium animos videbantur emaſculare, & â vera virtute ad otioſam oſtentationem traducere. Hæc autem ipſorum, teſte Laërtio, fuit eruditio: *bene parere Magiſtratibus, patientem eſſe laborum, & in prælio aut vincere aut mori.*

Sic & Romani olim cùm adhuc ſpirarent germanam illam auſteritatem, græculos Philoſophiæ Profeſſores urbe pepulerunt, quòd otioſis diſciplinis averterent juventutem ad otium & ignaviam, redderéntq; ad diſſerendum quidem inſtructos, ad agendum verò, & obeunda Reipublicæ munia inutiles.

Virtus, ut ait Lactantius, *non eſt bonum ac malum ſcire; ſed bonum facere, malum non facere; quia nihil prodeſt cognitio, niſi & actio ſubſequatur.* II. *lib: 6. de verò cultu c. 5.*

Quid juvat innumeros ſcire ac evolvere libros,
Si fugienda facis, ſi facienda fugis?

S. Thomas Villanovanus loquens de ſcripturis divinis: *Nihil*, inquit, *proderit iſta ſcire, niſi ea opere exerceas; peritia enim ſcripturæ poteſt te facere bonum Theologum, ſed non bonum Chriſtianum.* * *Scopus Chriſtianæ Religionis eſt*, ait Divus Auguſtinus, *ut quæ ex doctrina veritatis didicimus, opere impleamus.* B. Ægidius Minorita S. Franciſci ſocius, audiens aliquando Dominum vineæ, quæ propinqua erat habitationi ejus, vinitores ſuos objurgantem, iiſq; Italico Idiomate dicentem, *fate fate, & non parlate*, cum ingenti fervore è cella ſua prorumpens clamavit altâ voce: *audite vos Concionatores & Doctores quid iſte vir dicat: faceſſant verba, & manus operi admoveantur.* Idem aliquando loquens cuidam ſcientiam & doctrinã ſuam mirè jactanti: ſi inquit univerſa frugifera humus unius ditione teneretur, qui tamen eam non coleret, quis inde fructus ad eum rediret? certè nullus. Contrà, ſi alius parvum habeat agrum, eúmq; diligenter excolat, & pro ſe & pro aliis fructus percipit. *Non eſt igitur, quòd nimiùm fidas ſcientiæ* tuæ; nam etiamſi omnibus diſciplinis & artibus ſis inſtructus, nihil tibi contulerit, ſi bonis operibus ſis deſtitutus. Hoc idem eſt quod ait Eccleſiaſticus: *Eſt vir aſtutus, multorum eruditor, & anima ſua inutilis eſt.* Et iterum: *Eſt ſapiens anima ſua ſapiens, & fructus ſensûs illius laudabilis.*

Conc. 2. in Dom: 1. Quadrag:

Surius in vita 23. Aprilis.

Eccli: 37.

 Vera

Vera ſapientia non in nuda virtutis cognitione, vel prædicatione, ſed in operatione, conſiſtit. Dicebat Sanctus Franciſcus, teſte Wadingo: *tantùm habet homo de ſcientia, quantùm operatur; & Religionis tantùm eſt bonus Orator, quantùm operator.* * *Si verus ſapientiæ amator eſſe cupis*, inquit Iſidorus, *veram ſapientiam ama, quæ non ſermonem duntaxat, ſed etiam vitam exornat.* * *Quæ eſt iſta perverſitas*, inquit S. Auguſtinus, *lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare, & ut quod bonum eſt diutiùs legatur, ideo nolle facere quod legitur? quis enim neſciat tantò citiùs quemq; proficere cùm bona legit, quantò citiùs facit quod legit?*

lib: 1. Epiſt: 96. lib: de opera Mon: cap: 17.

Scientia talis, quæ nullos profert bonorum operum fructus, otioſa eſt & mortua, inutilis & inanis. *Quid aliud eſt quàm imago ſine vita, & ſimulacrum vanum abſq; motu & ſenſu?* ait Richardus de S. Victore. Qui etiam unumquemq; doctum, multa ſcientem & pauca facientem comparat ſimulacris gentium, quæ oculos habent & non vident, aures habent & non audiunt, dum ità ſtolidam & ignavam ipſius inſenſibilitatem deſcribit: *novit fortaſſis quomodo vitam ſuam circumſpicere debeat, eam tamen prout oportet circumſpicere diſſimulat; videndi quodammodo inſtrumentum habet, ſed videndi officio caret. Novit fortè quæ ſit virtus obedientiæ, & qualis debeat eſſe, & tamen non vult obedire; hoc eſt aures habere, & non audire.* Habere aures mortuas, oculos intellectûs mortuos, qui nihil proſunt.

de erud: int: hom: lib 1.

Quàm infructuosè itaq; vivunt, qui poſt multam rerum agendarum, virtutúmq; ſcientiam acquiſitam, perpetuæ tamen ſe tradunt deſidiæ, nullam virtutem ſibi comparant, & omnem ſuam vitam in eloquentia ſola peragunt, qui neq; ſapientûm nomen promereri videntur; *Sapientia* enim, ut ait Lactantius, *niſi in aliquo actu fuerit, quo vim ſuam exerceat, inanis & falſa eſt; rectéq; Tullius civiles viros, qui Rempublicam gubernant, qui urbes aut novas conſtituunt, aut conſtitutas æquitate tuentur, qui ſalutem libertatémq; civium, vel bonis legibus, vel ſalubribus conſiliis, vel judiciis gravibus conſervant, philoſophiæ Doctoribus præfert; bonos enim facere oportet potiùs, quàm incluſos in angulis facienda præcipere, quæ ne ipſi quidem faciunt qui loquuntur.*

de falſa ſap: cap: 16.

Turpe eſt Doctori dum culpa redarguit ipſum.

Epiſt: 95. Bene itaq; admonet Seneca: *diſcas quod oportet, & quod didiciſti agendo confirmes; Nam qui didicit, & facienda ac vitanda præcepit,*

pit, nondum ſapiens eſt, niſi in ea quæ didicit, ejus animus transfiguratus ſit. * *Antiqua ſapientia nihil aliud quàm facienda ac vitanda præcepit, & tunc longè meliores erant viri. Poſtquàm verò docti tantùm prodiêrunt, boni eſſe deſiêrunt. Simplex illa & aperta virtus in obſcuram & inertem ſcientiam verſa eſt, docemúrq; bene diſputare, non vivere.* Epiſt: 96.

Inſtructio doctos reddit, inquit D. Bernardus, *affectio ſapientes. Sol non omnes quibus lucet etiam calefacit; Sic ſapientia multos quos docet quid ſit faciendum, non continuò etiam accendit ad faciendum. Aliud eſt multas divitias ſcire, aliud poſſidere; nec notitia divitem facit, ſed poſſeſſio. Sic prorſus, ſic aliud eſt nôſſe Deum, & aliud timere; nec cognitio ſapientem, ſed timor facit. Tu nè ſapientem dixeris quem ſua ſapientia inflat. Quis illos ſapientes niſi inſipientiſſimus dicat, qui cùm cognoviſſent Deum, non tanquam Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt? ego magis cum Apoſtolo ſentio, qui inſipiens cor eorum manifeſtè pronuntiat. Et bene initium ſapientiæ timor Domini, quoniam tunc primùm DEUS animæ ſapit, cùm eam afficit ad timendum, non cùm inſtruit ad ſciendum.* * *Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Reliqui omnes audiant: ſcienti bonum & non facienti peccatum eſt illi. Ac ſi per ſimilitudinem dicat; ſumenti cibum, & non digerenti, perniicioſum eſt illi. Cibus quandoquidem indigeſtus, & qui bonam non habet coctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, non nutrit; ita & multa ſcientia ingeſta ſtomacho animæ, quæ eſt memoria, ſi decocta igne charitatis non fuerit, & ſic per quoſdam artus animæ, mores ſcilicet atq; actus, transfuſa atq; digeſta, quatenus ipſa de bonis quæ noverit, vitâ atteſtante & moribus, bona efficiatur; Nonne illa ſcientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus converſus in pravos noxióſq; humores? an non malus humor peccatum? an non mali humores pravi mores? an non inflationes & torſiones in conſcientia ſuſtinebit qui hujuſmodi eſt, ſciens videlicet bonum & non faciens? an non reſponſum mortis & damnationis toties in ſemetipſo habebit, quoties in mentem venerit ſermo, quem dixit Deus, quia ſervus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, dignè vapulabit multis? & vide ne fortè in perſona talis propheta plangeret dicens: ventrem meum doleo.*

III. hom: 25. in Cant: — Idem hom: 39. in Cant:

Non deſunt, imò abundant hoc ſæculo, quo ſterilis potiſſimùm colitur ſcientia, multi inertes Philoſophi, etiam qui ſacratiori Philoſo-

Tract: 45. in Joann: phiæ nomina ſua dediſſe gloriantur, *de virtutibus & vitiis ſubtilia multa tractantes, dividentes, definientes, ratiocinantes, acutiſſimè concludentes, libros implentes, ſuam ſapientiam buccis concrepantibus venditantes*, ut illos deſcribit S. Auguſtinus, de quibus etiam Dominus in Revelationibus S. Brigittæ lamentatur: *hæc*, inquit, *eſt ſapientia eorum: loqui pulchrè, & agere malè; ſimulare ſe meum, agere nequiter contra me.* Veniet autem tempus, cùm eos ſcientia ipſorum malè cocta inflatos diſrumpet, & irruent in eos gemitus & dolores quaſi parturientis.

Cunctos ejuſmodi, qui ſciunt & dicunt, nec tamen faciunt, arcubus pravis & perverſis comparat S. Gregorius, & damnationis ſuæ præcones appellat, dum ità ſcribit: *Viri arrogantes & docti, cùm rectè non vivunt, ſed tamen recta dicere doctrinæ impulſionibus compelluntur, ipſi damnationis ſuæ aliquo modo præcones fiunt; quia dum ea, quæ agere reſpuunt, prædicantes inſinuant, ſuis ſe vocibus damnatos clamant. Contra quos bene per pſalmiſtam dicitur: converſi ſunt in arcum perverſum. Arcus quippe perverſus, ipſum à quo intenditur, percutit. In dictis autem ſuis arrogantium linguæ arcui perverſo ſunt ſimiles; quia dum contra elationem verba faciunt, in ſuis Authoribus ſagittas figunt. Unde ſummâ curâ providendum eſt, nè accepta ſapientia cùm ignorantiæ tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat, ut jam ſapientia eſſe nequeat; quæ etſi virtute locutionis fulgeat, elationis tamen velamine cor loquentis obſcurat.* (lib: 27. Moral: c: 27.)

Deſcribit perbellè inertem hujuſcemodi Philoſophum, multa ſcientem & dicentem, pauca facientem, Climacus, dum ſic ait: *ſtultus Philoſophus à ſe ipſo damnatus expoſitor, ſibimet contrarius locutor, cæcus videndi Magiſter, de ſanitate vulneris diſputat, atq; id fricando exaſperare non deſinit; contra morbum loquitur, & quæ ſunt noxia manducare non ceſſat; adversùs ſe ipſum orat, & protinus ad opus ſuum proficiſcitur; id dum perficit, ſibi ipſi indignatur, nec verborum ſuorum pudet miſerum. Maleſacio clamat, & tamen acriùs inſtat. Os contra vitium orat, & corpus pro vitio luctatur. De morte philoſophatur, qui quaſi non ſit moriturus ità vivit; de ſeparatione corporis & animæ ſeveriùs admonet, & quaſi ſempiternus futurus ſit dormitat. De continentia diſputat, & pro gula concupiſcentia certat. Orationem collaudat, & eam non ſecus quàm flagellum vitat. Obedientiam ſummis laudibus effert, primúſq; ipſe contra eam agit. Eos qui nullâ Mundi affe-* (grad: 17.)

Digitized by Google

ctione impediuntur extollit, nec erubeſcit ipſe pro vili panno contendere atq; pugnare. Silentium beatum dicit, ipſúmq; per loquacitatem laudat. De manſuetudine admonet, & in ipſa doctrina nonnunquam iraſcitur. Vituperat riſum, ac ſubridens de gemitu docet. Semetipſum ut inanis gloriæ cupidum in pleriſq; culpat, & per eam ſui vituperationem ſibi gloriam quærit. Talis, ut cum D. Bernardo loquar, *qui verbum Dei habet, & illud opere non exercet, Religionis eſt ſophiſtica, ſub prætextu ſanctitatis palliata, qui ei quod didicit, quódq; docet, perversè vivendo contradicit. Iſte talis non manet in Chriſto, nec Chriſti verba manent in eo; quoniam nec Chriſtum amat, nec ejus præcepta obſervat; quamvis & Chriſtum amare, & ejus præcepta ſervare ſe fingat. Sed qualis iſte miſer fuerit, dies Domini declarabit, ubi non eſſe poterit ſimulatio Religionis, nec fictio ſanctitatis, aut ſermo ſophiſticus, aut ſyllogiſmus verſutus.* Serm: 12. in Cæna Domini.

Chriſtus ait: *qui habet mandata mea & ſervat ea, ille eſt qui diligit me. Qui ſcilicet habet in memoria*, ut ait mellifluus idem Doctor, *& ſervat in vita; qui habet faciendo, & ſervat perſeverando; vel qui habet in ſermonibus & ſervat in moribus; vel habet audiendo, & ſervat faciendo, ille eſt qui diligit me. Multi ſunt enim qui Domini Mandata habent, & ea minimè tenent; multi habent in libro, ſed ea non tenent in animo; multi in voce, ſed non in opere; multi in memoria, ſed non in vita; multi in verbo, ſed non in exemplo. Illi profectò non ſunt de dilectoribus; iſti inquam plagis vapulabunt multis, iſtis erit fletus & ſtridor dentium.* Qui videlicet ſemper diſcunt, & nunquam ad ſcientiam veram perveniunt. Dicunt, non faciunt; medici aliorum ſeipſos non curant, & ut cum Divo Gregorio loquar, de virtutibus vacui loquuntur, & quaſi inter fructifera arbuſta poſiti, odorant poma, non manducant. Qui deniq;, ut ait Divus Bernardus, *linguam Chriſto, animam autem dant diabolo.* ſermoneq. de cana Domini. hom: 27. in Cant:

Objiciet hîc mihi aliquis illud Climaci: *noli amarus eſſe ac nimiùm ſeverus Judex; quoties aliquos videris docere magna, & operari negligentiùs, ſæpe namq; ſupplevit defectum operis utilitas verbi.* Hanc Climaci ſententiã fateor me pro paradoxo ſemper habuiſſe, æſtimans vix unquã conjungi poſſe cum defectu operis verbi utilitatem, quod & infra planiùs fiet. Scio enim quòd *homines plus oculis quàm auribus credunt.* Scio *quòd malunt exempla quàm verba, quia loqui facile eſt, præſtare difficile.* Scio quòd *qui nõ ardet, nõ incendit alios,* grad 26. Seneca. Lactant: S. Gregor:

Digitized by Google

Sed eſto præſtarent nonnunquam aliquod in proximis operæ ſuæ pretium, quantilla tamen illa erit utilitas? multò ſanè minor, quàm ut ſupplere poſſit defectum operis, ad quod ſcientes quantò plura nôrunt, tantò arctiùs ſunt adſtricti. Et quid iis tandem prodeſt mundum univerſum lucrari, animarum verò ſuarum pati detrimenta?

Sapientem ego odi, qui ſibi ſapit nihil.

IV. Libet hîc integrum Caput de præſenti materia intexere ex Didaci
part: 1. Stellæ præclariſſimo libro, quem ſcripſit de contemptu vanitatum mun-
cap: 31. di. Quo Capite, in aliorum Inſtructoribus oportere ſociatam eſſe lite-
Matth: 6. ris bonam vitam, ſequentibus demonſtrat. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum*, ait Dominus. Primò egit de operibus dicens: *qui fecerit;* deinde de doctrina, quando dixit: *& docuerit.* Magìs enim decet Doctorem virtutum in earum exercitio & vita excellere, quàm in habendis altiſſimis & eloquentiſſimis ſermonibus.
Matt: 11. Ficulneæ nil niſi folia habenti maledixit Chriſtus, tibíq; maledicet, quia ſola verborum habes folia, bonorum operum fructu carens. Duo di-
Luca 24. ſcipuli euntes in Emmaus non cognoverunt Dominum, dum in via de lege Dei ſermocinarentur, licet iret cum ipſis, agnoverunt tamen eum quis eſſet, cùm legis præcepta facerent, charitatem exercerent, & peregrinum ignotum ad cænam invitarent. En opera prædicatorum Deo gratiora ſunt, quàm verba. Diſcipuli Chriſti habebant doctrinam, & in bona vita erant ferventes, ſicq; totum convertêre mundum. In rati-
Exodi.28. onali Sacerdotis doctrina & veritas poſitæ erant, quia DEUS vult, ut
Joann: 1. doctrinæ ſynceritati, vitæ veritatem conjungas. Domini præcurſor, ut Evangelium dicit, vox fuit; nam ipſius vita, cibus, veſtes, & ipſe totus vox erat, clamans pœnitentiam. Non ſatìs eſt, quòd clames, ſed ipſe vox eſſe debes, utì Joannes Baptiſta, opere præſtans quod verbo dicis. Non eſto ſicut puteus, cujus aqua mundat vaſa immunda, cùm tamen ipſe plenus ſit ſordibus. Multi toto corpore vitiorum ſuorum paludibus velut ranæ immerſi ſunt, ſolo ore virtutem laudantes. En qualem te eſſe deceat, cùm doceas virtutem. Utinam non ipſe diſciplinâ indigeres. Verba quæ tantùm ex ore tuo prodeunt, Auditorum aures non tranſeunt; ut autem ad cor pertingant, è corde procedere debent. Cordi non niſi cor aliud loquitur. Ignem non accendes niſi accenſo titione, nec auditorum corda ardebunt, ſi tuum divini amoris
Act: 1. igne non ſit inflammatum. Super Apoſtolos totius Orbis Concionato-

res

Digitized by Google

res futuros, ſpiritus ſanctus in linguis igneis deſcendit, quo ſignificatur verba Doctoris amore Dei incenſa eſſe debere. Dominus præcipiens Iſaiæ ut concionaretur, calculo tetigit labia ejus, quòd verba prædicationis oporteat eſſe ignem accenſum, qui omnes vitiorum ſtipulas & fænum abſumat. In templo Salomonis aurea erant emunctoria; quia alios emuncturus, & reprehenſurus, ut admonitione ſuâ malum & defectus ab eo tollat, bonus eſſe debet ut aurum. *Qui ſinè peccato eſt, veſtrûm primus in illam lapidem mittat*, dixit Dominus peccatoribus quibuſdam quandam lapidare volentibus, qui confuſi ſunt; quod & tibi eveniet, dum vitium quod habes, in aliis reprehendis. Apoſtolus inquit: *ſic pugno, non quaſi aërem verberans; ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, nè fortè cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Extincti carbones reaccenduntur, ſi vel ignitus unus inter eos ponatur, vel unus alteri collidatur, quia motu ignem eliciunt, ſubtileſcente aëre, qui in ignem convertitur; at multò faciliùs accendentur modo primo, quàm ſecundo. Inde dicit Apoſtolus, ſe peccatorum corda non accendere in modum aërem ferientis, & ignem elicientis. Quamvis enim ità excutiatur, id tamen fit difficulter. Solis ergo verbis corda mortua accendebat Paulus, cùm ipſe amoris & charitatis igne arderet, ſanctæ vitæ exemplum daret, corpus ſuum caſtigaret, & ſpiritui ſubijceret. Chriſtus Dominus triginta tribus annis laboravit, & tribus ſolùm prædicavit, ut diſcas multùm laborare & parum docere. Ædificantes Hieroſolymas unâ manu laborabant, & alterâ gladium tenebant. Apoſtolus comparat Dei verbum enſi. Pariter unâ manu tibi docendum, alterâ operandum. Gladius manibus non vibratus inimicum non terret. Quapropter de bonis Concionatoribus pſalmiſta inquit: *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum.* In Evangelio ſeminanti comparatur Concionator, qui populum operibus debet inſtruere, & doctrinæ ſuæ authoritatem impertire. Multos magnos hac tempeſtate artifices, & operum Magiſtros reperire licet, qui nunquam operi manum admovent, ſolùm aliis quid facto opus præcipiunt, & veſperi majorem quàm alij accipiunt mercedem. Admove manus & labora, ſiquidem alios informes. Bona loqueris, & non facis; aliorum mala abominaris, & tu ipſe in multis delinquis. Scriptum eſt: *ſcienti bonum facere & non facienti, peccatum eſt illi.* Qui ſcit multa & non facit, à bona ſurgit menſa fame mortuus. Qui diſputat de vitiis, & iis

Eſa: 6. *3. Reg: 7.* *Joann: 8.* *1. Cor: 9.* *Num: 4.* *Hebr: 4.* *Epheſ: 6.* *Pſal: 149.* *Luca 8.* *Jac: 4.*

Digitized by Google

& iis non reſiſtit, bonum ſemen intrà ſpinas proijcit. Magìs attrahuntur homines bonis exemplis, quàm multis verbis. Alios docere & emendare velle haud magnum eſt; at ſe ipſum regere, & vitâ ac exemplis docere glorioſum eſt. Hæc eſt magna Dei hominúmq; ſapientia. Cùm DEUS in montem Sinai, legem ſuam Moyſi daturus, in igne deſcende-

Exod: 19. ret, primò mons fumare cœpit, deinde ſonitus buccinæ auditus eſt, qui paulatim creſcebat, & in majus ac prolixius tendebat. Eodem modo ille, qui alios docet, divini amoris igne priùs accendi debet, deinde verò buccinæ prædicationis ſonitu paulatim creſcente, docere, monere, reprehendere. Tunc vox ejus audietur, tum efficaciam habebit. Nutrix primò cibum recipit, & in ſubſtantiam ſuam convertit, priuſquam lactet infantem; Ignis propinqua priùs conflagrat, quàm remota: ità ille qui alios inſtruit, inſtar Nutricis primò doctrinam ſumat; Zelus Domus Dei priùs ipſum, quàm populum accendat. In proverbijs ſcriptum

Prover: 5. eſt: *bibe aquam de ciſterna tua, & in plateis aquas tuas divide.* Tu

Exodi. 4. primò doctrinam hauri, deinde aliis eam propina. Cùm Moyſes Virgam in manibus teneret, erat virga; cùm verò in terram proijceret, in colubrum vertebatur. Quando id quod doces opere comples, doctrina tuâ virtutis ac juſtitiæ virga eſt, quæ aquam è ſaxis elicere, & duros obſtinatóſq; peccatores convertere poſſit. At verò ſi id quod alios doces, manibus ipſe non attingas, aliud docueris & aliud feceris, in tortuoſum vertitur colubrum, qui conſcientias auditorum lædat & veneno

Marci. 6. inficiat. Legitur in Evangelio, quòd Deus multa hominum millia ſa-

Joann: 6. turavit paucis panibus, quos antequam iis diſtribueret, utrâq; vice ipſe in manus accepit. Ut doctrina, quæ panis & nutrimentum eſt animæ, proſit, in manus eam priùs accipias, opere id complens quod alios doces.

Sap: 9. Idcirco Salomon Deum rogabat dicens: *mitte ſapientiam de cælis ſanctis tuis, ut mecum ſit & mecum laboret.* Non ſolùm volebat ſapientiam ſibi adeſſe, ſed etiam ſecum laborare. David antequam in pſalmo

Pſal: 50. diceret: *docebo iniquos vias tuas*, hunc in modum Domino ſupplicavit: *cor mundum crea in me DEUS, & ſpiritu principali confirma me.* Spiritum à Deo poſtulavit, priuſquam juſtitiam alios doceret. Sol in menſe Decembri Norvegianos populos illuminat quidem, ſed non calefacit; ità ſcientia multos quidem docet quid ſit faciendum, non autem accendit eos ut faciant. Tangit eos ut ſciant, non ut operentur. Speculum maculas vultûs alijs quidem oſtendit, verùm ſeipſum non videt.

Cùm

Digitized by Google

Cùm aliis defectus ipſorum oſtendis, te ipſum aſpicias, & culpam tuam emendes. Apoſtolus ſcribens ad Timotheum, inquit, *Attende tibi & doctrinæ.* Claudi dum ſedent non videntur claudi; cùm autem ſurgunt & ambulant, optimè. Multi dum ſedent, vel quietè alios docent, apparent boni; cùm verò per virtutis viam claudicantes incedunt, turpitudinem ſuam oſtendunt. Tu fame moriens aliis non da edere. Propheta Elias primò pro ſe panem accepit, poſt viduæ eum dedit. Correctionem fraternam homo â ſe ipſo incipere debet, priùs ſe quàm alios emendans. Si juxta bonam doctrinam quam alios doces, ipſe vixeris, in Regno Cælorum, ut Dominus affirmat, magnus eris. Hæc Didacus. *1. Tim: 4.*

Utinam ergo, ut Lactantij verbis utar, *tam multi* noſtro ſæculo bene facerent, *quàm multi loquerentur bene.* Sed nunquid ego ipſe omnia facio, quæ facienda ſcio & proloquor? Et mihi, licet parum erudito, ſæpius hoc malum adiacet, ut quod D. Bernardus humilis ſui accuſator de ſe protulit ex humilitate, de me uſurpare poſſim cum veritate: *vereor fratres, vereor deprehendi; nempe horam hanc magnus ille & communis Abbas noſter Deus, non vacationi ſermonum, ſed operi manuum noſcitur aſſignâſſe. Utinam dicens & non faciens in Regno Dei vel minimus merear inveniri, & non ligatis manibus & pedibus proijciar in tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium.* *de vera ſap: c. 23.*

Pro Capitis coronide, applicari poteſt ſequens, ex nomine SCIENTIA per literarum tranſpoſitionem verſo, redditum anagramma: CIT SANIE.

Qui vitiis fœtens homines ſuadendo laborat
Allicere, hic paucos in ſua fila trahet.
Pure madens corpus fugat agnos atq; columbas,
CIT SANIE ſolos fœtida præda lupos.
Sic licet impuri pulchro ſermone laborent,
Chriſto lanigeros accumulare greges;
Vix quicquam, ſit ſana *licet doctrina, juvabit,*
Cùm vita ſanies & malus inſit odor.

Gg CA-

CAPUT XXII.

Scientia inflat.

I. SAtis eſſe demonſtratum arbitror, quàm rara ſit docta ſanctitas, & quomodo plerumq; literati, qui ſcientiâ ſuâ velut animi fræno rectè duci debuerant, per vitiorum prærupta plùs omnibus mortalibus exorbitent. Hoc caput ſuperbiæ vitiorum omnium capiti dabitur, cui potiſſimùm ſervire ſolent mundi ſapientes, Idololatræ meritò vocandi. In eo enim ſenſu, in quo luxurioſis *DEUS venter eſt*, & *avaritia Idolorum ſervitus* nominatur, etiam Docti ſuperbiâ inflati ſua ſibi fabricant Idola. Propriis namq; ingeniorum conceptibus Divinitatem tribuunt, illáq; adorant, tanquam æternæ veritatis Majeſtas in ipſis reſideret. Sua tantùm ſectantur placita, ſaniori doctrinæ per alios propoſitæ non acquieſcunt. Verum eſt interim illud Samuelis effatum:
1.Reg:15. *Quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus Idololatriæ nolle acquieſcere.* Tales fuerunt omnes hæretici, quos arrogantia doctrinæ â Deo fecit apoſtatare.

Contra ejuſmodi arrogantiâ tumentes, & ingeniorum ſuorum idola ſtolidè adorantes, ſonat illa Domini querela apud Oſeam Prophetam:
Oſee. 2. *dedi eis argentum & aurum quæ fecerunt Baal.* * *O! quanto ſatius,*
part:1.lib: *ô! quantò utilius tibi eſſet,* quicunq; talis es, *aurum ſcientiæ & argentum*
1. c. 38. *eloquentiæ non habere*, inquit Richardus de S. Victore, *quàm inde tibi Idolum facere.*

c. 9. Apud Jeremiam hæc dicit Dominus: *non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & nôſſe me, quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam, & judicium, & juſtitiam in*
Rom: 12. *terra. Hæc enim placent mihi ait Dominus.* Gentium Apoſtolus ait: *non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes. Nolite eſſe prudentes*
1. Cor: 3. *apud voſmetipſos.* Et: *nemo ſe ſeducat: ſi quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat ut ſit ſapiens. Sapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud DEUM. Scriptum eſt enim: comprehendam ſapientes in aſtutia eorum.* Et iterum: *Dominus novit cogitationes ſa-*
Prover. 2 *pientûm, quoniam vanæ ſunt.* Salomon item ait: *ubi humilitas ibi & ſapientia.* Conſequens eſt, ut ubi eſt ſuperbia, ibi ſit ſtultitia.

At

Digitized by Google

At ſurdâ hæc aure prætereunt Sapientes Babylonis. Rarum eſt literatum aliquem cernere, in quo non verificetur illud Apoſtoli: *ſcientia inflat.* Pleriq; occupatione hac peſſimâ diſtenduntur; Utq; cum Hugone victorino loquar, *exteriùs intumeſcendo, inanes evadunt interiùs; foris majores apparent, interiùs ſoliditatem amittunt, ſe ipſos conſiderare non valendo.* His aptari poteſt illud Jeremiæ: *traxerunt ventum quaſi dracones*, qui vehementiſſimè dicuntur aërem attrahere & inſpirare. Ità Doctores, ut explicat S. Hieronymus, ſorbent & attrahunt ſcientiæ & ambitionis ventum. Sive ut ait S. Gregorius, *ventum quaſi dracones trahunt, cùm malitioſâ ſuperbiâ inflantur.* Comparari etiam poſſunt Chamæleonti, qui teſte Tertulliano, *oſcitans veſcitur, follicans ruminat, & cui de vento cibus.* Quid verò hæc inflatio ipſis prodeſt? tantum illis confert, quantum plumis & lanis aër interclusus; leves enim & mobiles facit, ut â vanæ gloriæ vento, è baſi virtutis abſtracti & abrepti, evaneſcant in cogitationibus ſuis. Tantum illis commodat, quantum illi ranæ, quæ cùm bovis in prato conſpecti magnitudinem ambiret, corium tamdiu inflabat, uſq; dum rumperetur. Diſrumpet inflatos ejuſmodi divina vindicta, & erunt decidentes ſinè honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum, qui ſcientiâ propter honoris vani amplitudinem in hac vita turgere affectârunt.

1. Cor: 8. *Jerem: 14.*

II. Eſt ſuperbia proprium diabolo vitium, quâ elatus aliquando dixit in corde ſuo: *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* Verumtamen detracta eſt ad inferos ſuperbia ejus in profundum laci. Superbus ille ſpiritus dictus eſt δαίμων, quaſi δαήμων, id eſt: doctus, peritus, ſciens, inquit Plato in Cratylo, ut & in ipſo pateat, quàm ſit ſcientiæ cognatum ſuperbiæ vitium.

Iſaia. 14.

Dicitur illi apud Ezechielem: *perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo.* Perdidit miſer omnem ſuam ſapientiam, dum ſibi in ejus decore, vanè arrogantérq; complacuit. Unde S. Bernardus: *Nolo*, inquit, *decorem qui mihi ſapientiam tollat. Quæris quis ille tam noxius decor? Tuus. Planiùs audi: privatus, proprius. Non culpamus donum, ſed uſum. Et, ni fallor, unus Angeli animaq; decor ipſa ſapientia eſt. Quid enim vel hac vel ille abſq; ſapientia, niſi rudis deformiſq; miſeria eſt? ſed perdidit eam cùm fecit ſuam, ut non ſit aliud in decore ſuo,* quàm

Ezech: 28. *Serm: 74. in Cant.*

quàm in ſua ſapientia perdidiſſe ſapientiam. Proprietas in cauſa eſt, quòd ſibi ſapiens fuit, quòd non dedit gloriam Deo, quòd non retulit gratiam, pro gratia. Iſtud eſt cur eam perdidit, imò iſtud eſt quòd eam perdidit, etenim ſic habere perdere eſt. Nec tantùm in ea ſibi vanè ſtultéq; Lucifer complacuit, ſed etiam plus ſibi arrogavit quàm haberet, & ſimilis in ſcientia voluit eſſe Altiſſimo. *Perdidiſti ſapientiam in decore tuo, dum plus vis eſſe*, ait S. Hieronymus, *quàm conditus es, & magis ſapere, quàm â Deo acceperas, etiam id perdidiſti quod habebas, & pro pulchritudine, atq; doctrina, deformitas te atq; ſtultitia poſſederunt.* Similiter per ſuperbiam & arrogantiam ſuam; vitam cum ſapientia perdidit, & infatuatus miſerè perijt Empedocles Agrigentinus Pythagoræ diſcipulus, Inventor Rhetoricæ, Poëta, & Philoſophus inſignis. Hic ut putaretur DEUS eſſe factus, ex hominum conſortio ſe voluit clam ſubducere; unde noctu â ſociis diſcedens, in ardentem caminum montis Æthnæ ſe immiſit; verùm ejus crepidæ per flammam rejectæ, non divinitatem ſed ſtultitiam ejus prodiderunt.

III. Ad vitandam hanc ſtultitiam, ab exceſſu ſcientiæ provenientem, utiliſſimum mihi videtur illud vulgare documentum ab Alvarez allegatum, *nè quid nimis*, &c. *Si enim ſcriptura dicit: noli eſſe juſtus multùm, quaſi in ipſa executione juſtitiæ poſſit eſſe nimius rigor, quantò magìs diceret, noli eſſe nimiùm ſciens, ſiquidem ſcientia non jam ut juſtitia nos bonos ſimpliciter facit, ſed eâ ratione quærenda eſt, quâ nos ad juſtitiam ac bonitatem diſponit. Dixit profectò, & noli eſſe nimiùm ſciens, in illis verbis, quæ ſequuntur, & non plus ſapias, quàm neceſſe eſt, ne obſtupeſcas. Et in illo etiam quod dicit Paulus: non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. Eſt namq; ſpiritualis quædam ebrietas â nimietate ſcientiæ proveniens, quæ ſolet vehementiùs & pernicioſiùs, quàm vinum, ſenſum ac mentem ſubvertere, & hominem verâ rerum æſtimatione privare. Fitq; miro modo, ut lux mentem cæcet, & ſcientia dementet, & rerum cognitio affectum obduret. Imò id mirum non eſt: nam immoderata lux luminibus infirmis objecta, ſolet eos perpetuâ caligine obruere; & vinum corpus roborans, ſine menſura ſobrietatis ingeſtum, ſolet corporis compagem diſſolvere; & amor concubinæ, non ſemel conſuevit amorem legitimæ Conjugis ablegare. Scientia autem, quæ pediſſequa eſt charitatis, in concubinam hominis vertitur, cùm virtuti anteponitur, & immoderatis affectibus adamatur.*

Alvarez vitæ ſpirit: lib: 5. part: 3. c. 39.

Unde

Unde ſcientia diligenda eſt, ſed moderatè diligenda, & diſcreta quædam ſobrietas in ejus acquiſitione ſervanda. * *Omnium ciborum ſal ſalubre eſt condimentum, ſi menſura non deſit,* ait S. Petrus Chryſologus, *alioquin ſi ſinè modo, & ipſum perit, & quod ſalierit, perdit.*

Nullus itaq; velit plùs ſapere quàm oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem; imò ignorantem ſe debet confiteri, ut ſapiens effici mereatur. DEUS intellectum dat parvulis, hoc eſt humilibus, & multa illis revelat, quæ abſcondit hujus mundi prudentibus, ſcientiâ ſuâ tumidis & inflatis. *Veritas mentem fugit quam humilem non invenit,* inquit S. Iſidorus. Et teſte Ptolomæo, *qui inter ſapientes humilior eſt, ſapientior exiſtit.* Oculi tumidi, foràs elati & prominentes parum vident, qui verò profundiùs cranio ſunt infixi, cernunt acutiſſimè. Sic homines faſtu eminentes & elati parum intelligunt, ij verò qui profundam ſectantur humilitatem, rerum veritates acutiùs penetrant. Imò ſi quæras cujus ſit SCIENTIA? reſponſum deſumo ex ipſo ſcientiæ nomine anagrammaticè verſo: JACENTIS. Illius videlicet, qui humi jacet per humilitatem, non qui multarum rerum cognitione inflatus & elatus ſuper ſe in altis volat. IV.

Monet Salomon in Proverbiis: *inclina cor tuum ad cognoſcendam prudentiam.* Inclinare nos oportet, imò ad infima & profundiſſima deijcere per humilitatem. Nam & illi qui de die ſtellas volunt contueri, profundiſſimos ingrediuntur puteos. Quid eſt quod de ſeipſo ait Balaam? *dixit homo, cujus obturatus eſt oculus; dixit Auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt, qui cadit & ſic aperiuntur oculi ejus.* Quid eſt quòd priuſquam caderet Balaam, obturatum habuerit viſum; at verò poſtquam cecidit, oculi ipſius aperti fuerint & illuminati? Eo caſu denotatur humilitas, quâ quis vilipenſione ſui ad infima ſe proſternit. Qui ſic cadit, illius oculi cæleſti luce illuminantur. Confirmat hoc Abbas Cellenſis, ità ſcribens: *Viſum non recipit, qui non cadit. Humilitas in caſu, in viſu intelligentia; ejus verò qui ità cadit, aperiuntur oculi per Chriſti illuminationem.*

Prover: 2. *Num: 24.* *lib: de panib⁹ c. 13.*

S. Gregorius hominem ſuperbum & arrogantem comparat ei, qui albuginem habet in oculo, de quo in lib: Levitici. *Albuginem,* inquit, *habet in oculo, cui veritatis lumen videre non ſinitur, quia arrogantia ſapientiæ ſeu juſtitiæ cæcatur; pupilla namq; nigra videt, albuginem tolerans nihil videt; quia videlicet ſenſu humanæ cogitationis, ſi ſtultum*

Levit: 20. part: 1. paſtor: c. 10.

ſe peccatorémq; intelligit, cognitionem intimæ claritatis apprehendit. Si autem candorem ſibi juſtitiæ ſive ſapientiæ tribuit, â luce ſe ſupernæ cognitionis excludit, & eo claritatem veri luminis nequaquam penetrat, quo ſe apud ſe per arrogantiam exaltat.

Antonius Eremita in quodam Patrum conſeſſu ſingulos de ſcripturis interrogavit, & quiſq; ſecundùm ſuam intelligentiam reſpondebat. Sed Joſeph ultimo loco interrogatus reſpondit: *neſcio.* Et ait Sanctus Antonius: *hic ſolus viam ſciendi invenit, qui ſe neſcire reſpondit.* Non eſt ergo ſemper *neſcio, Aſinorum reſponſio.* Et beati ſunt tales aſini, quoniam per ſuam humilitatem & ſimplicitatem, veram â Deo ſapientiam conſequuntur. E contra ſapientes hujus mundi cum ſuperba ſua ſcientia â Deo reprobantur, & veram ſapientiam conſequi nunquam merentur, ad cujus conſecutionem viam ſternit humilitas, ſuperbia præcludit. *Puto multos potuiſſe ad ſapientiam pervenire*, inquit Seneca, *niſi putâſſent ſe perveniſſe.* Propheta quoq; Iſaias talibus væ inclamat: *væ*, inquit, *qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes.*

de tranquillit: cap: 1: Iſaia. 5.

Hanc ſtoliditatem ſuperbè ſapientium perbellè ſubſannat S. Cyrillus, Apologo Galli & vulpis, cui titulum præfigit *contra tumentes ex ſcientia.* Gallus, inquit, intelligens diſpoſitionem mutabilitatis cæleſtis, mox de ſua ſcientia tumidus, in arboris ramuſculum aſcendit, & erecto collo altâ voce cantavit; quem cùm vulpes audîſſet, ad ejus cantum quàm citiſſimè accurrit, & ſtans deorſum illum ſalutavit & dixit: *frater mi audivi vocem exultationis tuæ, quæſo cantationis cauſam indica mihi.* At ille protinus inquit, *nimirum intelligentiâ ſupernæ diſpoſitionis dotatus, eam cùm ſentio, ſtatim voce cantabili nulli invidus pango.* Tunc vulpes ſubridens ait; *ergo plenus es ſcientiâ, quæ eſt divinorum ſublimium diſciplina.* Quo audito gallus plus intumeſcens cantavit, móxq; vulpes ſaltavit. Cui ille deſuper: *ut quid ſaltâſti;* ipſa reſpondit: *quia tu priùs exultâſti, gaudere namq; cum gaudentibus licet.* Doloſitatis deinde rete exponens, verbis callidis adjunxit: *ô galle tu es gloria noſtra, tu es beſtiarum lætitia. Te nunc quæſo porrige ſi dignaris, ut oſculer mirum tuæ intelligentiæ caput.* At ille adulationis doloſæ ac melleæ linguâ emollitus, ſtatim vitale caput improvidus ori famelico porrexit, quod avida vulpes ſtringens, deorſum miſerum traxit, & ſubjunxit: *galle galle, ubi eſt ſapientia tua? concepiſti ſuperbiam, & perdidiſti*

lib:2.apol: cap: 15.

Digitized by Google

diſti prudentiam, & dediſti vitam tuam. Cui gallus: *quid gloriaris in malitia?* at illa reſpondit: *non eſt malitia humiliare ſuperbiam, ſed ars vera. Sidus namq; quantò ſplendidius, tantò demiſſius eſt; & quantò ſublimius, tantò apparet minus. Parvus oculus rimatur acutiùs, & in cauda vermiculi lucis clariſſima fulget decus. Porrò quid ſciviſti, ſi te ignorâſti? aut ſi noviſti, quomodo ſuperbîſti pulvis & cinis? quid plura? nulla major dementia eſt, quàm per ſcientiam cùm inflaris, perdere ſapientiam.* Quo dicto, ſtatim famelica ſuum ori ex præda officium dedit. Hæc S. Cyrillus.

Plurimi literatorum hoc ſuperbiæ morbo inſaniunt, ut mihi eſſe V.
videatur ipſis velut quarto modo proprius; adeóq; dum hoc erudito ſeculo doctorum plena ſunt omnia, non minùs illud Salomonis verificatur: *ſtultorum plena ſunt omnia.* Menecrates quidam Medicus, cùm deſperatæ quædam curationes ipſi feliciter ſucceſſiſſent, populari adulatione dictus eſt *Jupiter.* Hoc cognomento, vir arrogantis ingenij delectatus, inſolentiùs uſus eſt eo titulo. Tandem cùm & Ageſilao ſcriberet, nec veritus eſſet hac uti ſalutatione: *Menecrates Jupiter Ageſilao Regi ſalutem.* Rex eo offenſus proœmio, præterea nihil dignatus eſt legere, ſed reſcripſit in hunc modum: *Rex Ageſilaus Menecrati ſanitatem.* Precor & ego doctorum pluribus ſanitatem, qui dum ſibi multum altúmq; ſapere, mihi plurimùm deſipere ac inſanire videntur. Adeo generaliter hoc ſuperbiæ vitium literatis adhæret, ut Dionyſius quoq; dicere ſolitus ſit, ſe â ſapientibus amicis ſibi cavere, quando certum haberet; neminem ex his eſſe, qui non mallet imperare, quàm ſervire.

S. Apollonius, cùm in Eremo fuiſſet annis quadraginta in ſpiritua- VI.
libus exercitijs converſatus, vocem Dei cælitus delatam audiſſe legitur: *Apolloni per te perdam ſapientiam ſapientûm in Ægypto, & intellectum prudentium reprobabo; perdes autem mihi & eos, qui inter ipſos ſunt ſapientes Babylonis, & omnem culturam dæmonum ſubrues; perges ergo nunc ad loca habitabilia, generabis enim mihi populum ſubſtantialem, & perfectum, æmulatorem bonorum operum.* At ille reſpondens ait: *aufer â me Domine jactantiam, nè fortè elatus ſuper fratres meos, cadam ab omnibus bonis tuis.* Reſpondit ad eum rurſus divina vox: *mitte manum tuam ad cervices tuas, & quod comprehenderis conſtringe, & ſub arena ſubrue.* Ille ſinè mora, injectâ manu ad cervices ſuas, apprehendit quaſi parvulum quendam Æthiopem, & continuò ſubmerſit eum

ſub

Digitized by Google

ſub arena, clamantem & dicentem: *ego ſum ſuperbia dæmon.* Poſt hæc vox ad eum facta eſt: *perge nunc, omnia enim quæcunq; à Deo popoſceris conſequeris.* Rari ſunt hoc ævo mortales, qui literarum ſtudio ſe daturi, hunc humeris ſuis inſidentem, cervicibúſq; iminentem Æthiopem advertant. Petijt hunc ſibi auferri Apollonius tam ſanctæ rei daturus operam, & adversùs tumentem Sapientûm Babylonis ſpiritum depugnaturus. Quid illi facient Domine, qui inflantem illum Typhonicum ſpiritum non perſequentes, ſed nimiùm, neq; te auſpice captantes, ſuperbiæ dæmonem nutriunt? Quid illis reſtat? quàm quod ſapienter metuebat Apollonius, ut jactantiâ elati ſuper fratres ſuos, cadant ab omnibus bonis tuis.

lib:7. Confeſſ. c. 21. Agnovit hos ſuperbiæ latrunculos doctis inſidiantes D. quoq; Auguſtinus, dum viam periculoſam & inviam ſcientiæ ac ſuperbiæ, diſtinguit ab altera via ſecura, quæ eſt ſanctæ ſimplicitatis & humilitatis: *Aliud eſt*, inquit, *de ſylveſtri cacumine videre patriam pacis, & iter ad eam non invenire, & fruſtra conari per invia, circumobſidentibus & inſidiantibus fugitivis deſertoribus, cum principe ſuo leone & dracone; & aliud tenere viam illuc ducentem, curâ cæleſtis Imperatoris munitam, ubi non latrocinantur, qui cæleſtem militiam deſeruerunt.*

Serm: de vijs vitæ. *Exultaverunt gigantes Philoſophi*, ut ait D. Bernardus, non ad currendam viam rectam & ſimplicem humilitatis, ſed ad alterã lapidibus complantatam, & latronibus obſeſſam. *Exultaverunt ad quærendam vanam gloriam, & evaneſcentes in cogitationibus ſuis, non humiliati in virtutibus ſuis. Viam enim ſapientiæ neſciêrunt, neq; meminerunt ſemitarum ejus; non enim in Chanaan, neq; viſa eſt in Theman. Maledicti qui dixerunt Domino JESU: recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Viæ Dei ſunt viæ humilitatis, viæ ſecuritatis; viæ diaboli quas docti currunt, ſunt viæ ſuperbiæ, viæ plenæ periculorum, viæ difficiles, viæ lutoſæ, quæ incedentes per ipſas proſternunt. Vidit aliquando B. Antonius ſuper univerſam terram laqueos inimici extentos,& cùm ſuſpirans dixiſſet: quis hos poterit tranſire? vocem ad ſe dicentem audivit: *humilitas ſola pertranſit Antoni, quam nullo modo valent ſuperbi contingere.* * *Quid ergo ſuperbis ô homo, qui te ſciolum jactas?* inquit S. Bernardus, *vide quoniam beſtia factus es, cui venandæ laquei præparantur*, laquei omnino inevitabiles, niſi præſidio ſanctæ humilitatis.

Ambu-

Digitized by Google

Ambulabat aliquando per viam illam periculoſam & inviam S. Auguſtinus, typho generis humani adhuc inaniter tumens, diſcebat libros multiplicis ſcientiæ, in qua, ut ipſe ait, eminere cupiebat *fine damnabili & ventoſo, per gaudia vanitatis: garriebam*, inquit, *quaſi peritus, & niſi in Chriſto Salvatore viam quærerem, non peritus ſed periturus eram. Jam enim cœperam velle videri ſapiens, plenus pœnâ meâ, & non flebam, inſuper inflabar ſcientiâ. Ubi enim erat illa ædificans charitas à fundamento humilitatis?* Deplorat idem S. Doctor ſuâ ſe ſuperbiâ viam ſcripturæ penetrandæ ſibi præſtruxiſſe. *Loquor vobis*, inquit, *aliquando deceptus, cùm primò puer ad divinas ſcripturas, antè vellem afferre acumen diſcutiendi, quàm pietatem quærendi; ego ipſe contra me perverſis moribus claudebam januam Domini mei, quam pulſare deberem ut aperiretur, addebam ut clauderetur. Superbus enim audebam quærere, quod niſi humilis non poteſt invenire. Ego miſer, cùm me ad volandum idoneum putarem, reliqui nidum, & priùs cecidi quàm volarem; ſed Dominus miſericors, me, à tranſeuntibus nè conculcarer & morerer, levavit & in nido repoſuit.* Et alibi inquit: *Inſtitui animum meum intendere in ſcripturas ſanctas, ut viderem quales eſſent; & ecce video rem non compertam ſuperbis, neq; nudatam pueris, ſed inceſſu humilem, ſucceſſu excelſam, & velatam myſteriis, & non eram ego talis, ut intrare in eam poſſem, aut inclinare cervicem ad ejus ingreſſus; non enim ſicut modò loquor, ità ſenſi, cùm attendi ad illam ſcripturam, ſed viſa mihi eſt indigna quàm Tullianæ dignitati compararem, tumor enim meus refugiebat modum ejus, & acies mea non penetrabat interiora ejus; verumtamen illa erat quæ creſcebat cum parvulis, ſed ego dedignabar eſſe parvulus, & turgidus faſtu mihi grandis videbar.* Vides Lector ſuperbiæ detrimenta, quâ oculis literatorum offuſa, in veritatis cognitione miſeri cæcutiunt, & illa divini ſpiritûs parvulorum Doctoris à ſe dona avertunt, de quibus tamen, tanquam ea eſſent divinitus conſecuti, imò tanquam de propriis vanè ſuperbiendo gloriantur. Audiamus ulteriùs quid idem D. Auguſtinus alibi ſcribat, ità Deum alloquens: *magnus es Domine; & humilia reſpicis, excelſa autem à longè cognoſcis, nec propinquas niſi obtritis corde, nec inveniris à ſuperbis, nec ſi illi curioſâ peritiâ numerent ſtellas & arenam, & dimetiantur ſidereas plagas, & veſtigent vias aſtrorum; mente enim ſuâ quærunt iſta, & ingenio quod tu dediſti eis. Et mirantur hæc homines, & ſtupent qui neſciunt*

lib: 7. Confeſſ: c. 20.

Serm. 63. de diver:

lib: 3. Confeſſ: c. 5.

Confeſſ: lib: 5. c. 3.

Digitized by Google

unt ea, & exultant atq; extolluntur qui ſciunt, & per impiam ſuperbiam recedentes & deficientes â lumine tuo, tantò antè ſolis defectum futurum prævident, & in præſentia ſuum non vident; non enim religiosè quærunt unde habeant ingenium quo iſta quærunt, & invenientes quia tu feciſti eos, non ipſi dant tibi ſe, ut ſerves quod feciſti, & quales ſe ipſi fecerunt, occidunt ſe tibi, & trucidant exaltationes ſuas ſicut volatilia, & curioſitates ſuas ſicut piſces maris, quibus perambulant ſecretas ſemitas abyſſi. Sed non noverunt viam VERBUM *tuum, non noverunt hanc viam, quâ deſcendant ad illum â ſe, & per eam aſcendant ad eum; non noverunt hanc viam, & putant ſe excelſos eſſe cum ſideribus & lucidos, & ecce ruerunt in terram, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, & multa vera de Creatura dicunt, & Veritatem creaturæ artificem non piè quærunt, & ideo non inveniunt, aut ſi inveniunt, cognoſcentes Deum, non ſicut Deum honorant aut gratias agunt, ſed evaneſcunt in cogitationibus ſuis, & dicunt ſe eſſe ſapientes, ſibi tribuendo quæ tua ſunt.*

VII. Utinam hic typhus in cordibus Doctorum, quæ inflat, incluſus maneret, & non ſolutis nonnunquam retinaculis atq; habenis, etiam foras crebriùs erumperet. Doctis præcipuè inculcanda ſunt illa Divi Bernardi monita: *loquens nihil dicat, unde multùm eruditus, multúmve religioſus poſſit putari.* Et: *cùm loquitur, non ſtudeat eloquentiæ, ſed ſermo ejus ſit potiùs ruſticanus quàm urbanus.* Et: *nunquam pertinaciter aliquid affirmes vel neges, ſed ſint tuæ affirmationes & negationes dubitationis ſale conditæ.*

At quàm paucos horum monitorum ſequaces reperias inter eruditos. Pauci ex illis ſunt, quos idem D. Bernardus pluribus in locis non videatur depinxiſſe; ut dum de gradibus ſuperbiæ loquens aliquem ejuſcemodi jactabundum ſic deſcribit: *Eſurit & ſitit Auditores, quibus ſuas jactet vanitates, quibus omne quod ſentit effundat, quibus qualis quantúſq; ſit innoteſcat. Inventâ autem occaſione loquendi, ſi de literis ſermo exoritur, vetera proferuntur, & nova volant ſententiæ, verba reſonant ampulloſa, & verba collocutoris præſcindit imperfecta. Non curat te docere vel â te doceri, ſed ut ſcire ſciatur quid ſcit. Quod ſi de Religione agitur, ſtatim viſiones & ſomnia proferuntur; deinde laudat jejunia, commendat vigilias, ſuper omnia orationes exaltat, de patientia, de humilitate, & de ſingulis virtutibus pleniſſimè, ſed vaniſſimè diſputat, ut tu ſcilicet ſi audieris dicas, quòd ex abundantia cordis os loqui-*

quitur, & quòd bonus homo de bono theſauro ſuo profert bona. Primus in Conventibus reſidet, in conſiliis primus reſpondet, non vocatus accedit, non miſſus ſe intromittit, reordinat ordinata, reficit facta, quidquid ipſe non fecerit aut ordinaverit, nec rectè factum, nec pulchrè exiſtimat ordinatum; Judicat judicantes, præjudicat judicaturis. Si cùm tempus advenerit, non promoveatur ad Prioratum, ſuum Abbatem aut invidum judicat, aut deceptum. Quòd ſi mediocris ei obedientia injuncta fuerit, indignatur, aſpernatur, arbitrans ſe non eſſe minoribus occupandum, qui ſe ad majora ſentit idoneum.

Rara eſt in terris docta humilitas. *Cognitionem*, inquit Divus Bernardus, *facillimè ſequitur elationis tumor, ſi non reprimat timor.* *hom: 25.* Scientes libenter volunt videri, & ſapientes dici. Et communis illa inter *in Cant:* doctos verbo & opere perſonat ſententia:

Scire tuum nihil eſt, niſi ſcire tuum hoc ſciat alter.

Audent quoq; præſumptionem & arrogantiam ſuam defendere textu illo Eccleſiaſtici: *ſapientia abſcondita, & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſq;? melior eſt homo qui abſcondit ſtultitiam ſuam, quàm homo qui abſcondit ſapientiam ſuam.* *Eccli: 41.* Neſciunt verò ſapientiam hominis, per facta magìs, quàm per verba, aut ſi loquendum eſt, per verba humilia, non ambitioſa manifeſtari. Scripſit de ijſdem S. Gregorius: *arrogantes iſti, cùm ſcientiam arripiunt, nihil ſe accepiſſe æſtimant, ſi hanc eos occultam habere contingat. Nuſquam quippe ſuum gaudium niſi in ore hominum ponunt.* Et rurſus: *hanc partem ſuam omnis arrogans æſtimat, ſi ſcientiam non tam habeat, quàm oſtendat; quia nimirum omnes elati ſcientiam habere non appetunt, ſed oſtendere.*

Quid hìc de inobedientia eruditorum, ſuperbiæ filia differam, & quomodo juſſa majorum dijudicare ſoleant? raró ſibi ipſis ſapientes ab aliis regi humiliter patiuntur. Delicata ſatìs, imò nimis moleſta eſt hujuſcemodi obedientia, ſi tamen obedientia dicenda ſit, quam D. Bernardus explicat: *ſtatuta Seniorum ſtudioſius diſcutere, hærere ad ſingula quæ injunguntur, exigere de quibuſq; rationem, & malè ſuſpicari de omni præcepto, cujus cauſa latuerit; nec unquam libenter obedire, niſi cùm audire contigerit quod fortè libuerit, aut quod non aliter licere vel expedire monſtraverit, vel aperta ratio, vel indubitata authoritas. Non planè hæc illa eſt, quæ ex Regula traditur obedientia ſinè mora; diſputare profectò hoc eſt in faſtu cordis, non in auditu auris obedire.* *de præcep: & diſpens:* Sic tamen

men docti plerumq; obediunt, ſic in Religioſæ converſationis paradiſo de ligno ſcientiæ boni & mali, de quo ſolis Prælatis manducare permittitur, edere præſumunt; cùm tamen ſanxerit lex divina, ut quicunq; ſubditorum, quorum eſt obedire, non diſcernere, illud tetigerit, morte moriatur. Neq; curant illud Prophetæ monitum: *Audi Iſraël & tace*; Sed typho ſcientiæ inflati, ſuper omnes alios ſe præſumunt extollere, & vehementer perturbant ſacras Comunitates, in quibus plerumq; *plus prodeſt homo pacificus, quàm bene doctus.*

Thomas Kemp:

Jam ſupra vidimus, quàm parum fraternæ charitati, humilitati & concordiæ, vitæq; communi ſe accommodare ſoleant homines docti; & cum dolore ſæpius experimur verum eſſe illud S. Gregorij: *ſæpè dum quoſdam major ſcientia erigit, â cæterorum ſocietate disjungit; & quò plus ſapiunt, eò â concordia virtute diſipiſcunt.* Scientiâ ſuâ elati contemnunt alios, ſunt ſuperioribus ſuis graves & moleſti, ambiunt honores & primas cathedras. Dicebat quidam Religioſus, prout legitur in Revelationibus S. Brigittæ: *ego addiſcere volo artes liberales & ſcientiam, ad hoc, ut ex illa honorer, & dignitatem aliquam habere merear.* De hoc & ſimilibus Chriſtus Dominus S. Brigittæ dixit: *Judicabuntur ad pænas infernales in profundo Inferni, ſi ante mortem ſe noluerint corrigere.* Grande malum in Religionibus eſt hæc docta ſuperbia, quæ non tantùm plurimos in gehennam præcipitat, verùm etiam ſufficiens eſt, ut ipſas Religiones aliquandò funditus evertat. Verùm quid dico doctam ſuperbiam? cùm nulla hujuſmodi ſit dabilis ex ſententia S. Bernardi, qui poſtquam ſtultam ſuperbiam, vel ſuperbam ſtultitiam â tabernaculis juſtorum procul eſſe debere pronuntiavit, ſic pergit: *eſt autem omnis ſuperbia ſtulta, quamvis non omnis ſtultitia ſuperba; ſtultitia enim ſinè ſuperbia nonnunquam ſimplicitas invenitur, quæ ſi ignorat, forſan docibilis eſt: ſi nequit doceri, forſan eſt tractabilis.* Et infra: *bona voluntas etſi multùm ſit bruta, non tamen eſt deſerenda, ſed ſalutari conſilio ad laborioſam & actuoſam vitam tranſmittenda. Superba autem quamvis ſibi prudens videatur, dimittenda ſibi & abigenda. Si enim admittitur ſuperbus primâ die quâ ingreditur habitare, incipit leges dare.* * *Novitium prudentem*, ut alibi ait D. Bernardus, *incipientem ſapientem, omniáq; indagantem, in cella diu poſſe conſiſtere, in congregatione durare impoſſibile eſt. Stultus fiat ut ſit ſapiens, & in hoc ſit omnis ejus diſcretio, & hæc omnis ſapientia ejus ſit, ut in hac parte nul-*

paſtoral: cap: 23.

Tract: de vita ſolit:

Epiſt: ad ff. de monte Dei.

la

la ei ſit. Adeo invaluit occaſione ſcientiæ peſtilens hoc & generale malum inter mortales ſuperbia, ut etiam palæſtras ſcholáſq; virtutum occupet, verúmq; ſit hodie quod in vitis Patrum relatus quidam Eremi cultor deflebat: *os noſtrum dejejunio fætet, ſcripturas omnes didicimus, ex corde David conſummavimus, & quod Deus requirit, non habemus, ſcilicet humilitatem.* Scientiam quâ inflemur, ſolicitè indagamus, conſcientiam ædificandam negligimus. Sapientiam hujus Mundi ſive ſtultitiam potiùs ſectamur. *Valde interim vilis & parva, ac penè oblivioni tradita videtur vera cæleſtis ſapientia*, abſcondita ſcilicet ſub velo ſtultitiæ, *non ſapiens alta de ſe, nec magnificari quærens in terra.* Interim vera ſtat D. Laurentij Juſtiniani ſententia: *multi ſimplices & humiles cælos penetrant, nullus verò arrogans, quamvis omnium liberalium polleat ſcientiâ, ad cæleſte admittetur convivium; tantóq; gravioribus cruciabitur pœnis, quantò nequiùs donum Dei tractaverit.*

lib: 5: libell: 10. n. 91.

Kemp: lib. 3. c. 29.

de caſto connub: c. 14.

VIII. Pernicioſæ huic peſti quæ *inflat*, opponenda eſt charitas *quæ ædificat, & non permittit inflari* ſcientiam, teſte S. Bonaventurâ. *Cùm verò charitas ædificando non erigit, ſcientia inflando pervertit.* *S. Bonav:* * *Tunc ſcientia magna eſt & utilis, ſi charitate humilietur, ut ampliùs creſcat*, inquit S. Ambroſius, *temperatur enim â dilectione, ut non mera ſit, & inebriet ſcientem, ut ſe extollat. Sicut enim vinum non temperatum admixtione aquæ, mentem alienat, ità & ſcientia ſuperbum facit, niſi fuerit temperata.*

Sancti Angeli, quamvis rerum omnium naturalium ſcientiâ ſint præditi, nihil tamen illam æſtimant reſpectu charitatis. *Angelis bonis* inquit S. Auguſtinus, *omnis corporalium temporaliúmq; rerum ſcientia, quâ inflantur dæmones, vilis eſt, non quòd earum ignari ſint, ſed quòd illis fidei, quâ ſanctificantur, charitas chara ſit, præ cujus non tantùm incorporali, verùm etiam incommutabili & ineffabili pulchritudine, cujus ſancto amore inardeſcunt, omnia quæ infrà ſunt, & quod illud eſt non ſunt, ſeq; ipſos inter illa contemnunt.* Exclamat in hujus virtutis præconium S. Laurentius Juſtinianus: *ô præcelſa charitas! Virtutum radix, nutrix gratiæ, ſanctitatis Magiſtra, Religionis ſpeculum, ſtatera meritorum, nuptiale indumentum, filiorum hæreditas, cæli clavis, animæ pabulum, dulcedo mentis, fortitudo certantium, corona gloriæ, vitæ lumen, ſocia veritatis, conſors ſanctorum, Angelorum gaudium, legis compendium, paradiſus deliciarum. Tu decus Regium, præceptorum*

Civit: lib: 9. c. 22.

In feſto S. Andreæ.

rum plenitudo, cæleſte donum, omniúmq; delectabilium delectabile ſummum. Nempe ſinè te humana deficit virtus, naturale hebetatur ingenium, anima pes claudicat, fides deperit, præſumit inaniter ſpes, & fraterna dilectionis unitas diſſipatur.

Stephanus Cantuarienſis, ut nobis demonſtret quomodo ſcientia à charitate ſeu pietate debeat adjuvari, ne ſaluti animarum obſit, Joas Regis hiſtoriam ad propoſitum noſtrum ſcitè accommodat. Dicitur de Rege Joas in Regum hiſtoria, quòd fecerit rectum cunctis diebus Jojadæ Sacerdotis. *Joas* interpretatur memoria Domini, *Jojadas* dilectus Domini; memoria ergo Domini bonum facit, ſi ſit cum dilectione Dei, aliter non; hoc eſt quòd ſcientia cum dilectione ædificat, ſinè charitate ſiquidem inflat, ſicut Joas malum fecit & elatus eſt mortuo Jojada. Deinde dicit ſcriptura: *mortuo Jojada, Joas univerſum argentum quod potuit invenire in theſauris Domini miſit Azaeli Regi Syriæ.* Eodem modo (ait Stephanus) imbutus ſacris literis omnem ſcientiam mancipat Regi Syriæ, id eſt ſuperbiæ, niſi habeat ſecum Jojadam, id eſt dilectionem Domini; niſi ſit memor mandatorum Dei ad faciendum ea. Quid tandem? *ſurrexerunt autem ſervi ejus, & conjuraverunt inter ſe, percuſſerúntq; Joas.* Duo ſervi ſunt Mundus & caro, qui interficient te, liceat habeas memoriam Domini, & multa ſcias, niſi bene vivas, & Deum diligas. *Poſſunt multi multa ſcire*, inquit S. Laurentius Juſtinianus. *Aliqui de gubernatione Reipublicæ, diſpoſitione Regnorum, & ordinatione familiæ; quidam de motu Cælorum, ſtellarum curſu, elementorum qualitate, virtute herbarum, naturis animalium, proprietatibus rerum. Nonnulli de Elementis mundi, loquendi regulis, diviſionibus numerorum, dimenſionibus Cælorum, muſicarum cantilenarum rationibus; Alij de ſtatutis civilibus, ac decretorum definitionibus; quidam de differentiis virtutum, diſtinctionibus Angelorum atq; cæleſtium Secretis plurima didicerunt & indicaverunt cæteris. Verùm hæc quid quæſo ſcientibus proſunt, ſi abſq; charitate permaneant? Noli itaq; ô homo ſimpliciter laborare ut ſcias, ſed illa præſertim quæ te charitate repleant, & in charitate cuſtodiant, atq; ad ſumma & æterna veritatis notitiam provehant.*

4. Reg. 12.

de contemptu mundi.

Beata Virgo in S. Brigittæ revelationibus, ſcientiam ſtramini, charitatem autem tritico comparat; & doctorem, qui ſcientiam plùs humilitate diligit, dixit coram Deo apparere ſimiliorem aſino, quàm Magiſtro.

Digitized by Google

giſtro. *Tunc enim*, inquit, *vacua ſtramina maſticat, quæ ſcientiæ ſinè charitate comparantur, & deeſt optimum triticum, quod charitati comparatur.* Scimus quòd vacua ſtramina nihil vel parum nutriant; ex granis verò potiſſimum corpori nutrimentum accedat. Dimittamus ergo alijs paleas & ſtramina, nos grana eligamus, non ſoli cognitioni ſtudentes, ſed omne ſtudium in charitatis finem referentes cum S. Auguſtino Deum ità precante: *fac precor me Domine guſtare per amorem, quod guſto per agnitionem; ſentiam per affectum, quod ſentio per intellectum.* Sed de Doctorum ſcientiâ turgentium faſtu plura inferiùs. *Confeſſ: lib: 8.*

Si nullum aliud eſſet ſcientiæ nocumentum, hoc unicum ad ejus fugam & contemptum abunde ſufficeret, quòd gignat ſuperbiam, quâ nihil eſt inter vitia peſtilentius. Non immeritò S. Bonaventura, Matrem hanc ſuperbiæ Deo exoſiſſimæ, comparat fluvio torrido, turbido, tepido, & turgido, dum de illa ſic ſcribit:

Eſt fluvius torridus, exiccans flumina gratiarum;
Fluvius turbidus, obfuſcans ſplendores intellectuum;
Fluvius tepidus, tepefaciens amores affectuum;
Fluvius turgidus, tumefaciens expreſſiones affatuum.

Concludo cum D. Auguſtino: *evitando vivit anima, quæ appetendo moritur. Continete vos ab immani feritate ſuperbiæ, & â fallaci nomine ſcientiæ, ut ſint beſtiæ manſuetæ, & innoxij ſerpentes.* At quàm difficile eſt, ut ſcientiæ ſerpens innoxius reddi poſſit? repetam potiùs prima citationis verba: *Evitando vincit anima, quæ appetendo moritur.* *Confeſſ: lib: 13. c. 21.*

Aſſeritur doctas inflare ſcientia mentes,
Hinc ità doctorum corda ſuperba tument.
Sed vano atq; levi tantùm ſunt turgida vento,
Atq; nihil ſolidum cernitur unde tument.

APPENDIX,

De vano libros conſcribendi ſtudio.

NOn mediocriter quoq; ſuperbæ ſcientiæ typhus, inflans literatos, ſe in ſcriptione librorum exerit, dum nomina ſua operibus â ſe contextis præfixa magnificant, & vanam ſolummodo gloriam, laudémq; doctrinæ apud homines, laboribus ſuis in lucem datis aucupan- I.

Digitized by Google

Eccle: 12. pantur. *Faciendi plures libros*, inquit Eccleſiaſtes, *nullus eſt finis.* Quod veriſſimum eſſe comprobatur hoc præſertim erudito, librîſq; refertiſſimo ſæculo, quo, ut verbis Satyrici utar

Juvenal: Satyr: 7.

- - - - - - - tenet inſanabile multos
Scribendi cacoëthes, & ægro in corde ſeneſcit.

Quo, ut alius quidam cecinit:

Tot ſunt authores quot veris tempore flores,
Inde tot errores, quot habet natura colores.

Socrates roganti cur nihil ſcriptum ederet, reſpondit: *quia video chartam multò pretioſiorem, quàm ea quæ ſcribenda forent.* Ejuſdem animi fuiſſe ferunt Ariſtarchum & Favorinum, qui nihil ſcribere voluerunt. Quorum poſtremus etiam Plutarchum ſibi coævum taxavit, quòd tam multa ſcripſerit. Socrates præfatus, literas tantâ librorum ſupellectile traditas, peſtem credidit eſſe memoriæ, perturbationem quoq; ac confuſionem omnium diſciplinarum, cum jactura temporis, quod inutiliter perſæpe conſumitur, per tot circuitiones involutæ veritatis, quæ ſimpliciter ac breviter tradita faciliùs nitidiúſq; percipitur, nec tot tantíſq; codicibus eget, eam non tam illuſtrantibus, quàm obſcurantibus, multiplicato labore & dolore filijs Adam. Quod in Juriſprudentia veteri laudabiliter factum cernimus, quam pluſquam tricies centena millia verſuum, duóve librorum millia continentem, veram tunc memoriæ peſtem, & latum confuſúmq; chaos, ſapienter in breviſſimum numerum digeſſit Juſtinianus; idem aliis facultatibus & ſcientiis non minùs evenire optarem, quæ ſi reſectis inutilibus in anguſtias reſtringerentur, quàm claram & patulam, nullíſq; ſuperfluitatum ambagibus obvolutam, minimẽq; faſtidioſam nobis exhiberent veritatem.

II. Pulchrum cuiq; dat monitum S. Hieronymus, pro compreſſione typhi ſcientiæ, ad ſcribendum intempeſtivè prurientis: *Ne*, inquit, *ad ſcribendum citò proſilias, & levi ducaris inſaniâ; multo tempore diſce quod doceas.* Sed hodie contrarium accidit; quiſq; artis alicujus vel modicè gnarus, ſui nominis gloriâ titillatus proſilit ad ſcribendum, tanquam ars vel ſcientia ſole tali indigeret, aut indignis typo commentis legendo intendere prudens quiſq; dignaretur. Multiplicant quidem Codices, ſed fructum raró multiplicant, & magis nonnunquam feneſtras replent chartis, quàm voluminibus Bibliothecas.

Epiſt: ad Ruſt:

Auſonius.

Utilius dormire fuit, quàm perdere ſomnum
Atq; oleum.

Refe-

Referunt Origenem ſex millia librorum compoſuiſſe. A Mercurio Triſmegiſto plura quàm triginta ſex millia voluminum dicuntur conſcripta. Suidas quoq; refert quendam, qui χαλκέντερος eſt nominatus, quaſi æneis inteſtinis prædítus, ob aſſiduitatem lectionis & ſcriptionis; ultra ter mille quingentos libros ſcripſiſſe. Quidquid ſit, per nimium hujuſcemodi ſcribendi libros ſtudium, multùm ſe typhus generis humani in doctis videtur prodere. De qua ſcribendi prurigine aliquot pangamus verſiculos.

Ut eruditi tempus in longum ſui
Famam relinquant nominis, ſcribunt libros;
Hi ſunt eorum liberi, quibus operam
Studendo dederant, in quibus eorum dein
Memoria vivit & putatitius honor,
Sed & ſuperbus mentis elata typhus.

Subijcio & aliud epigramma, cui materiam dedit, non tantùm nominalis, ſed etiam realis *typhi* ac *typi* familiaritas & cognatio.

Non miror ſtudio authorum tot ſurgere libros,
Nam cognata ſimul ſunt typhus *atq;* typus.
Unica diſcrimen parit aſpiratio; quæris:
Cur? typhus *aſpirat ſemper habere* typum.

Quid hîc dicam de ſuppoſititijs ingeniorum partubus & furtis? ſunt enim quàmplurimi, qui aliena pro ſuis vendunt, & ex alienis laboribus famæ gloriam aucupantur. Eleganter ſimul ac verè ſcribit Daniel Bartolus in ſuo literati hominis charactere. *Si foret aliquis Archimedes, qui nôſſet in libris ſubtili oculo furtiva metalla & legitima inter ſe diſtinguere; ſi Ariſtophanes, qui linguam calleret mortuorum ex ore ſonantem viventium; ſi Cratinus, qui libros in equuleo diſtentos ſua compelleret fateri furta, ut fecit in Menandri poëmata, ex quibus furtorum compoſuit libros ſex; profectò nobis evidentius nihil foret, quàm eſſe Mercurium non minùs furandi quàm literarum Deum.* Abſtinendum eſt ergo non tantùm à furaci ſed etiam quocunq; alio ſuperfluo, & in vanæ præſertim gloriæ finem aſſumpto ſcribendi ſtudio.

Abſit tamen, ut omnem penitus ſcribendi & libros pariendi laborem vituperem; nam ipſa nobis ſacra deeſſent volumina, nec divina eloquia niſi tradita & confusè nota haberemus; niſi Moyſes, Salomon, Prophetæ, Apoſtoli, & Evangeliſtæ, quæ ſpiritu divino ſuggerente dice- III.

dicerunt, ſcriptis ſuis poſteritati tranſmiſiſſent. Scio facultates omnes & diſciplinas in libris potiſſimùm vivere, & omnia veterum monumenta non niſi ſcriptorum induſtriâ ad noſtram cognitionem perveniſſe. Scio laboribus plurimorũ multas ſcientiis faces accreſcere, neq; ignoro grandia SS. Patrum volumina, maximè Divi Auguſtini, de quo illud dici poteſt, quod ipſe de Varrone protulit; *Tam multa legit, ut aliquid ei ſcribere vacâſſe miremur. Tam multa ſcripſit, ut vix quicquam legere potuiſſe credamus.* Quapropter librariæ ſcriptionis opus indifferenter non vitupero, ſed intentionem potiſſimùm plurimorum, quibus ob famæ captationem ſolummodo, faciendi plures libros nullus eſt finis; quorum frequens meditatio, licet carnis ſit afflictio, honoris tamen & gloriæ pretio, mundóq; innoteſcendi cupidine delinitur; qui plerumq; nonniſi famam ſui nominis librorum ſcriptione aucupantur, útq; jam olim advertit Cicero: *in his ipſis libris quos ſcribunt de contemnenda gloria, ſua nomina inſcribunt.* Quòd ſi titulo anonymi opera ſua evulgare deberent, nunquam ad ſcribendum proſilirent, quibus proinde non magnopere diſplicet illud Decretum Concilij Tridentini, ut *nulli liceat imprimere, vel imprimi facere quoſvis libros de rebus ſacris ſinè nomine Authoris,* imò non curarent illud ad profanos etiam libros extendi.

Cicero in Tuſculan:

Seſſ: 4.

IV. Sed objicies me in eoſdem vanæ gloriæ caſſes incidiſſe. Concilium enim Tridentinum ſolummodo præcepit, ut libris qui de rebus ſacris tractant, Authorum nomina præponerentur.

Aut ergo ſacer eſt generis humani typhus,
Quem ferme ſolum tractat hic præſens liber,
A fronte ſcriptum nomen Authoris gerens,
Sícq; vituperiis temerè proſcindo ſacra.
Si res profana eſt, gloriæ vanæ datur,
Quod nulla dum neceſſitas legis jubet,
Author ſuum præfixerit nomen libro.

Reſponſum Authoris.

Res eſt profana generis humani typhus,
Sed præter ipſum plura tractari vides
Minimè profana; perſeqvor mundi typhum,
At verò ſacram prædico ſapientiam,

Quam

Digitized by Google

Quam veritas Divina ſectari jubet.
Præconia ejus calamus ulterior dabit.
Nec prædicari cupio ab humano die.
Nec judicari timeo ab humano die.
Intentiones omnium novit DEUS,
Secreta quarum prodet extremus dies.

CAPUT XXIII.

Docti multa ſcientes ſeipſos neſciunt.

SCientiam mundanam & faſtuoſam, inutilem & perniicioſam, optimè mihi videtur expreſſiſſe fabuloſa illa Sphinx apud Thebas, cujus caput & manus puellæ, corpus canis, alæ avis, vox hominis, ungues Leonis, cauda draconis ſimilitudinem referebant. Dicta verò eſt Sphinx à græco quodam vocabulo, quod ſtringere ſeu vincire ſignificat, quia ſcilicet ſcopulo cuidam inſidens, homines prætereuntes, inſolubili cujuſdam ænigmatis propoſitione ſtringebat, ità ut ſe expedire non poſſent, & quotquot illud diſſolvere non poterant, unguibus & alis interficiebat. Ænigma verò fuit hujuſmodi: *quodnam animal manè quadrupes, meridie bipes, veſperi tripes eſſet.* Tranſivit aliquando Sphingis manſionem OEdipus, cui cùm ænigma ſuum propoſuiſſet, ille nodum acutè diſſolvit dicens: animal illud eſſe hominem, qui in infantia manibus & pedibus repit, factus vir nullo alio quàm duorum pedum adminiculo nititur, ingraveſcentibus annis cum ſcipione gradiens tripedem repræſentat. Hanc ſolutionem Sphinx tam ægrè tulit, ut ſe de ſaxo præcipitârit. I.

Hæc omnia ſcientiæ humanæ conveniunt. Inprimis nomen Sphingis eidem commodè aptari poteſt, nam inſolubilibus nodis mortalium ingenia ſtringit; Caput habet & manus puellæ, quia homines formoſæ inſtar puellæ in fatuum ſui amorem allicit & provocat, ſed malignitatem ejus, noxam & virulentiam prodit cauda draconis, & ungues Leonis, quibus amatores ſuos vulnerat atq; interficit. Alas habet avis, quia fugax eſt & volatilis, corpus canis, quia ſicut hoc pilis, ſic illa multis ſuperfluis & excrementitiis ſcatet materiis, vocem deniq; hominis, quia per illam potiſſimùm ſe prodere ſolet atq; jactare. Inſidet ſublimi

Digitized by Google

ſcopulo, quia celſitudinem amat, & propinqua ſolet eſſe caſibus & præcipitijs. Inſtrumenta quibus homines interficit ſunt ungues & alæ, hoc eſt acutæ & curioſæ ingeniorum ſubtilitates, ac præſumptuoſa mentium elatio. Hæc pericula non meliùs atq; ſecuriùs quis præcavet, quàm ſi illam ejúſq; ſcopulum devitet. Quòd ſi tamen illam quis adire velit, atq; ab ejus noxa & feritate immunis recedere, neceſſarium eſt ante omnia, ut ſciat quid ſit illud, quod manè quadrupes, meridie bipes, veſperi tripes graditur, hoc eſt: *quid ſit homo*: ſive noſcat ſemetipſum,& naturæ ſuæ vilitatem atq; infirmitatem. Quod ſi noverit, non illum ſcientia in interitum præcipitabit, ſed ipſa ex prærupto elationis ſcopulo ad humilitatis petram ſalubriter allidetur. Morietur vana & arrogans ſcientia, orietur autem vera & ſalutaris ſapientia, quæ ſui cognitionem neceſſariò præſupponit.

II. *de inter: domo c. 26. Laurent: Juſtin: de humilit: cap: 5.* *Neceſſe eſt ut cognitio ſui ipſius præcedat ſcientiam noſtram*, inquit S. Bernardus. *Multa ſunt ſcientia hominum, ſed nulla melior eſt illâ quâ cognoſcit homo ſeipſum.* * *Quâ profectò cognitione nil melius, nil utilius, nil ſecurius, nil excellentius, nihilq; in Conditoris donis æſtimandum eſt charius. Quid oro prodeſt ſcire curſus ſiderum, herbarum vires, vim ventorum, ſpecies jumentorum, naturæ ſecreta, & ignorare ſe? Horum quidem ſcientia inflat, ſed ſuimet ædificat primùm ſe, deinde cæteros. Laudabilior eſt animus*, teſte D. Auguſtino, *cui nota eſt infirmitas propria, quàm qui eâ non perſpectâ, mœnia mundi, vias ſiderum, fundamenta terrarum, & faſtigia Cælorum ſcrutatur.* Hanc ſui notitiam veram eſſe ſapientiam Apollinis Delphici edocta oraculo tota ſenſit vetuſtas; at non invenitur inter alias ars iſta præ cæteris liberalis.

S.Bernar: Medit: c. 1. *Multi multa ſciunt, & ſeipſos neſciunt.* Judicant de omnibus Creaturis, mundum diſputationi ſuæ à Deo traditum curioſè diſcutiunt, ſe tamen ipſos prætereunt & ignorant, & falſiſſima de ſe præſumptuoſè judicantes in cogitationibus ſuis evaneſcunt. Sic mortales infatuat ſcientia illa diabolica, mentem inflans & tumidam reddens ſuperbiâ, quæ ut *trabs quædam in oculo grandis eſt, & groſſâ quadam corpulentiâ ſui oculum mentis obſcurans, veritatem obumbrans; ità ut ſi tuam occupaverit mentem, jam tu te videre, jam te talem qualis es, vel qualis eſſe potes, non poſſis ſentire; ſed qualem te amas, talem te vel putes eſſe, vel ſperes fore.* Aperi quiſquis multa videre & intelligere appetis mentis oculum, excute hanc trabem *à facie conſiderationis tuæ, occurret tibi*

S. Bernar: de gradu humil: & ſuperbia.

homo

homo nudus, & miſer & miſerabilis, homo dolens quòd homo ſit, erubeſcens quòd nudus ſit, plorans quòd natus ſit, murmurans quòd ſit. * *Quid in omnibus es prudens, & circa te ipſum inſipiens?*

S. Bernar: de conſide. lib: 2.

Tecum habita, & nôris quàm ſit tibi curta ſupellex.

Idē Ser: de miſer: hu:

Idem de inter: domo. c. 66.

* *O cuſtos cordis relinque cætera, & teipſum diſcute, per te curre, & in te conſiſte, â te incipiat cogitatio tua, & in te finiatur, nec fruſtra in alia extendaris te neglecto. Præter ſalutem tuam nihil cogites, quoniam in acquiſitione ſalutis tuæ, nemo eſt tibi germanior, nemo propinquior te ipſo. Si verò aliquid cogitationi tuæ ſe offerat, quod non quoquo modo ad tui ipſius ſalutem pertineat, illico reſpue & expue, ut te ſemper poſſis inſpicere, & de cognitione tui venire ad cognitionem Dei. Neſcit quid de ſpiritu Angelico, quid de ſpiritu divino ſentire debeat, qui ſuum priùs non recogitat; nihil rectè exiſtimat qui ſeipſum ignorat. Si nondum es idoneus intrare ad te ipſum, quomodo ad illa intranda idoneus eris, quæ ſunt infra vel ſupra te ipſum? Si nondum dignus es intrare tabernaculum primum, quâ fronte præſumis intrare tabernaculum ſecundum, hoc eſt in ſancta ſanctorum? ſi nondum moliri potes greſſus altos, ut cum Domino JESU, vèl ſaltem cum Moyſe aſcendas in montem excelſum, quâ præſumptione paras volare in Cœlum? priùs redi ad te, quàm rimari præſumas quæ ſunt ſupra te. Priùs ſol ortûs ſui confinia irradiat, quàm ad altiora conſcendat. Primum ergo eſt ut redeas ad te ipſum, intres ad cor tuum, diſcas æſtimare te ipſum & ſpiritum tuum. Diſcute quid ſis, quid fueris, quid eſſe debueris, quid eſſe poteris, quid fueris per naturam, quid modo ſis per culpam, quid eſſe debueris per induſtriam, quid adhuc eſſe poteris per gratiam.* * *Stude cognoſcere te, quia multò melior & laudabilior es ſi te cognoſcis, quàm ſi te neglecto cognoſceres curſus ſiderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, & haberes omnium cæleſtium & terreſtrium ſcientiam.* * *Noveris licet omnia myſteria, noveris lata terræ, alta cæli, profunda maris, ſi te neſcièris, eris ſimilis ædificanti ſinè fundamento, ruinam non ſtructuram faciens. Quidquid extruxeris extra te, èrit inſtar congeſti pulveris ventis obnoxium. Non ergo ſapiens qui ſibi non eſt ſapiens. Qui ſibi ſapiens erit, bibet de fonte putei ſui primus ipſe. A te proinde incipiat tua conſideratio, non ſolùm autem, ſed & in te finiatur, quocunq; evagatur, ad te revocaveris eam cum ſalutis fructu. Tu primus tibi, tu ultimus; ſume exemplum de ſummo omnium Patre, VERBUM*

Idem meditat: c. 5:

Idem de conſider: lib: 2.

ſuum & emittente & retinente. Verbum tuum conſideratio tua, quaſi procedit non recedat, ſic progrediatur ut non egrediatur, ſic exeat ut non deſerat. * *Volo proinde animam*, inquit idem D. Bernardus, *primò omnium ſcire ſe ipſam, quòd id poſtulet ratio & utilitatis & ordinis. Et Ordinis quidem, quoniam quod nos ſumus primum eſt nobis; utilitatis verò, quia talis ſcientia non inflat ſed humiliat, & eſt quædam ad ædificandum præparatio. Nam niſi ſuper humilitatis ſtabile fundamentum ſpirituale ædificium ſtare minimè poteſt. Porro ad ſe humiliandum nihil anima invenire vivacius, ſeu accommodatius poteſt, quàm ſi ſe in veritate invenerit, tantùm non diſſimulet, non ſit in ſpiritu ejus dolus, ſtatuat ſe ante faciem ſuam, nec ſe à ſe avertere abducatur: Nonne ità ſe intuens, clarâ luce veritatis inveniet, ſe in regione diſſimilitudinis, & ſuſpirans miſera, quia jam latere non poterit, quòd verè miſera ſit, nonne cum Propheta clamabit ad Dominum: in veritate tua humiliâſti me? nam quomodo non verè humiliabitur in hac vera cognitione ſui, cùm ſe perceperit oneratam peccatis, mole hujus mortalis corporis aggravatam, terrenis intricatam curis, carnalium deſideriorum fæce infectam, cæcam, curvam, infirmam, implicitam multis erroribus, expoſitam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille ſuſpicionibus obnoxiam, mille neceſſitatibus ærumnoſam, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes; unde huic jam extollentia oculorum? Unde levare caput? nonne magìs convertitur in ærumna ſua dum configitur ſpinâ?*

Idem hom: 39. in Cant:

Hæc omnia D. Bernardus, ſolicitus atq; ſtudioſus cordis ſui cuſtos, inſpector, & perveſtigator, altum humilitatis & cognitionis propriæ demittens fundamentum, priuſquam ædificium ſapientiæ ſuperſtrueret; quem meritò & conſultiſſimè ſequantur omnes, quotquot in alto ſcientiarum apice ſunt conſtituti ac de caſu periclitantur, niſi humilitatis ope fuerint ſolidati. DEUS enim eſt qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, & ut D. Auguſtinus ait: *intonat ſuper ambitiones ſæculi, & contremiſcunt fundamenta montium.* Qui apud Divum Bernardum, hominem quemcunq; in omnibus ſapientem, ſibíq; ipſi inſipientem, in rerum non neceſſariarum inveſtigatione lyncem, in ſui cognitione talpam, alta ſcrutantem, ſui oblitum, ſuperbiæ ac ſcientiæ vanæ typho inflatum ſic alloquitur: *ô homo ſi te videres, tibi diſpliceres, & mihi placeres; ſed quia te non vides, tibi places & mihi diſpli-*

S. Bernar: lib: 3. de inte: dom:

ces; veniet tempus, cùm nec mihi, nec tibi placebis; mihi, quia peccâſti; tibi, quia in æternum ardebis.

III. Effectus cognitionis ſui, ut vidimus, eſt ſui diſplicentia & vilipendentia, mentis demiſſio & humiliatio, quam DEUS â nobis Principaliter exigit. S. Gregorius illam Eccleſiaſtæ ſententiam aſſerentem, *quòd in multa ſapientia multa ſit indignatio, & qui addit ſcientiam addat & dolorem,* ſic ad propoſitum noſtrum explicat: quòd ſapiens ſeipſum bene cognitum habens & perſpectum, dum ſua peccata, de quibus etiam propitiatis non debet eſſe ſinè metu, contemplatur, & innumeros quibus ſe novit eſſe ſubjectum, animæ defectus & fragilitates ſecum perpendit, multùm contra ſe indignetur, & ſeverè puniat in ſe atq; reformet, quæ videt Regulæ virtutum eſſe difformia, & divinæ Majeſtati diſplicere. Conſiderans etiam gehennæ ſupplicia quæ promeruit, & cæli præmia, in quibus promerendis parum eo uſq; laboravit, quantò magìs hæc omnia diſpicit, tantò màgis doleat, & cum lacrymis deploret ſuam negligentiam, miſeriam, & vilitatem. Quod tametſi non fiat ſinè aliqua mentis amaritudine, fit tamen magno cum animæ fructu; Quantóq; major eſt illa indignatio, & dolor ex vera ſui cognitione conceptus, tantò majorem illi favorem & gratiam divini Numinis conciliat.

Eccle: 1.

Hom: 10. in Ezech:

S. Laurentius Juſtinianus, poſtquam docuiſſet ad veræ doctrinam ſapientiæ aſcendere cupientem, ut per humilitatis incedat exercitia, ità illum ad ſui cognitionem hortatur, per quam ad hauriendos divini luminis radios mentem diſponat. *Agnoſcat ſe per ſe, quàm videlicet ſit in natura infirmus, deformis in moribus, in vitia proclivis, &c. Hæc ſi ignoraverit, æterni Regis gloriam uſurpabit, ſe aliquid ſcire arbitrans, cùm ſciat nihil. Utiq; nihil ſcire convincitur, qui ſui ignarus de Divinitatis ſcientia multa ſcire videtur. DEUM ſcire non valet qui ignorat ſe. Ordinatiſſima veræ ſcientiæ Regula hæc eſt, ut homo priùs ſe, deinde DEUM agnoſcere ſtudeat. Hoc teſtimonio ſuo Propheta confirmans ait: mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me. Redeat igitur ad ſe, & in cordis ſui domicilio conquieſcat, qui ſapientiâ imbui concupiſcit. Se compunctione & lacrymis, atq; virtutum colluvione detergat, quatenus humilitatis Magiſterio perfectam ſuimet valeat habere notitiam. Hanc dum adeptus fuerit, fugatis ignorantiæ tenebris, lumen percipiet non Solis viſibilis, ſed æternæ ſapientiæ, quæ radiis ſuis Electorum omnium mentes illuſtrat.*

Proœm: in faſc: amoris.

Concludo cum Thoma Kempenſi: *Hæc eſt altiſſima & utiliſſima lectio:*

de imitat: Chri: lib: 1. c. 2.

Digitized by Google

lectio: ſui ipſius vera cognitio & deſpectio; de ſe ipſo nihil tenere, & de aliis ſemper bene & altè ſentire, magna ſapientia eſt & perfectio.

Novimus è terra mortales eſſe creatos,
Inde ſuam ſtirpem natio noſtra trahit.
Eſt humus omnis homo, quamvis incognitus ipſe
Sit ſibi, & ignoret quæ ſit origo ſui.
Ingenio petit alta ſuo, ſe negligit ipſum,
In multis doctus, neſcius ipſe ſui eſt.
Jam ſcio cur oculis doctos conferre ſolemus,
Quod pro magno equidem nomine laudis habent;
Namque oculus circum ſeſe licet omnia cernat,
Se tamen intuitu præterit ille ſuo.
Eſto tamen doctus reputet ſe multa videre,
Nil cernit, ſi ſe non videt eſſe nihil.

CAPUT XXIV.

De indocilitate, ac pertinacia literatorum.

I. CUm quidam Auriga currum oleribus plenum in quodam colliculo effudiſſet, capitibus hinc inde per declivia quaqua verſum decurrentibus pronuntiâſſe fertur: *quot capita tot ſenſus.* Experimur hoc eſſe veriſſimum in noſtris ſcientiis, quot enim ſunt Philoſophorum capita, tot ſunt Philoſophiæ, quot ſunt Theologi tot Theologiæ; & quamvis omnes eodem ſint præditi mentis oculo, unus tamen ſic, alius ſic rem videt, quod unus probat, alter reprobat. *Difficile, imò impoſſibile eſt placere omnibus*, ait S. Hieronymus, *nec tanta vultuum quanta ſententiarum varietas eſt. Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundat.* Conſideremus quantâ non ſententiarum varietate, in unica civitate Athenienſi inter ſe pugnaverint Philoſophi, ut ſtudioſè obſervat S. Auguſtinus: *nonne*, inquit, *apud Athenas & Epicurei claruerunt, aſſerentes res humanas ad Deorum curam non pertinere, & ſtoici qui contraria ſentientes eas regi atque muniri Diis adjutoribus atque tutoribus diſputabant? unde miror cur Anaxagoras reus factus ſit, quia ſolem eſſe dixit lapidem ardentem, negans utique DEUM, cùm in eadem Civitate gloriâ floruerit Epicurus, vixeritque ſecurus, non ſolùm ſolem vel ullum ſide-*

S. Auguſtinus de Civit: lib: 18. c. 41.

ſiderum Deum eſſe non credens, ſed nec Jovem, nec ullum Deorum omnino in mundo habitare contendens, ad quem preces hominum, ſupplicationéſq; perveniant. Nonne ibi Ariſtippus in voluptate corporis ſummum bonum ponens, ibi Antiſthenes virtute animi potiùs hominem fieri beatum aſſeverans, duo Philoſophi nobiles, & ambo Socratici, in tam diverſis atq; inter ſe contrarijs finibus vitæ ſummam locantes, quorum etiam ille fugiendam, iſte adminiſtrandam ſapienti dicebat eſſe Rempublicam, & ad ſuam quiſq; ſectam ſectandam diſcipulos congregabat? Nempe palàm in conſpicua & notiſſima porticu, in gymnaſiis, in hortulis, in locis publicis ac privatis catervatim pro ſua quiſq; opinione certabant. Alij aſſerentes unum, alij innumerabiles mundos; ipſum autem unum, alij ortum eſſe, alij verò initium non habere, alij interiturum, alij ſemper futurum; alij mente divinâ, alij fortuitò & caſibus agi; alij immortales eſſe animas, alij mortales; & qui immortales, alij in beſtias revolvi, alij nequaquam; qui verò mortales, alij mox interire poſt corpus, alij vivere etiam poſtea, vel paululum vel diutius, non tamen ſemper; Alij conſtituentes in corpore finem, alij in animo, alij in utroq; alij extrinſecùs poſita etiam bona ad animam & corpus addentes; alij ſenſibus corporis ſemper, alij non ſemper, alij putantes nunquam eſſe credendum. Has & alias pene innumerabiles diſſenſiones Philoſophorum, quis unquam populus, quis ſenatus, quæ poteſtas vel dignitas publica impiæ Civitatis, dijudicandas, & alias probandas & recipiendas, alias improbandas repudiandáſq; curavit, ac non paſſim, ſinè ullo judicio confuséq; habuit in gremio tot controverſias hominum diſſidentium, non de agris & domibus, vel quacunq; pecuniaria ratione, ſed de hìs rebus, quibus aut miſerè vivitur, aut beatè? ubi etſi aliqua vera dicebantur, eâdem licentiâ dicebantur & falſa prorſus, ut non fruſtra talis Civitas myſticum vocabulum Babylonis acceperit. Babylon quippe interpretatur confuſio.

Non minor eſt noſtris ſæculis in Authorum ſententijs confuſio. Nec parva tantùm, ſed & maxima ingenia diſconveniunt, imò hæc quamplurimùm; plures enim rationes alijs incognitas pro & contrà vident, & majori ducuntur æmulatione. Hæc opinionum diſconvenientia, Chriſtianam & Religioſam pacem non parum interturbat. Scribit Mauritius de villa nova, fuiſſe fratrem quendam valde religioſum tempore Innocentij IV, qui cùm ſuper quendam dæmoniacum devotè oraret, cæpit diabolus clamare per os ejus: *ô quot mala mihi facitis vos prædica-*

dicatores & Minores, ſed brevi nos vindicabimus de vobis. Tunc ipſum frater ille per crucifixum adjuravit, ut diceret quomodo ſe vindicaturi eſſent, qui reſpondit: *duo de magnis principibus noſtris exiêrunt contra vos, unus ut Prælatos & Principes concitet contra vos, alius ut vos mutationibus locorum, & ædificiorum, & librorum, & opinionum impediat & perturbet.* Mutatio ergo, ſive varietas opinionum computanda eſt inter cætera diaboli inſtrumenta, quibus ordines ſacros labefactat; diſſenſionem namq; mentium facilè conſequitur diſſenſio & diſcrepantia voluntatum, quarum unio ubi deeſt, perit anima Religionis.

II. Diſquirenda jam nobis eſt cauſa tantæ doctorum hominum in ſententijs diſcordiæ, unde etiam ratio poterit elici, cur homines docti propugnent aliquando ſententias minimæ probabilitatis, & nulla ferè ſit abſurditas, quæ non aliquem inter ipſos patronum ſortiatur. Cauſa hujus rei principalis eſt ipſorum indocilitas. Oportet verò Doctorem & quemcunq; Dei ſervum eſſe *docibilem*, ut vult Apoſtolus. *Non* enim *poteſt eſſe doctor niſi ſit docilis*, S. Cypriano id atteſtante, hoc eſt, niſi aliorum quoq; doctrinas & ſententias libenter audiat, paratus à quocunq; veritatem doceri, & juxta illud ejuſdem Apoſtoli monitum, *omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Nihil reprobet priuſquam probet, hoc eſt priuſquam rationes aſſerti abſterſo mentis oculo pro & contra dijudicet. *Nihil tam incredibile eſt*, inquit Caſſiodorus, *quod non diſcendo fiat probabile.* Nullum quoq; contemnat, quamvis minori ſcientiâ inſtructus eſſe videatur;

2. Tim: 2.

1. Theſal. 5.

Sæpe etenim eſt olitor verba opportuna locutus.

Sed contrarium ordinariè contingit, & multis doctoribus nihil in humano genere pertinacius eſt & indocibilius, perſuaſum enim ſibi habent omnia ſe jam comprehendiſſe, & nullibi meliùs, quàm in ſuo intellectu lucere ſolem veritatis. Hinc ſi aliquid audiêrint aut legerint, quod illorum ſententijs contrarietur, illico tanquam falſum reijciunt, ipſóq; auditu aut lectione indignũ reputant, aliorũ veriſſima quandoq; theoremata, quorum rationes non aſſequuntur, mordaciter & ſcommaticè traducunt & cenſurant, ſua verò commenta volunt haberi pro divinis oraculis. *Hi ſunt*, inquit S. Bernardinus, *qui tanto amore amplectuntur phantaſias, errores, atq; opiniones ſuas & ſectas, ut de contrariis nedum audire, vel etiam cogitare velint; tantóq; odio averſi ſunt à contrariis errorum ſuorum, ut ea nec reſpicere quodammodo poſſint.* Tales Philoſo-

ſer: 2. poſt. 3. Dom. quadr.

loſophaſtri & Theologaſtri eſto ſibi videantur eſſe doctiſſimi, meo tamen judicio inter Theſſalos & Bœotos, Inter Gentis Arcadicæ rudentes, ſive aſinos cum puncto ſunt numerandi, ſtultorum ſaltem non ſapientûm nomine compellandi, & mittendi Anticyram ubi bonus creſcit helleborus. Eſt enim proprium ſtulti, ut non recipiat *verba prudentiæ, niſi ea dixeris quæ verſantur in corde ejus*, alia omnia cenſuret & cavilletur, ideóq; ad viam veritatis nunquam poſſit converti. Scriptum enim eſt ab Eccleſiaſtico: *Homo aſſuetus in verbis improperij, in omnibus diebus ſuis non erudietur.* Paſſus eſt non paucos ejuſmodi ſuperciliosos & malevolos contradictores S. Hieronymus, quibus ſequentia inculcat: *legant priùs, & poſtea deſpiciant; ne videantur non ex judicio, ſed ex odij præſumptione ignorata damnare.* *Proverb. 18.* *Eccli. 23.* *Præfat: in Iſaiam.*

III. Nunquam deerunt candido & ſolicito veritatis indagatori ſcioli ſimiles & præſumptuoſi, qui verbis ejus ogganiant, & antequam ſciant quid loquatur, ſenſa ipſius rideant & explodant, quibus dicere poſſit cum Job: *ad increpandum tantùm eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis.* * *Ergo vos eſtis ſoli homines, & vobiſcum morietur ſapientia?* * *Intelligite priùs, & ſic loquamur.* * *Poſt mea ſi videbitur verba ridete.* * *Quare detraxiſtis ſermonibus veritatis?* * *Reſpondete obſecro abſq; contentione, & loquentes id quod juſtum eſt judicate.* * *Carpere vel detrahere vel imperiti poſſunt*, inquit S. Hieronymus, *doctorum autem eſt, & qui laborantium novêre ſudorem, vel laſſis manum porrigere, vel errantibus iter oſtendere*, non cavillari. *Job. 6.* *Ibidē 12.* *c. 18.* *c. 21.* *c. 6.* *Ibidē 16.* *In cap. 4. Jonæ.*

Cùm Paulus Athenienſibus Philoſophis extremæ Reſurrectionis veritatem annuntiaret, quidam eorum vocaverunt ipſum *Seminiverbium*, alij *novorum dæmoniorum annuntiatorem.* Non fuit tamen in eis tanta præſumptio & indocilitas, quanta in ſæculi noſtri doctoribus, etſi captu illorum incomprehenſibilia & creditu difficillima prædicaverit. Quidam enim ex ipſis illum ad Areopagum duxerunt dicentes: *poſſumus ſcire, quæ eſt hæc nova quæ à te dicitur doctrina? nova enim quædam infers auribus noſtris; volumus ergo ſcire quidnam velint hæc eſſe.* Cùm verò audiſſent reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt; *audiemus te de hoc iterum.* Rem difficilem & paradoxam ſibi propoſitam ſæpius audire non dedignantes, & veritatem ejus à Paulo edoceri non detrectantes. *Cauſam*, inquit Job, *quam neſciebam, diligenter inveſtigabam.* *Act: 17.* *Job. 29.*

In cap. 21. lib. 18. S. Aug. de civit. Dei

Ea res tranſverſos agit quamplurimos ſcriptores, inquit Ludovicus Vives, *aſſertq; in diſciplinas memorabiles errores & pernicioſos, dum mavult quiſq; Author eſſe ſuæ ſententiæ, quàm aſſertor alienæ. Cæci non vident quanta ſit laus & paruiſſe bene monenti, & benedicenti aſſenſiſſe. Hominem novi, non tam doctum, quàm arrogantem jactabundúmq;, qui ſe & ſcripturum multa profitebatur, & non ſecus vitaturum quæ quis antea dixiſſet, quàm aſpides, & Baſiliſcos; longè enim malle ſe ſcientem prudentémq; falſum pro vero affirmare, quàm alienæ opinioni acquieſcere.*

1. Petri. 2.

Monet Princeps Apoſtolorum: *ſicut modò geniti infantes, rationabile ſinè dolo lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem.* Quod non tantùm de lacte rudimentorum fidei, ſed etiam de lacte alterius cujuslibet doctrinæ intelligendum eſt, ad cujus ſaporem dijudicandum non debemus accedere *cum dolo* ſive animo reprobandi & contradicendi. Et ſicut infantes modò geniti nullo pravo ſenſu præoccupatum habent intellectum, eſt namq; mens illorum quaſi tabula quædam raſa, in qua quidlibet inſcribi & ſculpi poteſt, ità ſimiliter candidi & ſynceri veritatis indagatores, ad dijudicandum quaslibet ſententias debent accedere, quaſi nihil contrarium ante didiciſſent, & more integerrimorum Judicum nihil inauditum condemnare, multò minùs ideo condemnare, quia priùs non fuit auditum, quod tamen ſæculi noſtri Philoſophis eſt perquam familiare, qui præconceptis ſuis imaginationibus ità pertinaciter adhærent, ut non capiant, imò capere nolint quodcunq; primitus non didicerunt. Quorum erroneæ menti difficillimè veritatem perſuadebis, nimirum:

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

Et: *Quod nova teſta capit, inveterata ſapit.*

Difficulter eraditur quod rudes anni biberunt, teſte Sancto Hieronymo.

IV. Magnum etiam præſtant impedimentum dijudicandæ veritatis humanæ paſſiones & pravi affectus, qui mentis oculum heterogeneo colore inficiunt, ut ſicut ictericis omnia flava, ophthalmicis verò rubra ſpectantur, ità ipſis objecta non videantur qualia ſunt, ſed qualia eſſe affectus contendit. *Non facilè capit intellectus quod abhorret affectus*, teſte S. Gregorio. Et *perit omne judicium*, inquit Seneca, *cùm res venit ad affectum.* S. Dorotheus judicium noſtrum paſſionibus vehemen-

ter diſtortum comparat Regulæ curvæ & inflexæ. *Cùm*, inquit, *ſubjecti ſimus multis paſſionibus, praviſq; affectibus, noſtro judicio non debemus omnino fidere; quando enim norma vel regula curva eſt & inflexa, nunquam quod ſecundùm eam dirigitur rectum efficitur, ſed diſtortum.*

Inter omnes verò paſſiones, nulla eſt quæ judicium noſtrum magìs impediat & perturbet quàm ſuperbia; eſt enim velut groſſa quædam trabs, quæ mentis oculum penitus obtenebrat, ut non poſſit verum diſcernere; hæc tamen hodie plurimorum oculis inhæret.

Ex his aliqui nihil magìs intendunt, quàm ut vocum & ſententiarum paradoxis vanitatibus delectent homines auribus prurientes, & ſuorum intellectuum ſagacitatem oſtentent. Qui quidem jam ſentiunt cum multis, jam cum paucis, ſed rarò loqvuntur cum multis, quod tamen ab omnibus obſervari deberet. Languent *circa quæſtiones & pugnas verborum*, confingunt ſibi novas vocum ſignificationes & rerum difinitiones, novos quoq; diſtinctionum terminos ad eludendum quandoq; adinveniunt, non multùm abſimiles illis: *hyppodialiter* concedo, *ſuper hyppodialiter* nego; quorum ſententias ſi excuſſeris, nonniſi ſophiſticam verborum nugacitatem invenies, & pompoſas controverſias ad quæſtionem de nomine redactas, tanquam nobis reales difficultates non ſufficerent, ut verbalibus nugis occupari debeamus. Scribitur de unoquoq; tali in libro Eccleſiaſtici: *qui ſophiſticè loquitur odibilis eſt. Non eſt illi data à Domino gratia, omni enim ſapientiâ defraudatus eſt.* Præclarè Seneca: *Nectimus*, inquit, *dolos, & ambiguam ſignificationem verbis alligamus, deinde diſſolvimus. Tantum nobis vacat? Jam vivere jam mori ſcimus? Totâ illo mente pergendum eſt, ubi provideri debet, ne res non verba decipiant. Quid mihi vocum ſimilitudines diſtinguis, quibus nemo unquam niſi dum diſputat captus eſt? Res fallunt, illas diſcerne.*

V. | 1. Tim: 1. | Eccli: 37. | Epiſt: 45.

Et quidem tolerabile ſatìs eſſet in vocibus ludere, niſi ſeriò aliquando luderetur, proferendo in materia fidei propoſitiones malè ſonantes. Nec ſufficit quod diſtinctionem aliquam ad eas ſalvandas ex phantaſiæ ſuæ manica hiſtriones ejuſmodi nugaces excutiant; ſi enim hoc ſufficeret, nulla daretur hæretica propoſitio, quæ non per aliquam diſtinctionem ad ſenſum catholicum trahi poſſet. Unum debet eſſe in qualibet ſcientia baptiſterium, in quo res omnes communi authoritate baptizentur, nec debet ullus ex privatæ ſuæ phantaſiæ arbitratu & per-

 ſuaſu

Digitized by Google

ſuaſu rerum immutare nomina, vel nominum ſignificata. Devitemus
1. Tim. 6. *profanas vocum novitates, & oppoſitionem falſi nominis ſcientiæ.*

O! utinam omnes Scholæ quoad vocum acceptionem convenirent, plurimæ profectò controverſiæ, quæ in quæſtionem de voce tandem reſolvuntur, eſſent præciſæ. Rationem praxis, quantitatis, objectivæ præciſionis, phyſicæ prædeterminationis, præfinitionis, eſſentiam infiniti, univocationem Entis, cauſarum totalitatem, naturarum ſubſiſtentiam, & alia ſexcenta, unus ſic, alius aliter explicat, & dum in terminorum explicatione diſſonant, neceſſariò etiam in quæſtionibus conſequentibus diſcordant. Sed video quòd hæc ipſa nominalis pugna multos delectet, qui non tam litibus finem volunt imponere, quàm novam ſemper materiam, cum jactura temporis, & realium atq; utiliorum quæſtionum neglectu, diſputationi ſubminiſtrare.

VI. Loquendum ut dixi eſt cum multis, ſentiendum cum paucis, non tamen ex propoſito, citra dictamen manifeſtæ rationis à communi via recedendum, ut multi faciunt, qui modò ſuas adinventiones poſſint contra impugnantium argumenta defendere, parum de illarum veritate curant, quam tamen animo propoſitam ſemper habere debemus. Rarò quidem illa in via communi deprehenditur, ſed latet inter ſpinas & inacceſſos anfractus, multis obſita tricis & difficultatibus. Hujus ſolius amore inducti novos in ſtadio ſcientiarum tramites ſequi poſſumus. Quanquam vix jam aliquis novus ſit trames, per quem non antè alius inceſſerit. *Nihil eſt dictum quod non eſt dictum prius*, teſte Comico, & *nihil inauditum*, ut Plato dicebat. S. Hieronymi Præceptor nomine Do-
Eccle. 1. natus, cùm verſiculum illum Salomonis, *nihil ſub ſole novum*, exponeret, dixit: *pereant qui ante nos noſtra dixerunt.* Unde non eſt cur quis in ſententiarum ſuarum mercimonijs laudem novitatis extollat. *Inflantur & pueri novis calceis*, inquit Tertullianus, *ſed à vetere pædagogo calceati, mox vanam gloriam vapulabunt.*

Ego ut quod ſentio, ingenuè breviterq; confitear, judico cæteris
Luc. 5. paribus antiquitati eſſe in omnibus deferendum. *Nemo bibens vetus ſtatim vult novum*, ut legitur in Evangelio, *dicit enim: vetus melius eſt.* S. Thomam, Scotum, & alios ſcholarum Patriarchas ſummè veneror, non item omnes illorum interpretes. Penes hæc tamen omnia frequentiùs illud vulgatum uſurpo: *Amicus Plato, Amicus Ariſtoteles, Amicus iſte vel ille, ſed magis amica veritas.* Illam ſcholam ſapientiſſi-

mam,

Digitized by Google

mam, maximéq; ingenuam æſtimo, quæ utitur veritate pro vexillo. Homines quicunq; ſubjecti ſunt erroribus. Nec ipſi ſcholarum Patriarchæ adeo inconcuſsè omnia ſcripſerunt, ut ſi hodie nobiſcum viverent, in nullo aliter ſentirent. Hæc quidem ego ſcribo, qui extra materiam fidei, cujus obſequium debeo æternæ veritati, in nullius hucuſq; Magiſtri verba juravi, quod quidem multi faciunt, qui tamen cùm ex ſuis ordinibus ad Epiſcopatus aliáq; officia extranea promoventur, ſententias ſuas priores dicuntur abijcere, longéq; aliter quàm antè in philoſophicis ac Theologicis ſentire, quod ſignum eſt illos antea non tam rationibus & motivis intrinſecis ad profitendũ hoc vel illud fuiſſe permotos, quàm ab extrinſeco adactos & violentatos. Adeóq; neceſſarium eſt, eos vel intellectui vim magnam intuliſſe, quod extra fidei materiam, præcipiente quantumvis obedientiâ valde rarum eſt ac difficile; vel cùm hoc aut illud externè profiterentur, animo tamen contrarium ſenſiſſe, quod mihi eſt credibilius.

Omnino æquum & ſecurum eſſe pronuntio, nos in ſententiis noſtris veterum placita ſectari, quamdiu rationi conſentanea videntur. *In antiquis* enim eſt ſapientia. * Et *ſapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens.* Monet Salomon in Proverbiis: *ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui.* * *Qui diſſipat ſepem* antiquam ut novam conſtruat, *mordebit eum coluber. Qui transfert lapides* ut aliquid ex ijs novum conſtruat, *affligetur ab eis*; *& qui ſcindit ligna* pro novo ædificio, *vulnerabitur ab eis.* Venerabilis eſt antiquitas. Maneant antiqua quamdiu manere poſſunt. Illa citra evidentem rationem convellere, magnæ temeritatis & præſumptionis eſt. *Novitas* abſq; ſufficienti rationis motivo præſumpta, *Mater eſt temeritatis*, teſte D. Bernardo, *ſoror ſuperſtitionis, & filia levitatis.* Quibus tamen non obſtantibus, *quotidie aliquid ſubtilius, aliquid elegantius cogitat luxuriæ furor uſitata contemnens.*

Job. 12. *Eccli. 39.* *Prov. 22.* *Eccle. 10.* *Epi: 174.* *Seneca lib: 6. natur: quæſt:*

Hæc adhuc omnia in Philoſophicis materiis tranſire poſſent, in quibus non eſt tanti periculi vocum & ſententiarum novitates ſectari. At in materiis Theologicis omnis novitas eſt periculoſa. Vix alicui privato Doctori aliquid hodie revelabitur, quod non ante Sanctis Patribus fuerit revelatum. Non deſunt tamen hodie, qui altiſſima fidei noſtræ myſteria curioſè ſcrutantur, ut circa illa novũ quid adinveniant. Exemplo ſit myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, hoc jam in quorundam intellectu

ctu deſinit eſſe myſterium, novam enim ſibi confingunt Trinitatem, tribus non tantùm ſubſiſtentiis, ſed etiam naturis & divinitatibus conſtantem, eſſentialiter idem ſcientibus, volentibus & potentibus. Sed videant illi ne proprio judicio fidentes, dum myſteria fidei noſtræ reddere volunt nimis credibilia, credenda deſtruant. Nec tantùm in materia fidei, ſed etiam in materia morum, docti cum novis quibuſdam ſententiis periculosè nimiùm & ſcandalosè ludunt, ut nuper Alexander VII. beatiſſimæ memoriæ, multas ejuſmodi doctrinas & aſſertiones coactus fuerit condemnare ac prohibere, videns *ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit, alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorúmq; Patrum doctrina; & quem, ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Christianæ vitæ corruptela.* Sed ejuſmodi præſumptuoſos ingeniorum exceſſus, Inquiſitionum judicio caſtigandos relinquo.

vide Decreta Alexandri VII. die 24. Septemb: 1665.

VII. Veneranda nobis eſt veterum authoritas, ut jam vidimus, nunquam tamen veritati debet prævalere. Quamobrem non minùs arguendi ſunt illi, qui omnes exoſi novitates, nihil niſi à ſe antè auditum promere audent atq; docere, & multa tenent, non quia vera ſunt, ſed quia ab hoc vel illo dicta ſunt, cujus authoritatem defendendam ſuſceperunt, cum quo etiam falſa ſentire mallent quàm cum aliis vera tenere. *Æqvum omnino eſt*, ait Ariſtoteles, *ut etſi aliorum authoritatem, ut par eſt, magnifaciamus, non tamen eam rationi præferamus.* * *Præſtat veritatis amore inductos in aliquem errorem incidere*, inquit Cicero, *quàm in ſola authoritate acquieſcere ſinè rationis indagatione.* Audiant ſimiles præconium ſuum ex ore Lactantij, qui de origine erroris tractans ità loquitur: *cùm ſapere, id eſt veritatem quærere omnibus ſit innatum, ſapientiam ſibi adimunt, qui ſinè ullo judicio inventa Majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quòd majorum nomine poſito, non putant fieri poſſe, ut aut ipſi plus ſapiant quia minores vocantur, aut illi deſipuerint, quia majores nominantur.* * *Nihil turpius eſt*, teſte Scaligero, *quàm ex omnium rerum Domino atq; dictatore intellectu noſtro, facere mancipium alienæ libidinis.* Ingenuè pariter & cordatè Plinius Junior in ſuis Epiſtolis: *miror*, inquit, *antiquos, non tamen ut quidam noſtrorum temporum ingenia deſpicio; neq; enim quaſi laſſa & effata eſt natura, ut nihil laudabile jam pariat.* Relin-

lib: 1. ethic. cap. 9.

cap: 8.

lib. 6. Epiſt. 21.

linquendum eſt aliquid libertatis humano ingenio, nec ſemper aliorum authoritas ſolicitè nimiùm ſequenda. Nunquam bene currit, qui alterius præcurrentis obſervat calcátq; veſtigia.

Non loquor autem hîc de authoritate ſcripturæ, quam in omnibus, tanquam certiſſimam veritatis regulam ſequi debemus; nec de authoritate ſanctorum Patrum, quæ nobis maximi eſt facienda. *Quod verò de ſcripturis ſacris* (ſubintellige & Sanctorum Patrum libris) *authoritatem non habet, eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur*, inquit S. Gregorius. *hom: 6. ſuper Ezech.*

Docti in tot ſenſus quot ſunt cerebella ſecantur,
Quivis diverſas eligit ire vias.
Invenies quoſdam, quibus eſt exoſa vetuſtas,
Illáq; ſectantur quæ novitate placent.
Oderunt alij quemvis novitatis odorem,
Atq; ſua è veteri dogmata fonte trahunt.
Nonnulli jurant in certi verba Magiſtri,
Sunt quorum ratio ſpernit habere duces.
Quilibet in ſenſu proprio quem cepit abundet,
Sic tamen ut falſum poſſe ſubeſſe putet.
Sint omnes dociles, meliora audire parati,
Mens namq; indocilis docta nec eſſe poteſt.
Ille novum, ille vetus propugnet dogma; quid inde?
Intendat veri dummodo quiſq; ſcopum.
Doctus ſcriba ſuo è theſauro *promere debet* *Matt. 13.*
Ingeniiq; penu, *tum* nova, *tum* vetera.

CAPUT XXV.

De contentioſis & cavillatoriis diſputationibus.

INter ſcientiæ tumidæ ſoboles, ſtrepitu ſuo ſe mihi prodit Doctorum jactabunda garrulitas & contentioſa diſputatio. Videtur quidem Doctorum literatura plures vocalibus numerare conſonantes, tam mutas quàm liquidas. Ego autem etſi magnam apud eos noverim eſſe ſonantiam, nullam tamen vel exiguam deprehendo literarum & ſententiarum conſonantiam. Nihil etiam video liquidum, ſed omnia in- I.

certa & illiquida. Nihil mutum, ſed omnia vocalia & clamoroſa. Rarò doctum ſilentij videas amatorem, ſed ſi modicam ſe inaniter venditandi occaſionem nactus fuerit, plenus verbis ſicut muſto quod utres diſrumpit, ſe continere non poteſt, quin omne quidquid habet in patulum

c. 42. effutiat. De Chriſto ſapientiſſimo ait Iſaias: *non clamabit, nec audie-*

c. 9. *tur vox ejus foris.* * *Verba quippe Sapientum*, ut ait Eccleſiaſtes, *audiuntur in ſilentio* (hoc eſt ità modeſtè proferuntur, ut non niſi in ſilentio poſſint audiri) *pluſquam clamor Principis*, dicam ego ſuperbi Doctoris, *inter ſtultos.* At rara hæc ſilentioſa ſapientia inter doctos, omnes verbis perſtrepunt; omnes ut videri ità & audiri volunt, & aquarum inſtar multo cum ſuſurro ſtrepitúq; currentium, exiguam ſui ſenſûs judiciíq; profunditatem denotant, quam è contra magnam ſibi in-

Iſaia. c. 8. eſſe produnt *aquæ Siloe*, quibus ſilenter docti comparantur, *quæ vadunt cum ſilentio.*

In Summa Exempl. lib. 1. cap. 76. Joannes à S. Geminiano, ſuperborum ſcientiam, quæ ipſos inflat in corde, & tumidos reddit in locutione, comparat aquæ montanæ, multo cum ſono perſtrepenti, & ſtrumas in gutture cauſanti. *Aqua montium*, inquit, *eſt ſcientia ſuperborum, quæ ſtrumoſitatem facit in gutture, id eſt tumorem in voce ſive locutione; Nam facit eos verba faſtuoſa & ampulloſa proferre, ſecundùm illud* Horatij:

Pſal. 45. *Projicit ampullas & ſeſquipedalia verba.*

Job. 34. Aptat quoq; ipſis illud pſalmi: *ſonuerunt & turbatæ ſunt aquæ eorum.* Item illud ex libro Job: *verba illius non ſonant diſciplinam.*

Aurelius Imperator filium ſuum novem Philoſophis tradens inſtruendum ità locutus eſt: *Ego Commodum filium meum vobis trado, non ut loqui multa doceatur, ſed ut ad actiones præclaras quaſi manuducatur. In eo quippe gloria Principis univerſa conſiſtit, ut ſit in actionibus accuratiſſimus, & in verbis circumſpectiſſimus. Poſtquam adoleſcentes plurimos in ſcholis annos exegerunt, ingentéſq; in ſtudia pecunias parentes impenderunt, ſi modo filius diſputare & ſcitè loqui latinè noverit, quamvis levis vitioſúſq; ſit, optimè collocata omnia Pater exiſtimat. Magis enim nunc ratio habetur Oratoris loquacis, quàm Philoſophi vitâ præſtantis. Olim ad Academias parentes mittebant filios, ut tacere diſcerent; jam verò eos mittunt, ut loqui diſcant; tunc diſcebant eſſe moderati, nunc diſcunt eſſe diſſoluti. Et quod eſt peſſimum, ex academiis & gymnaſiis, unde omnes prodibant ſapientes ac pacifici, jam*

Ora-

Digitized by Google

Oratores tantùm loquaces & ſeditioſi prodeunt, ut ſi ſacratas leges ſemel in hebdomade legant literati, decies eas uno die violent. Quid dicam? niſi quod hodie ſummè vanis hominibus voluptati eſt, videre filios aliis in diſputando Superiores. Verùm ſic habetote, ſumma mihi gloria futurum, ſi Commodus cæteros non loquendo ſed tacendo, non inſolenter agendo ſed pacificè vivendo, non verba argutè proferendo, ſed opera præclara faciendo excelluerit; bonis enim viris glorioſum eſt multa agere, pauca loqui.

Adeò peſtis adulterinæ ſcientiæ his ſæculis increvit, ut plerumq; adversùs omne rationis dictamen, & contra tritum vulgo proverbium: *ubi multum clamoris, parum lanæ*, ſcientiam de loquacitate metiantur pleriq;, eúmq; qui publicis in congreſſibus, voce ſtentoreâ, geſtúq; ſycophantico ſophiſmata ſua præ cæteris declamare, ac pertinaci clamore aures audientium plauſibiliùs implere novit, doctiſſimum paſſim proclament; alium verò quempiam, quantumvis ſenſu ditiorem, cui non tam unctum guttur vel præſumptuoſum pectus natura dedit, non ſolùm mercium ſuarum tepidum venditorem, ſed etiam omnis literariæ ſupellectilis penitùs expertem atq; rudem pronuntiare audeant, & mutum bovem, quamvis intellectu fortaſſe polleat angelico, contemptibiliter appellare. Hoc jam olim inter cæteras mundi miſerias & vanitates deprehendit Eccleſiaſtes, cum ait: *ſapientia pauperis contempta eſt, & verba ejus non ſunt audita.* Inde accidit, ut dum jactantior quiſq;, quæſitâ datâq; ad inanem ſui venditationem occaſione, contentioſiùs ſua defendit, vel Auditorio videri volens, typhum ſuum, quo inaniter turget, clamoſiùs exerit, ſæpe in ſcommata & contumelias terminetur concertatio. Indignum eſt præſumptuoſis & cavillatoriis hujuſmodi contentionibus, etiam ſacras nonnunquam Eccleſias temerari, quibus ædibus, ſi ullis, vel maximè pax ineſſe deberet, ibidémq; non ſolùm vehementiùs contra ſe invicem accendi animos, & verbis ardentioribus collidi, ſed etiam in contumelioſa verba, ſuperbiæ & æmulationis typho commota diſputantium ora, cum ſcandalo populi prorumpere. His tamen vulgò vocitatis ſcientiarum exercitiis paſſim gaudetur; talibus nundinis execrabilem ſuum arrogantiæ typhum, pluſquam ſcientiam hoc dignam nomine mundi venditant ſapientes, ut fortaſſe non immeritò laudentur à quibuſdam illæ Academiæ, in quibus hæc diſputationum contentio deridetur, pauciſq;, quantum pro exercitio ſcientiæ neceſſarium judicatur, cum mode-

II.

Eccle. 9.

ſtia propoſitis, finis qui alibi eſt ſinè fine imponitur. Sic charitas cuſtoditur, & veritas ſecurè obtinetur, quæ ut commune fert proverbium, *nimiùm altercando amittitur.* * *Melius eſt*, inquit D. Auguſtinus, *dubitare de occultis, quàm litigare de incertis.* Et infra, divitis Epulonis hiſtoriam proponens: *quomodo*, ait, *intelligenda ſit illa flamma inferni, ille ſinus Abrahæ, illa divitis lingua, ille digitus pauperis, illa ſitis tormenti, illa ſtilla refrigerij, vix fortaſſe à manſuetè quærentibus, à contentioſè autem certantibus nunquam invenitur.*

de Geneſi. lib. 8.

Ridebunt hæc alij, quorum ego inſolentiam non rideo, ſed execror, eóſq; illum diem expectare jubeo, quo apparebit, quid vanitas olim fuerit, quid veritas. Interim dico, per æmulatorias hujuſmodi aſſertiones & diſputationes, dum unus inflatur adversùs alium, cum ſcientiarum probro, magnam inter literatos oriri animorum diſcordiam, falſum pro vero vel verum pro falſo, ſecundùm placitum cujuſq; & luxuriantis ingenij petulantiam aſtrui vel deſtrui, convelli omne diſciplinarum corpus, ut jam corpus vocari non mereatur, utpote *cujus partes ac membra*, ut ait Lactantius, *diſcordent, nec ulla compage inter ſe cohæreant, ſed quaſi diſſecta & diſſipata palpitare potiùs quàm vivere videantur.* Per armatos, qui ex Draconis dentibus à Cadmo ſatis prodiêrunt, mutuíſq; ſe vulneribus conciderunt, literati ab aliquibus intelliguntur, non tantùm ſententiis, ſed etiam maledictis ſe invicem oppugnantes. Gloriatur quidem hæc armata ſeges exemplo cultellorum ſe mutuo attritu exacuentium, & ajunt ceſſante diſputationis fervore ceſſare profectum literarium, uti etiam ſenſiſſe videtur Cicero, qui ſcribit, quòd *in ipſa Græcia, Philoſophia tanto in honore nunquam fuiſſet, niſi doctiſſimorum contentionibus diſſenſionibúſq; viguiſſet.* Tranſeant hæc omnia, certum tamen eſt, quòd cultelli ſe mutuo attritu etiam obtundant, ſi acies contra ſe invicem concurrere permittantur. Aurea, non tantùm in medicinalibus, ſed etiam in Ethicis eſt illa gnome Hippocratis: *omnia moderata.* Cuſtodienda ergo eſt doctis labiorū porta, quorum tamen cuſtodia fruſtraneè inſtituitur, niſi interioris arrogantiæ typhus, quo unus adversùs alterum inflatur, & æmulationis zelus, de corde penitus eliminetur; quod tamen hominibus literatis eſt valde difficile. * *Ingenia*, ut ait Pindarus, *latere non poſſunt*, & plerumq; ſunt laudis ambitioſa, felicitatis gloriæq; aliorum æmulatoria. Multos Themiſtocles in Republica literaria non patiuntur dormire trophæa Miltiadum. Ariſtoteles

lib. 2. Tuſculan.

jam

Digitized by Google

jam quinquagenarius ex Macedonia Athenas redux, iterum tamen profiteri cæpit, cujus profeſſionis cauſam refert Laërtius in æmulationem Xenocratis, quem in Academia docentem Athenis offendit, unde & illum verſum pronuntiâſſe dicitur: *turpe eſt ſilere, ac Xenocratem pati loqui.*

Advertit facilè palpabilem hanc Doctorum æmulationem atq; indignationem, ſi quo modo ab æmulis ſuis irritarentur vel ſuperarentur, D. Auguſtinus in Pædagogo ſuo, unde in Confeſſionibus quodam loco ſic ait: *ludebam pilâ puer, & eo ludo impediebar, quò minùs celeriter literas diſcerem, quibus major deformiùs luderem. Haud aliter faciebat idem ipſe à quo vapulabam, qui ſi in aliqua quæſtiuncula à Condoctore ſuo victus eſſet, magìs bile atq; invidiâ torquebatur, quàm ego cùm in certamine pila à Colluſore meo ſuperabar.* III.

Graviter torquentur Docti, cùm ab aliis coram alijs præſertim ſuperantur, quandoquidem in ipſo Latrunculorum ludo, qui ab ingenij exercitio præ cæteris pendere videtur, hominem ejus gnarum torquere ſolet, ab alio ſuperari, & ingenij laude alio videri inferiorem. Veriſſimum eſt illud Martialis:

Aurum, & opes, & rura frequens donabit amicus,
Qui velit ingenio cedere, nullus erit.

Gravi præterea cordis amaritudine docti affliguntur, cùm opiniones ſuas impugnari vident, & ab æmulis convelli; ut etiam ex hoc Capite in multa ſcientia multa ſit indignatio, & ad pacem cordis conſervandam, etiam inter ſenſatos tacere doctis præſtet, quàm multa proloqui. Rarum enim eſt dictorum non invenire contradictorem.

Salubriter admonet Eccleſiaſticus: *in multis eſto quaſi inſcius, &* IV.
audi tacens ſimul & quærens. Apoſtolus quoq; Paulus ſuo ſcribens Ti- c. 32.
motheo, ſic ait: *noli contendere verbis, ad nihil enim utile eſt, niſi ad* 2. Tim. 2.
ſubverſionem audientium. * *Verbis contendere*, inquit S. Auguſtinus, lib. 4. de
eſt, non curare quomodo error veritate vincatur, ſed quomodo tua di- doct. Chri-
ctio dictioni præferatur alterius. Odioſum divino ſpiritui peccatum ſtiana. c.
eſt veritatis agnitæ impugnatio, cujus tamen literati plerumq; rei ſunt, 28.
dum quidvis dixeris arripiunt, & oſtentationis vel æmulationis ſtudio impugnant, verum pro falſo, falſum pro vero temerè aſtruunt, ex vanis diſputationum ſuarum ſilicibus non veritatem ſed lites excutientes, & jurgia incendentes, fas & nefas, verum & falſum, ex æquo cenſentes

Digitized by Google

omnia, ſi modò vincant, vel invicti ab arena digrediantur. Hujuſmodi zelum amarum, & contentionibus repleta corda habentes, acriter
Jacobi. c. 3. commonet Apoſtolus Jacobus: *nolite gloriari & mendaces eſſe adverſùs veritatem, non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica; ubi enim zelus & contentio, ibi inconſtan-*
Philipp. 3. *tia & omne opus pravum.* Paulus quoq; ad Philippenſes ſcribens ſic ait: *implete gaudium meum, ut idem ſapientes eandem charitatem habentes, unanimes idipſum ſentientes, nihil per contentionem, neq; per*
c. 2. *inanem gloriam.* Item in Epiſtola ad Timotheum: *ſervum Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem.*

Gerardus magnus, cujus vita extat inter opuſcula Thomæ Kempenſis, poſtquam allegâſſet illam Divi Bernardi ſententiam: *nullum verbum proferas, de quo multùm Religioſus vel ſcientificus appareas.* Suadet *omnem diſputationem publicam vitare & abhorrere, quæ eſt litigioſa, vel ad triumphandum, vel ad apparendum, ſicut ſunt omnes diſputationes Theologorum & artiſtarum Pariſiis; imò nec ad diſcendum intereſſe.* Dat poſtea rationem: *quia contra quietem ſunt, & lites, & diſſenſiones faciunt, inutiles, & ſemper curioſæ, & ut plurimum ſuperſtitioſæ, animales, diabolicæ & terrenæ, ità quod in iis doctrina ſæpe nociva, & ſemper inutilis eſt, & conſumptio temporis inutilis eſt. Interim poſſis lucrum ſpirituale acquirere, vel oratione, vel ſtudio alicujus libri devoti.* Poſt hæc addit: *Item nunquam diſputabo cum quocunq; privatè, niſi præordinetur certus finis evidentis boni, & niſi talis ſit, qui me velit audire, & cum quo poſſim ſinè litigio conferre & modeſtè.*

S. Ignatius ſuis hoc dogma reliquit:

Nulli vel minimo quavis ratione repugnes,
Cedere te potiùs, quàm ſuperare juvet.

Magnum eſt hoc humilitatis ſignum, quando quis propriæ cedit opinioni, intellectum captivat, & in certamine ingenij proximo palmam concedit. E contra nulla eſt humilitas, ubi contentioſæ diſputationis
Orat. 26. ardor viget. *Turpe eſt profectò*, ait Gregorius Nazianzenus, *in veſte ac victûs ratione non ſublimiorem ſed viliorem eligere, ac genuum callo, lacrymarum fontibus, jejuniis, vigiliis, labore, atq; omni corporis maceratione humilitatem præſeferre, ac propriam imbecillitatem agnoſcere; in divinis autem diſputationibus, & principatum & tyrannidem ſibi*

ven-

vendicare, nec cuiquam omnino cedere, verùm ſupra omnes ſupercilium efferre, ubi humilitas non ſolùm gloriam habet, ſed etiam ſecuritatem.

B. Ægidius ſapienter & piè paradoxum hoc Chriſtianum ſanxiſſe dicitur: *quando quis contendit tecum, ſi vis vincere perde. Sic vincis teipſum, vincis omnes inimicos tuos. Magna virtus eſt ſi quis ſe permittat vinci ab omnibus hominibus, quia talis eſt Dominus hujus mundi.* Qui non ſolùm ſi contra veritatem ſe ſtetiſſe advertat, vinci ſuſtinet, ſed etiam pro veritate, amore charitatis certamen contentioſum humiliter dimittit, & potiùs ex arena inglorius recedit, quàm odioſè tumidus.

V. Paucos Lector Chriſtiane hoc ſæculo reperias tales mundi Dominos, ſed pleroſq; videas cupiditatum ſuarum ſervos, quos ſpiritus mundi hujus impellit, qui Luciferum fundo inferni alliſit, quos ejuſdem mundi Rectores in tranſverſum agunt, qui diaboli morbo ægrotant. Audi quid dicat Climacus: *qui, dum loquitur, verbum ſuum quantumvis illud ſit verum, confirmare voluerit, ſciat ſe diaboli morbo ægrotare.* *Scala parad. gr. 4.* Morbus diaboli quo miſerè perijt, eſt ſuperbia; ab hoc typho procedit, quidquid contentioſi motûs, & clamoris concitati, in diſputationibus æmulatoriis reperitur, ubi quiſq; ſenſum ſuum ſenſui præfert alterius, ac nihil niſi palmam ſapientiæ & eruditionis ambit; dúmq; eodem morbo dæmoni collaborat, in eandem cum illo decurrit mortem.

Nolle aliis acquieſcere, inquit Thomas Kempenſis, *cùm id ratio, aut cauſa poſtulat, ſignum eſt ſuperbiæ, & pertinaciæ.* *de imitat. Chriſti lib. 1. c. 9.* Egregiè ſenex quidam Anachoreta in vitis Patrum unumquemq; admonet: *ſi quis aut de ſcripturis, aut de quacunq; cauſa locutus fuerit, ne contendas cum eo. Sed ſi quidem benedixit, conſenti ei; ſi verò malè, dic ei: Tu ſcias quomodo loquaris. Hæc obſervans & humilitatem poſſidebis, & odium evitabis. Nam ſi perſiſtas contendens, & vis defendere ſermonem tuum, naſcetur ſcandalum; de quacunq; ergo cauſa ſi non obſervabis contentiones, nullo modo requiem poſſidebis.* *Ruffinus. lib. 3. n. 185.* Hanc ab cauſam mihi videtur B. Arſenius nunquam voluiſſe loqui de quæſtione aliqua ſcripturarum, cùm poſſet magnificè ſi vellet. Eandem ob rationem multi ſapienter malunt referre boves mutos, & ſpiritum vocis ſuæ ſonoris reſervare mugitibus, ut non in vanitatum circulis, ſed in Dei Eccleſia vocem glorioſè aliquando exaltent, neq; inter illos computentur, quos olim nimiùm vocales, diſrumpet DEUS *inflatos ſinè voce.* *Sap. 4.*

Parce

Parce igitur tibi quiſquis ad hujuſmodi litigioſas concertationes pronus es, parce aliis. Ob hanc peſtem tot ſcandala oriuntur in populo, tot inſurgunt in cordibus mortalium motus & tempeſtates, tot in communitatibus oriuntur diſcordiæ & ſimultates, dum plerumq; qui in iis ſcientiâ vel mediocriter præſtat, *ſuperbus eſt* ut cum Paulo loquar, *nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati ſunt.* Veritate inquam privati, quia garrulæ oſtentationis ac vanitatis vento turgentes. *Quid loquacius vanitate?* inquit S. Auguſtinus, *quæ ideo non poteſt quod veritas, quia etiam plùs clamare poteſt quàm veritas.*

1. Tim. 6. — *in fine lib. 5. Civit.*

VI. Prolabuntur interdum hoc typho moti, & invicem colliduntur, etiam qui firmiſſimo charitatis fundamento ſolidati videbantur. Quid æmulationem illam inter D. Hieronymum & Auguſtinum tantos Eccleſiæ Doctores accendit, niſi tractatio & diſputatio controverſiarum quarundam circa Epiſtolam Pauli ad Galatas, & legalium cæremoniarum obſervantiam? dum invicem modeſtè primùm conferrent, ſuam poſtea paulò firmiùs quiſq; tueri conaretur ſententiam, unde tanta poſtremò animorum commotione inter ipſos fuit diſceptatum, ut pene ad cæſtus Daretis & Entelli proruperint; dum D. Auguſtinus acie ingenij ſubtiliſſimâ præditus, fervidiori argumentorum pugnâ in ſenem grandævum inſurgit, ille autem armaturâ graviori inſtructus, & juvenilem Auguſtini auſum amarè ferens, præter cætera hæc ipſi in quadam Epiſtola reſcribit: *In ſcripturarum campo juvenis ſenem non provoces; nos noſtra habuimus tempora, & cucurrimus quantum potuimus, nunc te currente, & longa ſpatia tranſmeante, nobis debetur otium; ſimúlq;, ut cum honore tuo & venia dixerim, ne ſolus mihi de poëtis aliquid propoſuiſſe videaris, memento Daretis & Entelli, & vulgaris proverbij, quòd bos laſſus fortiùs figit pedem.* Alibi verò ſe militem intuens veteranum, frequenti & importuno Auguſtini, ad reſcribendum, ejúſq; rationibus ſatisfaciendum impulſu exacerbatus, illi commemorat, quomodo Hannibalem juveniliter exultantẽ Q. Maximus patientiâ ſuâ fregerit. Quid expectandum fuerat, ſi diutiùs hos inter Antagoniſtas ſtetiſſet æmulatio, quàm alterius ad alterum colliſio & ſcandala puſillorum? Maturè igitur & prudenter arenâ excedit Auguſtinus, ſciens contentionum caſus & pericula, cujuſmodi jam inter ipſum Hieronymum & Ruffinum evene-

Epiſt. 91. — *Epiſt. 92.*

evenerant. Unde in Epiſtola 103. ſic eidem reſcribit, & ad leniora ſenem revocans, humili oratione demulcet: *Rogo te*, inquit, *ſi fieri poteſt, quæramus & diſſeramus aliquid, quo ſinè amaritudine diſcordiæ corda noſtra paſcantur. Si autem non poſſumus dicere, quid mihi emendandum videatur in ſcriptis tuis, nec tu in meis, niſi cum ſuſpicione invidiæ, aut læſione amicitiæ, quieſcamus ab ijs, & noſtræ vitæ ſalutiq; parcamus. Minus certè aſſequatur illa quæ inflat, dum non offenditur illa quæ ædificat. Ego me longè eſſe ſentio ab illa perfectione, de qua ſcriptum eſt: ſi quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Imitemur hunc ſapientiæ oculum ſalubria ſibi proſpicientem; videamus quàm etiam ſanctis nonnunquam typhus ſcientiæ tumefacientis inſidietur, quàm illis ſit vitanda verborum concertatio, ne fortè ſanctitatis obliti, mutuis concidantur vulneribus, & fiant præda volucrum infernalium. *In Tomo Epiſt. S. Hieron.*

Cùm igitur abundè notum ſit, & quotidianâ comprobetur experientiâ, nos â contentioſis hujuſcemodi diſceptationibus, raró ſinè amaritudine cordis abſcedere, & vix, ut ait D. Auguſtinus, carere poſſe illis vitiis diſputantes, quæ plerumq; ſtudijs humanis & concertationibus excitantur, dum ſupra quàm ſcriptum eſt, unus præ alio inflatur adverſùs alterum, quid nobis conſultiùs, quàm ut hujuſmodi litigiorum anſas tollamus, inutiles quæſtiones & contradictiones adversùm nos motas aure ſurdâ cordéq; immoto prætereamus, & ut quidam ait: *ſi Deus eſt inter nos, relinquamus etiam quandoq; noſtrum ſentire propter bonum pacis. Quis eſt ità ſapiens*, inquit idem, *qui omnia plenè ſcire poteſt? ergo noli nimis in ſenſu tuo confidere, ſed velis etiam libenter aliorum ſenſum audire. Si bonum eſt tuum ſentire, & hoc ipſum propter Deum dimittis, & alium ſequeris, magis exinde proficies.* *Thomas Kemp. Idē lib. 1. c. 9.*

O vita pauperum DEUS meus; in cujus ſinu non eſt contradictio, plue mihi mitigationes in cor, ne in litigationes effundar, útq; patienter alios feram qui multa mihi dicunt interdum, & contentioſè ſua perſuadere nituntur, tanquam divini eſſent, & illa in corde tuo vidiſſent, ſed veram raró noverunt ſententiam, quia ſuperbi ſunt, nec â te parvulorum Doctore meriti ſunt erudiri, ſed amant ſuam, *non quia vera eſt, ſed quia ſua eſt*; quorum in diſputando & aſſeverando temeritas *non ſcientiæ, ſed audaciæ eſt; nec viſus, ſed typhus illam peperit.* * *Qui magis linguæ certaminibus, quàm ſcientiæ luminibus delectantur.* Qui pernicioſis contentionibus ſtultiſſimè ipſam offendere ſolent charitatem, *S. Auguſt. Confeſſ. lib. 2. c. 24. S. Auguſt. Idem.*

 pro-

Digitized by Google

propter quam dixit omnia, cujus interdum dicta pertinaci ſuo ſenſu aliter quàm verum ſit, conantur exponere; qui deniq; neſciunt, quòd illa
Jacobi. 3. 4. quæ à te *deſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica ſit, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordiâ, & fructibus bonis.* Sed quid plura?

Homerus. *Lis utinam pereat inter hominéſq; Deóſq;.*

VII. Jam caput finijſſem, niſi me continere non valerem, quin contra ipſas diſputandi materias, quæ plerumq; nugæ ſunt nugarum, calamum exacuam. Frequenter ex inanibus nec voce dignis quæſtionibus & diſputationibus conflictum fieri cernas; interim tamen nullum operæ pretium contingere, ſed ut Gorgiæ dictum uſurpem, alter diſputantium hircum mulgere videtur, alter cribrum ſupponere, & ſecundùm commune adagium de lana caprina utrinq; diſceptare. An non ô ſtulti mortales pretioſius eſt tempus, dignior mens, quàm ut nugis & vanitatibus hujuſmodi ad nihil proficuis addicatur? Aſt utinam hæc dementia privata quorundam ingenia & domeſticos parietes ſolùm inſideret, neq; ipſas ſapientiæ ſcholas & lycæa occuparet, in quibus poſtquam horis aliquot motas ad bilem uſq; ac diſceptatas quæſtiones audiêris, ſæpe nil quàm nugas nugarum ad nihil utiles agitatas eſſe deprehendes, ac ſi deeſſent objecta, circa quæ majori cum fructu inſtitui poſſet mentis concertatio; ut tandem, poſtquam ad faſtidiũ uſq; aures verbis impletas retuleris, cùm
c. 6. Eccleſiaſtico illud ſolummodò dicere poſſis: *verba ſunt plurima, multámq; in diſputando habentia vanitatem.*

Acriùs quid edicere vereor, edicam tamen, quia non meis, ſed
Conc. in Dom. 12. poſt. Pent. Petri Beſſæi inſignis Eccleſiaſtæ verbis: *Aliud ſcholæ hodie non crepant, quàm curioſitates vanas, & inutiles; in Academiis aliud non auditur, quàm nugæ & ineptiæ; num ſcilicet* D E U S *in locis ſit imaginariis, an in vacuo detur motus, num ſerpens ante Adami peccatum pedibus conſtaret, aliáq; ſimilia, de quibus dici queat: narraverunt mihi iniqui fabulationes ſed non ut lex tua. Docete igitur in ſcholis veſtris ô Doctores, in Cathedris veſtris Eccleſiaſtæ, bonorum operum exercitia, virtutum praxin, ad ſalutem perveniendi media, beatitudo in quo conſiſtat, quid includat, quanta ſit illius merces & præmium.*
Kemp. lib. 1. de imit. Chriſt. c. 3. ** Grandis inſipientia, quòd neglectis utilibus & neceſſariis ultro intendimus curioſis & damnoſis, oculos habentes non videmus.*

Cùm D E U S Chronologo ſuo Moyſi Orbis creationem rerúmq; pri-

primordia dictaret, cæli molem, ſtellarum numerum, aſpectus & affluxus luminis, aſtrorum vias & defectiones, colores Iridis, ventorum volatus, conditionem Cæleſtium liquidam aut duram, acceſſiones maris & deceſſiones, terræ motus & ſimilia omiſit: *Quæ nihil ad nos*, inquit B. Ambroſius, *quaſi nihil profutura præterijt*, ea ſolùm dictavit, quæ fundandæ in hominum animis fidei, & divinæ legis obſervationi profutura cenſuit, cætera tacuit, quaſi *marceſcentis ſapientiæ vanitates.* * *Multi multùm diſputant*, inquit S. Auguſtinus, *de iis rebus, quas majori prudentiâ noſtri Authores omiſerunt, ad beatam vitam non profuturas diſcentibus, & occupantes, quod pejus eſt, multùm pretioſa, & rebus ſalubribus impendenda temporum ſpatia.*

Ambroſ. lib.6. Hexamer. c. 2.

lib. 2. de Gen. ad lit. c. 9.

Pervolve quæſtiones Theologorum in ſcholis hodie tractari ſolitas, multas profectò ex illis deprehendes otioſas & futiles. Quid noſtra intereſt ſcire, an & quales piſces natent in aquis ſupra firmamentum? quando creati ſint pediculi? an eruca fuerit prior, an papilio? ut plurimas altercationes prætercam, quæ inſtituuntur de abſoluta Dei potentia; cùm interim plurima eorum quæ defacto ſunt ignoremus. Præſtaret ſanè ſtudium Theologiæ ſpeculativæ talibus objectis impendi, quæ propugnandæ fidei, Eccleſiæ ampliandæ, ac hæreſi debellandæ ſervire poſſunt, quàm relictâ ſanâ, verâ & ſolidâ doctrinâ, umbras & larvas ſectari. Perſtringi etiam hìc merentur illi Medici, qui de morborum definitionibus, & cauſis illorum continentibus, multas inſtituunt altercationes, parum verò ſtudij adhibent, quo morbos propellant; qui cùm corporis humani anatomen quoad multa ignorent, ſecant leones, tygrides, & ſtruthiones.

Quidquid ſit, futiles & otioſæ in ſcientiis occupationes & quæſtiones, non niſi lites pariunt, & in plurimarum reſolutione cæcâ mente divinando palpatur, velut ſi diſpicere velis, an ſtellæ defactò ſint pares vel impares, an mus admearet ſi baculus eſſet in angulo. Gorgias rogatus â quodam, cur fabæ ventrem inflent, & non ignem? quærenti reſpondit: *iſtud tibi diſpiciendum relinquo. Cæterum ſcio terram adverſùs hujuſmodi homines producere ferulas.* * *Quid te torques & laceras in quæſtione, quàm ſubtilius eſt contempſiſſe quàm ſolvere?* inquit Seneca; Qui etiam ridet ſtudium inane Didymi Grammatici, quem ferunt quatuor millia librorum conſcripſiſſe. *Miſer*, inquit, *ſi tam multa ſupervacua legiſſet. In his libris de Patria Homeri quæritur, in his de Ænea* *Epiſt. 88.*

Matre vera, in his libidinoſior Anacreon an ebrioſior vixerit, in his an Sapho publica fuerit, & alia, quæ erant dediſcenda ſi ſcires. I nunc, & longam eſſe vitam nega. Sed ad noſtros quoq; cùm perveneris, oſtendam multa ſecuribus recidenda. * *Tempori parce. Non vis cogitare quantùm temporis tibi auferat mala valetudo, quantùm occupatio publica, quantùm occupatio privata, quantùm ſomnus? metire ætatem tuam, tam multa non capit. De liberalibus ſtudiis loquor. Philoſophi quan-*
Epiſt. 45. *tùm habent ſupervacui? quantùm ab uſu recedentis.* * *Multùm illis temporis verborum cavillatio eripuit, & copioſæ diſputationes, quæ acu-*
Epiſt. 88. *men irritum exercent.* * *Tamdiu iſtis immorandum eſt, quamdiu nihil animus agere majus poteſt. Rudimenta ſunt noſtra, non opera. Quare liberalia ſtudia dicta ſint vides: quia homine libero digna ſunt. Cæterùm unum ſtudium verè liberale eſt, quod liberum facit; hoc ſtudium ſapientiæ ſublime, forte, magnanimum. Cætera puſilla & puerilia ſunt.*

Tolerabile adhuc malum in Grammatico, & in Hiſtorico vel Poëtâ profano veniâ dignum, ſi annos inquirat Achillis & Patroclis, aut errores Ulyſſis, vel Matrem Hecubæ, aut quid Syrenes cantare ſint ſolitæ; quis primus carmina ſcripſerit, quantùm temporis inter orphea interſit & Homerum. Si diſputet de Helenæ poſt aurem macula, vel de pudicitia Penelopes, in utramvis partem nôrit diſceptare, quæ quidem ipſa ſugillant Ethnici. Longè tamen eſt indigniùs, & omnino indecens, in ſcientiis ſeverioribus imò & divinis, ludicras ac ſupervacaneas tractare quæſtiones, vel curioſas movere controverſias, in quarum tamen ſolutione nullus gloriari poteſt ſe veritatem aſſecutum.

VIII. Quærit Eccleſiaſticus: *arenam maris, & pluviæ guttas, & dies*
Eccli. 1. *ſæculi quis dinumeravit? Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt?* Difficilia ſunt hæc, & ingenij noſtri viribus omnino inaſſequibilia. Optimum eſt quod ea ſcire non teneamur; imò & curioſiùs indagare prohibeamur. Sunt nihilominus aliqui, qui non tantùm altitudinem cæli, & latitudinem terræ, nec non profundum abyſſi, ſed etiam ſidereos orbes, ipſúmq; Cælum Empyreum uſq; ad ſpatia imaginaria, utinam non mentiendo metiuntur, & tanquam arenarum exiſtentium multitudo non ſufficeret, aſſignant numerum arenarum, quæ in toto mundo & cælo uſq; ad concavum firmamenti contineri poſſent. Dies quoq; ſæculi dinumerant, non ſolùm præteritos, ſed etiam futuros, quos Pater cæleſtis in ſua poſuit poteſtate.

ſtate. Satìs eſſet hoc tolerabile, ſi divinando, & rationabiliter conjecturando ſimilia proponerent, nec pro certis firmiter aſſeverarent; cùm tamen toto, vel dimidio ſaltem cælo à veritate ſæpius aberrent. Sed quidquid ſit de ſimilium veritate ac falſitate, parum ad æternam ſalutem prodeſt talia ſcire, parum obeſt ignorare. Videbimus hæc quam optimè in cælis, imò forſitan nec illa videre in cælo affectabimus. Nunc quamdiu tempus labitur pretioſum, animum noſtrum rebus & quæſtionibus magìs utilibus, ædificatoriis, & ſcitu neceſſariis applicare debemus, vanis & otioſis hominibus relinquentes curioſas hujuſmodi & doctas fabulas, *quæ quæſtiones præſtant magìs, quàm ædificationem Dei, quæ eſt in fide.* *Finis autem præcepti*, & omnis noſtræ doctrinæ *eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* 1. Tim. 1.

Arcet à ſimilibus quæſtionibus gentium Doctor ſuum Timotheum: *ſtultas*, inquit, *& ſinè diſciplina quæſtiones devita, ſciens quia generant lites.* Similiter Divus Auguſtinus increpans Dioſcorum, de ſuperfluis & curioſis ejuſmodi quæſtiunculis: *Ego vellem*, ait, *te abripere de medio delicioſarum inquiſitionum tuarum, & conſtipare inter curas meas, ut vel diſceres non eſſe inaniter curioſus, vel curioſitatem tuam cibandam atq; nutriendam imponere non auderes eis, quorum inter curas vel maxima cura eſt, reprimere ac refrænare curioſos. Quantò enim meliùs, quantòq; fructuoſiùs in literis tempus atq; opera ad hoc potiùs impenditur, ut reſecentur vanæ atq; fallaces cupiditates tuæ, quæ tantò magìs cavendæ ſunt, quantò faciliùs decipiunt, neſcio quâ umbrâ honeſtatis, & liberalium ſtudiorum nomine velatæ atq; palliatæ.* * *Quoniam ex gratuito Conditoris munere naturaliter inſitum eſt homini ſcire*, inquit Laurentius Juſtinianus, *congruum profectò eſt, ut fidelis quiſq; velit nedum ſcire, verùm etiam prudenter agnoſcere, quid utiliùs debeat ſciri. Nam & ſæculi negotiatores ſemper invigilant, qualiter commercia ſua utiliùs agant. Nempe ſcire optimum dixerim, dummodo ſciatur, non quod curioſitatem paſcat, ſed quod ordinet vitam, componat animum, conſcientiam ædificet, proximóq; proficiat.* 2. Tim. 2. Epiſt. 56. ad Dioſcorum. Laurent. Juſtin. de cont. mundi c. 2.

Merentur hîc etiam annotari verba, quibus ſuam naturæ hiſtoriam orditur Euſebius Nierembergius, dum ità ſcribit: *Inter anguſtos vitæ terminos pervagata humana curioſitas, ipſam perdit vitam dum inutiliter occupat. Avidam libidinem ſciendi quam puto cupiditatem maximam, fortaſſe quod mireris avaritiâ majorem, ſinè delectu alit, quidquid*

ignoratum novitatem ſimulat. Et dum ſuperflua diſcit, utilia & neceſſaria omittit. Et infra: *Nos omnia torſimus, in pejus ſemper vergimus, atq; pruriginem ſciendi naturæ & Deo dicatam, in quodvis caci impingimus, jam ſtulti, quia ſcituri. Scilicet ibi plus ignoramus, dum quærimus non ignorare, dum ſcire ſupervacua id eſt inutilia. Non mihi tam ſubtilis & acris obtutus eſt, ut inutilem ſcientiam ab ignorantia diſcernam.* Hanc mortalium dementiam ſub quadam ſimilitudine expreſſit Ludovicus Granatenſis ità ſcribens: *Miſeratione dignum eſſet, ſi cùm in remota aliqua regione, infinita pene vis eſſet lapillorum atq; gemmarum, indigenæ autem adeò rudes eſſent, ut iis pro vilibus ſaxis in ſtructura domorum uterentur. Quantò ergo magìs miſerandi ſunt, qui cum intellectu & voluntate divino munere præditi ſint (quibus Deum contemplari, diligere, & divinos mores imitari, diviniſq; deliciis paſci poſſent) hæc Dei dona ad res viliſſimas atq; abjectiſſimas deijciunt, & ſiliquis porcorum, quàm divinis epulis veſci malint? Quid quod tempus etiam & vitæ ſpatium (quo inæſtimabiles, perpetuóq; duraturas divitias ſibi comparare poterant) in rebus nihili expendunt? Quòd ſi barbari illi & inculti homines miſeratione digni eſſent, tu profectò magìs miſerandus es, qui res longè præſtantiores ità proteris atq; conculcas.*

in Collect. tit. Sapientia.

Refert Laertius, quòd cùm Plato de Ideis ſuis ſpecificis & genericis diſſereret, atq; in ore haberet menſeitates & cyathitates, Diogenes irridens ſubtiles ejus nugas dixerit: *menſam & cyathum video, menſeitatem & cyathitatem non video. Ego bibam cyathum, tu bibe cyathitatem.* Quem quidem ludens Plato reſpondiſſe legitur: *non mirum,* inquit, *nam oculos habes quibus cernuntur menſa ac cyathi, mentem verò non habes, quâ cernuntur menſeitates & cyathitates.*

Nos, ut pace utriuſq; Philoſophi loquar, nec cyathis ebibendis, nec cyathitatibus formandis ſtudere debemus; & quamvis oculos mentales habeamus, quibus menſeitates & cyathitates cernere poſſimus, non ſunt tamen ad ſimilia curioſè aperiendi & convertendi. Sapientiſſimum eſt illud Eccleſiaſtici monitum: *quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper. In ſupervacuis rebus noli ſcrutari multipliciter, & in pluribus operibus ejus non eris curioſus.*

Eccli. 3.

IX. Multi ſunt qui de univerſalibus cogitant, & quomodo individua ſua debeant ſalvare obliviſcuntur. De poſſibilibus, imò & impoſſibilibus diſcurrunt, immemores exiſtentium, & futurorum ipſis noviſſimè impen-

Digitized by Google

impendentium. Inter infinita pericula æternæ ſalutis conſtituti, dum ſeriò eſt agendum, comœdias ludunt, vana & ridicula, mente ſimul & ore tractant. Legimus dictum à Domino S. Brigittæ, de quodam Religioſo curioſarum ejuſmodi quæſtionum & diſputationum vanitatibus infecto: *melius eſt illi ad ſalutem cum devota ſimplicitate orando legere* Pater noſter, *quàm de tam ſubtilibus propter vanum mundi nomen ſophiſticè diſputare.* Et rurſus: *iſte Religioſus loquax non deſiderat medicinam, quia ſtercus ſcientiæ vanitatis eſt in ore ejus.* Illa igitur potiſſimùm cogitando, ſtudendo, atq; loquendo tractemus, quæ ſeria ſunt ac ſolida, & animabus noſtris poſſunt eſſe medicinalia. Subtilia ad æternam ſalutem parum ſunt utilia. Quin & ipſa ſcientiarum Præſes Minerva odit ſubtilitates, qua de cauſa *inviſa Palladi* eſt *aranea.* * *Quantum mali facit nimia ſubtilitas*, ait Seneca, *& quàm infeſta eſt veritati*; addam ego, quàm noxia & pernicioſa. Theologus quò ſubtilior, eò periculoſior. Juriſtæ nimis acuti, inter fas & nefas non diſtingvunt, & æqvum cum iniquo confundunt. Medicorum docta nimis & agglomerata Recipe exiguos dant effectus. Simplicibus morbi optimè curantur, Veritas deniq; ſimplicitate gaudet. Sophiſticas aranearum telas teximus, & acutis magìs quàm ſolidis hodie delectamur. Non ità fuit prioribus ſæculis, quibus tamen viri doctiſſimi & ſapientiſſimi vixerunt. Noſtra illis præferre volumus. Verum eſt, quòd ſcientiæ noſtræ ſuperent priorum ſæculorum ſcientias multis quæſtionibus & elenchis, gryphis & argutiis, non dico tamen *utilibus* ſed *futilibus.*

Epiſt. 88.

Addam hic adhuc quædam diſticha, occaſione duorum anagrammatum ex nomine SCIENTIA confectorum: E CATINIS, &: INIS TACE.

Magno ſe paſſim clamore ſcientia prodit,
Vociferando ſuas vendere quærit opes.
Tanquam E *fumoſis eſſet potata* CATINIS,
Atq; vaporoſi nectaris hauſta ſcyphis.
Oro tace *ſolitóq; minus doctrina loquaris,*
Si ſapienter inis, *ſi ſapienter* ines.
Qui tacet ille ſapit, non is qui plurima garrit,
Vas cerebro vacuum denotat eſſe ſonus.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXVI.

Doctorum in ſcrutandis rebus altis vana curioſitas.

I. *Quemadmodum rerum omnium, ſic quoq; literarum intemperantiâ laboramus*, ait Seneca. Patet hoc in illis præcipuè, qui mundum hunc diſputationi ſuæ traditum mente curioſâ diſquirere non contenti, altiſſima quæq; & â ſenſu remotiſſima, ſublimiſſimáq; divinæ ſapientiæ arcana inveſtigare præſumunt. O! peſſima inter omnes occupatio, quam dedit DEUS filiis hominum, ut occuparentur in ea; ô! vana & inutilis in rerum naturæ abditarum inveſtigatione curioſitas; in divinarum verò, & humani vim ingenij excedentium inquiſitione, etiam periculoſa & damnoſa.

Sap. 9. *Difficilè æſtimamus quæ in terra ſunt*, ait Salomon, *& quæ in proſpectu ſunt invenimus cum labore; Quæ autem in cælis ſunt quis inveſtigabit?* Eandem cæleſtium rerum incomprehenſibilitatem, legitur Angelus Uriel, Eſdræ judicia divina curioſiùs aliquando ſcrutanti, per diverſas ſimilitudines â rebus inferioribus deſumptas demonſtrâſſe, dum

Eſdra. 4. 4. ei ſic locutus eſt: *excedens exceſſit cor tuum in ſæculo hoc, & comprehendere cogitas viam Altiſſimi. Et dixi* (ait Eſdras) *itâ Domine meus. Et reſpondit mihi & dixit: Tres vias miſſus ſum oſtendere tibi, & tres ſimilitudines proponere coram te. De quibus mihi ſi renuntiaveris unam ex his, & ego tibi demonſtrabo viam quam deſideras videre. Et dixi: Loquere Domine meus. Et dixit ad me: vade pondera mihi ignis pondus, aut menſura mihi flatum venti, aut revoca mihi diem quæ præterijt. Et reſpondi & dixi: quis natorum poterit facere, ut me interroges de his? Et dixit ad me: ſi eſſem interrogans te, dicens: Quantæ habitationes ſunt in corde maris, aut quantæ venæ ſunt in principio abyſſi, aut quantæ venæ ſunt ſuper firmamentum, aut qui ſunt exitus paradiſi, diceres mihi fortaſſis, in abyſſum non deſcendi, neq; in infernum adhuc, neq; in cælum unquam aſcendi; nunc autem non interrogavi te niſi de igne & vento, & die per quem tranſiſti, & â quibus ſeparari non potes: & non reſpondiſti mihi de eis. Et dixit mihi: Tu quæ tua ſunt tecum coadoleſcentia non potes cognoſcere, & quomodo poterit vas tuum capere Altiſſimi viam?* Addidit poſtea: *proficiſcens profectus ſum ad ſylvam lignorum campi, & cogitaverunt cogitationem, & dixerunt: venite, & eamus,*

Digitized by Google

eamus, & faciamus ad mare bellum, ut recedat coram nobis, & faciamus nobis alias ſylvas. Et ſimiliter fluctus maris & ipſi cogitaverunt cogitationem & dixerunt: venite aſcendentes, debellemus ſylvas campi, ut & ibi conſummemus nobiſmetipſis aliam Regionem. Et factus eſt cogitatus ſylvæ in vanum; venit enim ignis & conſumpſit eam. Similiter & cogitatus fluctuum maris: ſtetit enim arena & prohibuit eos. Si enim eſſes Judex horum, quem inciperes juſtificare, aut quem condemnare? Et reſpondi, & dixi: utiq; vanam cogitationem cogitaverunt, terra enim data eſt ſylvæ, & mari locus portare fluctus ſuos. Et reſpondit ad me & dixit: Bene tu judicâſti, & quare non judicaſti tibimetipſi? Quemadmodum enim terra ſylvæ data eſt, & mare fluctibus ſuis: ſic qui ſuper terram inhabitant, quæ ſunt ſuper terram intelligere ſolùmmodo poſſunt, & qui ſuper cælos, quæ ſuper altitudinem cælorum.

Inter omnia verò cæleſtia, ſupremus cælorum Rex, ab humanæ mentis oculo minimè poteſt attingi. *Poſuit* DEUS tenebras *latibulum ſuum*, quas nullus creatæ mentis oculus acie ſuâ poteſt penetrare. Huc ſpectat illud Salomonis: *Dominus dixit ut habitaret in nebula.* Legimus in Apocalypſi, de inacceſſo ejuſdem divinæ Majeſtatis throno: *Impletum eſt templum fumo à Majeſtate Dei, & de virtute ejus, & nemo poterat introire.* Iterum ſub contraria ſimilitudine nobis idem proponitur, cùm dicitur DEUS *lucem* inhabitare *inacceſſibilem, amictus lumine ſicut veſtimento*, quem inſpiciens mortalis oculus perſtringitur & caligat. II. *3. Reg. 8. Apocal. 15.*

Eſt quidem nobis ſcientia ſeu cognitio Dei neceſſaria, ſicut lumen ſolis neceſſarium eſt ad videndum; hoc tamen ipſum ſolare lumen, quod nos omnia videre facit, interdũ etiam excæcat, ſicuti eadem cos quæ novaculam acuit, ejus aciem indebitè ſibi applicatam obtundit. Huc ſpectat illa Divi Hilarij ſententia: *ſicut ſol ita videndus eſt ut poſſit videri, tantúmq; excipiendus lumine eſt, quantus admittitur, ne ſi plus velimus ſpectare, minus quoq; quàm poſſumus conſequamur. Ità & ratio cæleſtis in tantum intelligenda eſt, in quantum ſe permittit intelligi; in tantum expetenda eſt, in quantum apprehendendam ſe dedit; ne ſi contenti indulgentiæ moderatione non ſumus, amittamus indulta.* *10 de Trinit.*

Celebrat Lactantius illam Platonis ſententiam in Timæo: *Majeſtas Dei tanta eſt, ut nec mente comprehendi, nec linguâ exprimi poſſit.* * *Curioſiùs noli ſcrutari*, inquit S. Nilus, *ſed crede tantùm & adora.* *Inſtit. ad Mon.*

 * *Aver-*

Cant. 6. * *Averte oculos tuos â me*, inquit ad ſponſam in Canticis, *quia ipſi me avolare fecerunt.* Hoc eſt, quantò curioſiùs me intueri & comprehendere mentis tuæ oculis deſideras, tantò magìs fugio & elongor â te. S. Auguſtinus ſcribit illum *ignorantiâ* magìs quàm *ſcientiâ* attingi. Dicitur in libro Job: *DEUS magnus vincens ſcientiam noſtram.* * *Dignè eum invenire non poſſumus.* * *Ideo timebunt eum viri, & non audebunt contemplari omnes qui ſibi videntur eſſe ſapientes.* * *Etiamſi locutus fuerit homo devorabitur*; hoc eſt, abſorbebitur incomprehenſibili pelago immenſæ illius Majeſtatis.

Job. 36. & 37.

Eccle. 5. Bene monet Salomon: *nè temere quid loquaris, neq; cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo; DEUS enim in cælo, & tu ſuper terram. Idcirco ſint pauci ſermones tui.* In quo textu S. Hieronymus *ly coram Deo* vult eſſe idem quod *de Deo.* * *Jubet*, inquit, *ne aut loquentes aut cogitantes, plus de Deo quàm poſſumus, opinemur; ſed ſciamus imbecillitatem noſtram, quòd quantùm diſtat cælum â terra, tantùm noſtra opinio ab illius natura ſeparatur.* Idem ſacri nominis Doctor, illum pſalmi locum, ubi dicitur: *Te decet hymnus Deus in Sion*, ità ex Hebræo vertit, *Tibi ſilentium, laus in Sion.* Cautè igitur & parcè nobis, de Deo, rebúſq; divinis nondum revelatis, cogitandum & loquendum eſt. Sit Deo pro laude & reverentia noſtrum ſilentium, cujus circa Divina objecta decentiam vel ipſi gentiles agnoverunt: *Homini timidè de poteſtate Deorum & pauca dicenda ſunt*, inquit Cicero. Huc facit Symbolum Pythagoræ: *In aſtrum nunquam digitum immittas*, id eſt, de cæleſtibus nihil curioſè aut temere loquaris. Seneca citans dictum quoddam Ariſtotelis, nunquam nos verecundiores eſſe debere, quàm cùm de Deo agitur, ità ſcribit: *Si intramus templa compoſiti, ſi ad ſacrificium acceſſuri vultum ſubmittimus, togam adducimus, in omne argumentum modeſtiæ fingimur; quantò hæc magìs facere debemus, cùm de ſideribus, de ſtellis, de Deorum natura diſputamus? ne quid temere, ne quid imprudenter, aut ignoranter affirmemus.*

lib. 7. natur. quæſt. cap. 30. & 31.

III. Parum ergo verecundè erga divina ſe gerunt, qui non tantùm divinam eſſentiam, perſonalitates & attributa, quæ nobis omnia modicè ſatìs & obſcurè ſunt â Deo revelata, curioſiùs diſquirunt, ſed etiam divinæ ſapientiæ, & conſilij cæleſtis arcana rimantur; E. G. cur DEUS unum præ alio prædeſtinet; uni det finalem perſeverantiam, non alteri; hunc infantem ad baptiſmum perducat, illum in utero Matris perire ſinat;

ſinat; cùm tamen omnium cauſarum ſecundarum regimen in pleniſſima teneat poteſtate. Quorum rationem, humano intellectui, in hac vita mortali attingere eſt impoſſibile. *Amplius in iſtis invenire non licet, quàm quod à Deo diſcitur*, inquit Tertullianus, *& præſtat per Deum neſcire, quia non revelaverit, quàm per hominem ſcire, quia ipſe præſumpſerit.* Sive ut ſcribit S. Laurentius Juſtinianus: *præſtantiùs eſt* (*de caſto*
humiliter neſcire, quàm ſciendo præſumere, qui etiam DEUM ſic allo- *connub. c.*
quitur: *Non licet quærere quod latere voluiſti, quamobrem tuorum al-* 14.
titudinem ſacramentorum, tuorúmq; profunditatem judiciorum inveſti- *Ibidem. c.*
gare ultima dementia eſt. Si enim difficilè exiſtimantur quæ in terra 18.)
ſunt, & quæ in proſpectu ſunt inveniuntur cum labore, quæ in cælis ſunt quis inveſtigabit? aut quis hominum poterit ſcire conſilium tuum? vel quis valebit cogitare, quod tu velis? Nemo itaq; ſenſum tuum attingere ſufficit, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris ſpiritum ſanctum tuum de altiſſimis. Cùm enim magna ſint judicia tua Domine, & inſcrutabilia opera tua, propterea indiſciplinatæ animæ hæc perſcrutari molientes graviter erraverunt. Alta igitur Dei conſilia nullus inquirat, quin potiùs quiſq; ſtudeat neſcire quod non expedit, ut non negligat ſcire, quæ ignorare non oportet. In altero quidem temeritas, in altero autem negligentia redarguitur.

Quis dicere poteſt DEO *cur ità facis?* inquit Job. Et pſalmiſta: *Job. 9.*
Exiſtimabam ut cognoſcerem hoc, labor eſt ante me. Non ſcrutabatur ſimilia S. Paulus, qui tamen illuminatiſſimum à DEO habuit intelle-
ctum, ſed cùm illi in mentem veniebant exclamabat: *ô altitudo divi-* *Rom. 11.*
tiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut
quis Conſiliarius ejus fuit? Similiter Divus Auguſtinus: *ſi ad illam*, in- *S. Auguſt.*
quit, *profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ità ſua-* *de ſpirit.*
deatur, ut perſuadeatur; illi tamen non ità; duo ſola occurrunt interim *& lit. cap.*
quæ reſpondere placet: ô altitudo divitiarum, &c. Et: nunquid iniqui- 34.
tas eſt apud Deum? Alibi quoq; ità ſcribit: *Dei gratia cur ad iſtum veniat, ad illum non veniat, occulta cauſa eſſe poteſt, injuſta non poteſt.*
* *Nemo venit niſi tractus; quem trahat, quem non trahat; quare illum* *Idē Tract.*
trahat & illum non trahat; noli velle judicare, ſi non vis errare. * *Me-* *26. in Joa:*
liùs eſt neſcire, quàm errare? melior eſt fidelis ignorantia, quàm teme- *Idem.*
raria ſcientia, quæ hominem in multos errorum labyrinthos & præcipi-

Google

tia devolvit. Hinc ejuſdem ſapientiſſimi Eccleſiæ Doctoris teſtimonio, *curioſitas invenit hæreſim.* Ait etiam vetus quædam Hebræorum paræmia: *deſcenderunt in profundum maris, & eduxerunt teſtam.* Ità curioſi rerum divinarum ſcrutatores, deſcendunt in oceanum ſapientiæ divinæ, nihil tamen inde comprehendunt & referunt, quàm errorum & chimærarum teſtas.

Eccle. 5. *Multas curas ſeqvuntur ſomnia*, inquit Salomon, quæ ſunt deliria dormientium; *& in multis ſermonibus* maximè de arcanis divinis, *invenitur ſtultitia*, & dementiſſimi errores, qui ſunt *ſomnia vigilantium*. Quò quis ſapere vult altiùs, eò profundiùs deſipit; & qui nimiùm vult videre proximus eſt cæcitati. Huc facit illud Artemidori: *notus eſt mihi quidam, qui viſus eſt ſibi tres oculos habere, & cæcus factus eſt.* Quam ob cauſam judico, in nulla ſcientia plures hodie reperiri falſitatum chimæras, quàm in ſcientia Theologica, maximè in materia de Deo uno & trino, in quarum labyrinthis facillimè aberratur, ſi ultrà quàm filum cæleſtis Ariadnæ, ſive ſtamen fidei ſe protendit, intellectus noſter gradi præſumat.

IV. Non nego tamen hìc, nos quædam in divinis profundiùs etiam poſſe ſcrutari, maximè illa quæ mentem ædificant & quietant. Sic in ſolatium noſtræ libertatis, & eximendos neceſſitatis putatitiæ ſcrupulos, rectè â nobis inveſtigatur, quonam modo divina ſapientia & providentia, quæ in ſuis decretis *attingit â fine uſq; ad finem fortiter*, ſeu efficaciter & infallibiliter, diſponat tamen *omnia ſuaviter* ſinè humanæ libertatis offenſione. In his tamen ipſis, nihil extra fidei dogmata pertinaciter tueri debemus, vel arbitrari nos quidquam comprehendiſſe. Qui ſe in his perſpiciendis ſapientiſſimum judicat, ſtultiſſimus eſt. Nihilominus circa hæc & ſimilia humano intellectui omnino inacceſſa, lites quotidianæ inſtituuntur, dum quiſq; ſuàm ſententiam contentioſè propugnat, & veritatem ſibi acu tetigiſſe videtur. *Trinitatem Omnipotentem*, inquit Sanctus Auguſtinus, *quis intelligit? & quis non loquitur eam, ſi tamen eam? rara anima, quæ cùm de illa loquitur, ſciat quid loquatur; Et contendunt, & dimicant, & nemo ſinè pace vidit iſtam viſionem.*

Sap. 8.

Confeſſ. lib. 13. c. 11.

Sufficit in multis â nobis credi ſubſtantiam myſterij, tametſi nos lateat ejus modus & circumſtantia. Quorum rationem quærenti, reſpondendum cum S. Auguſtino: *Quid â me quæris quo ſit factum modo? cùm*

lib. 6. cont. Jul. c. 9.

Digitized by Google

cùm videas factum eſſe quocunq; modo, ſi Apoſtolo credis aliquo modo, qui mentiri potuit nullo modo. Sufficit ad ſcientiã ſalutis ea ſcire ac firmiter tueri, quæ DEUS revelavit circa myſteriorum noſtræ fidei ſubſtantias & modos. Cætera quæ DEUS in ſapientiæ ſuæ theſauris recondidit velle indagare, hominem & præſumptionis reum facit, & evidenti periculo erroris exponit.

Laudabiles mihi videntur ſectarij quidam apud Turcas, qui Hairetti appellantur. Hi in rebus altis & dubijs, nihil unquam definiunt, ſed dicunt: *Bize Haranuk*; *Nos neſcimus*; *Alla bilur*, *Deus novit.* Cùm etiam in ſummos Turcarum ſacerdotes *Muffti* appellatos ſublimantur, & ad quæſtiones in materia ſuæ Religionis ſibi propoſitas reſpondent, vel etiam judiciales ferunt ſententias, ſemper illa verba ſententiis & reſolutionibus ſuis apponunt: *Wellaha calem Biſſenah*, hoc eſt: *Deus quàm optimè ſcit.* Credunt enim: quod eſt omnino veriſſimum, veritatem & falſitatem ità coloratam ſæpius obijci mentis oculo, ut una mentiatur alteram, & intellectus judicando fallatur. Sed ad curioſos ſcrutatores redeamus, inter quos etiam numerandus eſt Salomon, judicio D. Hieronymi, qui poſtquam animum ſuum adjeciſſet inquirendæ ſapientiæ, ultra licitum ſe extendit, volens cauſas rationéſq; cognoſcere, quare parvuli corriperentur â dæmone, cur naufragia juſtos & impios pariter abſorberent, utrum hæc & his ſimilia caſu evenirent, an judicio Dei; Et ſi caſu, ubi providentia Dei? ſi judicio, ubi juſtitia Dei. Hæc nôſſe deſiderans, intellexit ſuperfluam curam & ſolicitudinem per diverſa cruciantem, â Deo hominibus datam, ut ſcire cupiant, quod ſcire licitum non eſt; & ùt ait D. Auguſtinus, plus ſitiant, quàm capiant.

Ex hiſtoria Ottomannica Winchelſeij.

D. Antonius quoq; deficiens aliquando in conſideratione profunditatis judiciorum Dei, poſtulavit dicens: *Domine quomodo alij in parvo tempore vitæ ſuæ moriuntur, & aliqui ultra decrepitam veniunt ſenectutem? & quare alij egeſtuoſi ſunt, alij autem facultatibus ditantur? & quomodo injuſti opulenti ſunt, juſti autem paupertate premuntur?* & venit ei vox dicens: *Antoni ad te ipſum attende, hæc enim judicia Dei ſunt, & te ſcire ea non convenit.*

In vitis PP.

Attendendum ergo cuiq; potiùs ad ſe ipſum, neq; enim neceſſe eſt, imò pernicioſum homini, majora ſe quærere, & facturam oculos judices in ſuum levare factorem. Scriptum eſt: *Sicut qui mel multum* *come-*

Proverb. 25.

Digitized by Google

comedit non eſt ei bonum; ſic qui ſcrutator eſt Majeſtatis, opprimetur à
Pſal. 63. *gloria.* Scriptum item: *accedet homo ad cor altum, & exaltabitur* DEUS, utinam ſolummodo ad eludendam, non etiam ad plectendam pulveris humani præſumptionem.

De præſumptuoſis ejuſmodi ſcrutatoribus intelligi poteſt illud pſalmiſtæ: *dejeciſti eos dum allevarentur.* * *Quo aſcendiſtis*, inquit
lib. 4. Confeſſ. c. 12. S. Auguſtinus, *quando in altum iſtis, & poſuiſtis in cœlo os veſtrum? deſcendite ut aſcendatis ad Deum, cecidiſtis enim aſcendendo contra eum.*
Apocal. 2. DEUS has *altitudines ſathanæ* à quolibet avertat, ne dum alta ſcrutatur, cadat in profundum; & dum quærit quod non debet, inveniat quod non vult. Ait quidam: *ſicut qui guſtat aconitum ut qualitatem ejus ſcrutetur, priùs perit quàm ſaporem ejus ſentiat; ità qui curiosè rimatur ea quæ ad ipſum non pertinent, priùs ſeipſum peſſumdat, quàm cognoverit id quod ſcrutatur.*

V. Exprobrat hanc literatis curioſitatem divina veritas apud Thomam
lib. 3. de imit. Chriſti. c. 4. de Kempis ità conquerens: *quidam non ſyncerè coram me ambulant, ſed quadam curioſitate & arrogantiâ ducti, volunt ſecreta mea ſcire, & alta Dei intelligere, ſe & ſuam ſalutem negligentes; hi ſæpe in magnas tentationes & peccata, propter ſuam ſuperbiam & curioſitatem, me eis adverſante, labuntur. Time judicium Dei, expaveſce iram omnipotentis, noli autem diſcutere opera altiſſimi, ſed tuas iniquitates perſcrutare, in quantis deliquiſti, & quàm multa bona neglexiſti.*

Bene dixit Socrates: *quæ ſupra nos nihil ad nos.* Ideóq; de moribus ſemper, de aſtris aliiſq; altioribus & abſtruſioribus nunquam diſputabat. At hodie verum eſt illud Pacuvij: *quod ante pedes eſt nemo ſpectat, cœli ſcrutantur plagas.* Thaletem, dum cœlum contemplaretur, in foveam delapſum, ancilla ejus feſtivo joco deluſit, jure id eum pati dicens & applaudens, qui cùm juxta pedes poſita ignoraret, cæleſtia ſcrutaretur. O quot hujuſcemodi Thaletes hoc ſæculo, non in cœlum ſolummodo curioſos conijciunt oculos, ſed in ipſa divinæ ſapientiæ ſacraria impudenter audent irrumpere, rimari divina arcana, illáq; ingeniolo ſuo præſumptuosè metiri. Euclides à quodam tali interrogatus, quales eſſent Dij? *cætera quidem ignoro* reſpondit; *at curioſos illis odio eſſe certè ſcio.* Alij cuidam dicenti: *quid faciebat DEUS antequam faceret cœlum & terram?* nonneminem ſapienter reſpondiſſe perhibet D. Auguſtinus, & joculariter eluſiſſe curioſam quæſtionem dicendo: *alta ſcru-*

Digitized by Google

ſcrutantibus gehennas parabat. * *Ne igitur*, inquit Seneca, *altiori rei te imponas, in qua tibi ſtanti tremendum, aſcendenti cadendum ſit, id quære quod potes invenire, id diſce quod potes ſcire; quid te torques in illa quæſtione & maceras, quam ſubtilius eſt & melius contempſiſſe quàm ſolvere? nihil inconſideratius, nihil ſtultius, quàm quæſtionibus & rebus animum occupare, quas nec ſcire utile eſt, nec honeſtum experiri. Moveat te quæſtio honeſta moribus, cogitationibus pacis accommoda, ſpeculationis divinæ terminos non excedens. Impoſſibile & indignum eſt attingere velle ſummum principium; cùm ipſa naturalium rerum principia, in omni arte agitari probatione non ſuſtineant. Habet & ipſa naturæ ratio metas ſuas, habet & fines, qui ſoli naturæ DEO noti ſunt & aperti.* Hæc varijs locis Seneca. *Confeſſ. lib. 11. c. 12.*

Salubriter nos admonet D. Auguſtinus in libro de baptiſmo parvulorum: *ubi*, inquit, *de re obſcuriſſima diſputatur, non adjuvantibus divinarum ſcripturarum certis clariſq; documentis, cohibere ſe debet humana præſumptio; ſinè diſpendio enim promiſſæ ſalutis, multa poſſumus ignorare.* Et *non ad parvæ intelligentiæ arcem pervenit*, teſte S. Iſidoro, *qui ſcit ſecreta DEI ſe penetrare non poſſe.* *In ſent. lib. 2. cap. 1.* Audi quid Lactantius de præſumptuoſis mortalibus illis ſentiat, qui ſe in divinæ ſapientiæ arcana & ſacraria temere intromittunt, & tandem deficiunt ſcrutantes ſcrutinio, omniſq; ſapientia eorum devoratur. Libro de falſa ſapientia, *c. 20.* poſtquam Socratis mentionem fecerat, palàm profeſſi ſe hoc unum ſcire quod nihil ſciret: *non inficior*, inquit, *fuiſſe illum paulo cordatiorem quàm cæteros, qui naturam rerum putaverunt ingenio poſſe comprehendi, in quo illos non excordes tantùm fuiſſe arbitror, ſed etiam impios, quod in ſecreta cæleſtis illius providentiæ curioſos oculos voluerint immittere. Romæ & in pleriſq; urbibus ſcimus eſſe quædam ſacra, quæ aſpici à viris nefas habeatur; abſtinent igitur aſpectu, quibus contaminare ea non licet, & ſi fortè vel errore vel caſu quiſpiam vir aſpexerit, primo pœnâ ejus, deinde inſtauratione ſacrificij ſcelus expiatur. Quid his facias qui inconceſſa ſcrutari volunt; nimirum multò ſceleratiores; qui arcam mundi & hoc cæleſte templum profanare impiis diſputationibus quærunt, quàm qui ædem Veſtæ, aut Bonæ Deæ, aut Cereris intraverint, quæ penetralia quamvis adire viris non liceat, tamen à viris fabricata ſunt. Hi verò non tantùm impietatis crimen effugiunt, ſed quod eſt multò indignius, eloquentiæ famam & ingenij gloriam conſequuntur, Quid ſi ali-*

Digitized by Google

aliquid inveſtigare poſſunt? ſunt enim tam ſtulti in aſſeverando, quàm improbi in quærendo, cùm neq; invenire quicquam poſſint, nec defendere etiamſi invenerint; nam ſi verum vel fortuitò viderint, quod ſæpius contingit, committunt ut ab aliis id pro falſo refellatur. Non enim deſcendit aliquis de cælo, qui ſententiam de ſingulorum opinionibus ferat. Quapropter nemo dubitaverit eos qui iſta inquirunt, ſtultos, ineptos, inſanos eſſe.

lib. 2. de orig. error. c. 9. *Sciat igitur*, ait alibi idem Lactantius, *quàm ineptè faciat, qui res inenarrabiles quærit, hoc eſt enim modum conditionis ſuæ tranſgredi, nec intelligere quouſq; homini liceat accedere. Deniq; cùm aperiret homini veritatem Deus, ea ſola ſcire nos voluit, quæ interfuit hominem ſcire ad vitam conſequendam, quæ verò ad curioſam & profanam cupiditatem pertinebant, reticuit, ut arcana eſſent. Quid ergo quæris quæ nec potes ſcire, nec, ſi ſcias, beatior fias? perfecta eſt in homine ſapientia, ſi & Deum eſſe unum, & ab ipſo eſſe facta univerſa cognoſcat.*

VI. *Apum. lib. 2. c. 48. n. 3.* Audiamus hîc etiam Cantipratanum, qui in hanc ſuperbam mortalium curioſitatem ſic invehitur: *Quid te inflas humana ſuperbia? quò tenderis? quantò aſſurgis fortiùs, tantò turpiùs conquaſſaris. Audi quid de Beato Auguſtino Voluſianus teſtatur dicens: In aliis ſacerdotibus per mundum, quomodocunq; toleratur inſcitia, id eſt ignorantia; cùm autem ad Auguſtinum ventum fuerit, legi Dei deeſſe creditur, quidquid eum contigerit ignorare. Quid autem tam magnifico viro ſuper profunditate ſermonis, & arduarum rerum diſputatione contigerit, audiamus.* Eo tempore, quo B. Auguſtinus librum de Trinitate compoſuit, illi tale miraculum DEUS oſtendit.

Hipponenſis Civitas Aphricæ nobilis, in qua B. Auguſtinus Epiſcopatum adminiſtrabat, ſuper litus maris pulcherrimè ſita erat. Beatus autem Auguſtinus in conſuetudine habebat, ut poſt diurnum ſtudium & laborem, veſpere ſuper litus maris, ſequentibus â longè Epiſcopis & Clericis, qui eum pro conſilio & negotio univerſalis Eccleſiæ frequentabant, ſolus antecedens deambularet, ne ſcilicet ejus contemplationem aut ſtudium colloquentium fabulatio impediret. Cùm ergo ſic ſolus vice quâdam incederet, puerulum miræ pulchritudinis ſuper litus maris ſedentem invenit, qui factâ in terra foſſâ parvulâ, ſicut pueri in plateis ludentes ſolent, cochleari argenteo aquam de mari hauriebat, & in illam foſſam parvulam effundebat. Quem ut S. Auguſtinus ità ſedentem vidit,

Digitized by Google

vidit, pedem mox preſſit, & ſtetit, procedénſq; inde puerum ſalutat & inquirit quid agat? at puer ſerio vultu reſpondens: *volo*, inquit, *totum mare iſtud exhaurire, & iſti foſſa ſi poſſim, infundere*; quo reſponſo quaſi puerili vir ſanctus in riſum decentiſſimum concitatus reſpondit: *& quomodo*, inquit, *ô bone puer hoc poteris? ingens mare eſt, parvum cochlear quo exhauris, parva etiam foſſa, in quam infundis.* Cui mox puer: *poſſibilius*, inquit, *mihi eſt hoc facere quod intendo, quàm te implere quod cogitas.* Ad hoc B. Auguſtinus mirabiliter ſtupefactus, quid hoc eſſet interrogat. Et puer: *cogitatu*, inquit, *volvis, & æſtimas volumine brevi concludere, quod ſit illud Individuæ Trinitatis inexplicabile ſacramentum. Et hoc quidem antequam poſſis, iſti foſſæ parva potiùs totius maris undas infundam.* Hæc dicens puer repentè diſparuit. B. verò Auguſtinus Chriſtum in facto glorificans, quàm verum puer dixerit, mox advertit. Qui etiam cùm eſſet hæreſi Manichæorum infectus, citiùs haud dubiè ad fidem orthodoxam converſus fuiſſet, niſi tumens inani Philoſophiâ, voluiſſet humanâ ratione comprehendere, quod pia mens vivacitate fidei nititur apprehendere.

Novit Dominus in hac præſertim ſublimium, divinarúmq; rerum ſcrutatione *cogitationes ſapientûm, quoniam vanæ ſunt.* Si tantus Eccleſiæ Doctor, dum paulò ſolertiùs myſteria Trinitatis ſanctiſſimæ inveſtigaret, ab Angelo parvuli figuram gerente ſic repreſſus eſt & deriſus, quòd tam immenſum pelagus foſſulâ ingenij ſui comprehendere niteretur, quid illorum curioſa præſumptio promerebitur, qui ſues ſunt in comparatione hujus Minervæ? quibus conſultiùs judicaverim terram lingere, quàm roſtra ſua in cælum ponere, & impudenter altiſſimarum rerum myſteriis immittere, curioſè illa diſquirere, temerè de illis ſentienda ſtatuere, & pertinaciter aſſeverare. Dicamus potiùs cum eodẽ Auguſti nominis & ſapientiæ Doctore, quoties aliquod in Divinitate myſteriũ captui noſtro difficile occurrit: *Hîc ſi ratio quæritur, non erit mirabile; ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare; Demus DEUM aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. In talibus rebus, tota ratio facti, eſt potentia facientis.* Hæc S. Auguſtinus. *O altitudo ſapientiæ ac ſcientiæ DEI!* qui ſolus divinitatis ſuæ arcana penetrat. E contra ô hebetudo ſapientiæ ac ſcientiæ hominum, quàm ſtulta & incerta ſunt judicia ejus, quàm fallibiles ſententiæ illius, maximè dum conſtitutos fidei terminos præſumptionis & ſuperbiæ alis conatur tranſcendere.

1. Cor. 3.

Epiſt. 3. ad Voluſianum.

O o Sapi-

Digitized by Google

VII. Sapienter admonet unumquemq; Majeſtatis divinæ & arcanorum ejus ſcrutatorem Eccleſiaſticus, & hanc curioſitatem in ſe ipſum potiùs jubet reflectere, dum ſic ait: *altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi DEUS, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus non eris curioſus.* At quantus illorum hoc ſæculo eſt numerus, qui hoc ſaluberrimo Eccleſiaſtici monito minimè ſapiunt, ac nimiùm volendo ſapere, plurimùm deſipiunt; qui ora ſua digniùs, quàm Abbas ille Copres in vitis Patrum relatus, pulſare poſſent dicentes ad ſe: *væ tibi, quia quæ mandavit tibi DEUS ut faceres dereliquiſti, & quæ à te non requirit, illa ſcrutari præſumis.* Quàm è contra pauci ſunt, qui ut Auguſtiniano dicendi modo utar, in nido Eccleſiæ tuti plumeſcunt, & alas charitatis alimento ſanæ fidei nutriunt; quin potiùs plurimi, cùm tamen pulli ſint implumes, extra nutritorias cunas ſuperbâ imbecillitate ſe extendunt, & dum in profundiſſima quæq; ſcrutanda debiles conijciunt oculos, vertigine correpti ruunt in profundum. Exclamabo hic cum D. Auguſtino jam cadentibus in præceps miſeris: *Domine miſerere, ne implumes pullos conculcent, qui tranſeunt viam, & mitte Angelum tuũ, qui eos reponat in nido, ut vivant, donec volent.*

c. 3.

Confeſſ. lib. 12. c. 28.

Pergit Eccleſiaſticus: *non eſt enim tibi neceſſarium ea quæ abſcondita ſunt videre oculis tuis.* Occurrit hîc mihi Ægyptius ille bajulus, geſtans quiddam velis coopertum, qui curioſo cuidam ſciſcitanti quid portaret, reſpondit: *Ideo obvelatum eſt ne ſcires.* * *In ſupervacuis rebus noli ſcrutari multipliciter*, inquit iterum Siracides, *& in pluribus operibus Dei non eris curioſus; plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi. Multos quoq; ſupplantavit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum.*

Non parvus eſt fructus, ut ait D. Auguſtinus, *ſi aliqua obſcura & incerta, quæ comprehendere non valemus, clarum ſaltem certúmq; ſit nobis non eſſe quærenda, & quod unuſquiſq; vult diſcere, putans prodeſſe ſi ſciat, diſcat non obeſſe ſi neſciat.* Non accuſabimur ô ſocij, quòd ſublimiſſima Theologiæ myſteria penetrare neglexerimus, arcana divinarum proceſſionum, prædeſtinationis noſtræ modum ignoraverimus, de gratiæ myſteriis, & actuum divinorum libertate, aliiſq; arcanis diſputare neſciêrimus, ſed ut bene dixit D. Antonius: *In hoc unuſquiſq; ſibi præparat ſeu tormenta, ſeu gloriam, ſi vel negligat ſcripturarum mandata, vel faciat.*

Idem

Digitized by Google

Idem S. Auguſtinus definit illum eſſe *curioſum*, qui *avidè ſcrutatur ea quæ ad ſe non pertinent*; *ſtudioſum* verò, qui *diligenter perquirit ea quæ ſe attinent.* Nos ſtudioſi ſimus, non curioſi; Scrutemur aſſiduè, non arcana ſapientiæ divinæ, ſed

Ædibus in noſtris quæ parva aut recta geruntur. Quid videlicet in domo conſcientiæ noſtræ ſit reformandum, & quid deſit nobis. Bene Demonactis quibuſdam interrogantibus, an mundus eſſet animatus; & iterum, an globoſus? reſpondiſſe legitur: *vos de mundo ſoliciti eſtis, & veſtram ipſorum immunditiem non curatis.* *Homerus.*

VIII. Nullus tamen exiſtimet me per illa quæ dicta ſunt, rerum divinarum contemplationem etiam profundiorem omnino improbare; ſcio Eccleſiæ oculos ſuos aquilinos non deeſſe, qui etiam profundiora ſcripturarum perſpiciant; ſcio plures innocuè in intima divinæ Theologiæ arcana penetrâſſe, ut aquilam illam Apocalypticam Joannem, Paulum, Dionyſium, Auguſtinum, Aquinatem, & mille alios; ſed his videndi acumen divini ſolis radius addidit, & alas quibus volarent, gratia divina ſubminiſtravit. Tibi autem Chriſtiane, quicunq; pullus adhuc implumis es, & oculis caligas, volatum diſſuadeo, ne quanto altiùs aſcenderis, tanto inferiùs cadas, & impleatur in te illud pſalmi: *quoniam elevans alliſiſti me.* Mihi Domine diſpliceat ſic elevari, ne miſerè allidar, & amem cum D. Auguſtino: *non inveniendo invenire potiùs, quàm inveniendo non invenire te.* *Pſal. 101. Confeſſ. lib. 1. c. 6.*

Non ſimus igitur curioſi rerum divinarum ſcrutatores, *& quod neſcire nos Dominus voluit, libenter neſciamus.* Nec præſumamus intellectûs noſtri funiculo, divinarum ſcripturarum & cæleſtium myſteriorum profunditatem metiri. Simus contenti ſuperficie nobis revelatâ, & ſi quid ultra illam videre nobis â Deo conceditur, ne alioquin profundiora ſcrutantes mergamur. S. Auguſtinus ante memoratus DEUM alicubi ità alloquitur: *mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos ſuperficies blandiens parvulis, ſed mira profunditas DEUS meus, mira profunditas. Horror eſt intendere in eam, horror horroris, & tremor amoris.* * *Divina ſcriptura*, inquit S. Gregorius, *ſicut myſterijs ſapientes exercet, ſic ſuperficie ſimplices refovet. Mirabilis fluvius eſt iſte, qui eſt ità planus, quòd ibi Agnus, id eſt ſimplex & illiteratus poteſt ſiccis pedibus tranſire, & Elephas, id eſt magnus & ſubtilis poteſt natare, imò poteſt ſe ſubmergere.* *S. Auguſt. Confeſſ. lib. 12. c. 14.*

IX. Quòd ſi nihilominus arcana divina penetrandi deſiderio tenemur, & ad cæleſtis ſapientiæ ſacrarium intromitti volumus, ſciamus nos intellectûs noſtri clave parum profecturos; orationibus piè ac humiliter clementiæ divinæ janua nobis pulſanda eſt. *Pius pulſator plerumq; invenit*, teſte D. Bernardo, *quod temerarius ſcrutator invenire non poteſt.* Et * *multo magìs invenit Siderum Conditorem humilis pietas*, ait S. Auguſtinus, *quàm Siderum ordinem ſuperba curioſitas.* Vitam demum noſtram religiosè ac devotè inſtituamus, cujus exacto curriculo, videbimus DEUM noſtrum facie ad faciem, & in ipſo omnia ſapientiæ divinæ arcana clarè ac dilucidè intuebimur, quæ nos modò ſcire vel ignorare parum intereſt.

Legitur de S. Thoma Aquinate, quòd poſt mortem apparuerit in gloria ſocio ſuo Reginaldo, â quo rogatus ut ei ſolveret quæſtionem illam, de qua in vivis ſæpe diſputaverant, *an DEUS â beatis videatur per ſpeciem, an ſinè ſpecie.* Curioſam hanc quæſtionem, & ſpirituali hominum profectui parum utilem ſolvere noluit, ſed ambiguè reſpondens hoc ſolum dixit: *Sicut audivimus ſic vidimus in Civitate Dei virtutum.* Ludovicus Granatenſis eandem hiſtoriam non multò aliter narrat, mutatâ tamen quæſtione, variatiſq; perſonarum nominibus. Cùm, inquit, Fr. Romanus Theologus Dominicanus, & S. Thomæ Aquinatis in prælectionibus Theologicis Succeſſor, poſt mortem apparuiſſet D. Thomæ Neapoli commoranti, & ad unam, aut alteram quæſtionem â D. Thoma ſibi propoſitam reſpondiſſet, hic verò ulteriùs pergeret quærere dicens: *ſcis crebro nos in diſputationem illam adduxiſſe quæſtionem, an permaneant in anima ſcientiæ in hac vita acquiſitæ, quæſo ut eam mihi expedias.* Reſpondit Romanus: *Ego Deum intueor, noli hac de re ex me ſciſcitari.* Et Thomas: *videſne*, inquit, *DEUM ſinè medio, aut aliqua re interpoſitâ?* Tum ille: *ſicut audivimus*, ait; *ſic vidimus in Civitate Domini virtutum.* móxq; diſparuit, & S. Thomam magnâ reliquit conſolatione perfuſum. Videbimus perſpectiſſimè in illa Civitate omnes quæſtionum ſublimium difficultates nobis enodatas. Ut verò ad illam perveniamus, voluntatis, non intellectûs alas adhibere debemus. Non opꝰ eſt nos alta & abſcondita contemplari myſteria, ſed divina ſcrutari mandata. In his nobis meditandũ & incedendũ eſt die ac nocte.

Quid nimis alta ſapis? quid vis nimis altâ videre
O homo? qui vix hæc inferiora vides.

Quæſo

Quæſo vide â nimio ne lumine lumina perdas,
Ne cogâre nihil cernere, cerne parum.

Semper animo tuo inſculptum maneat ſupracitatum Eccleſiaſtici monitum, quod pro fine Capitis repeto, & pro anni præſentis chronoſticho verbuli unius mutatione ſic accommodo. *Chronoſtichon anni 1676.*

ALtIora te ne qVæsIerIs, & fortIora te ne sCrVtatVs fVerIs, ſeD qVæ præCepIt tIbI DeVs ILLa CogIta, & In pLVrIbVs operIbVs eIVs ne * sIs CVrIosVs. *Eccli. 3. 22.* ** fueris.*

CAPUT XXVII.

Rara Doctorum humilitas.

ACtum eſt ſuperiùs copioſè de ſuperbia faſtúq; literatorum, & quomodo typho ſuo inflari ſoleant & turgere. Quod tamen non ità accipiendum eſt, quaſi nunquam humilitas in doctis locum inveniret; non incognitos etenim plures habeo, qui in ſummo ſapientiæ faſtigio, hujus virtutis inſignibus mirabiliter emicuerunt, ejúſq; ope â ſuperbiæ typho, caſibúſq; lacrymandis ſunt præſervati. Non igitur omnes doctos faſtu ambitioſo turgentes pronuntio, ſiq; illud auderem, ſtaret contra me lumen illud Eccleſiæ clariſſimum Auguſtinus, cujus ſapientiam pro meritis laudare inter impoſſibilia cum pluribus refero. Parum enim dixiſſe videbor, ſi eum cum S. Hieronymo, & omnibus ævi ſui Catholicis vocavero *antiquæ rurſus fidei conditorem.* Si cum Caſſiodoro ipſum appellavero *inſignem omnium bonarum literarum Magiſtrum, fontem puriſſimum, clariſſimum cæli lumen.* Cum Remigio Antiſiodorenſi *ſolem doctorum.* Cum Abbate Ruperto *veritatis columnam, in qua Dei ſapientia ſuum thronum collocavit.* Si cum Voluſiano pronuntiavero: *Legi Dei deeſſe, quidquid Auguſtinum contigit ignorare.* Hic in tantis doctrinæ ſuæ ſplendoribus, adeo parcus excellentiæ ſuæ fuit æſtimator, paratior ſemper diſcere quàm docere, ut paſſim vellet ſuos libros & ſcripta examinari, emendari, ſeveriſſimè cenſeri & corrigi, & hoc nì fieret, ſe lædi aſſeveraret. Ait alicubi: *nolo authoritatem meam ſequaris, ut ideo tibi putes eſſe aliquid credendum, quoniam â me dicitur. Nullo modo meas literas ab omni errato liberas audeo vel putare vel dicere.* Alibi quoq; ità ſcribit: *Non pigebit* I. *lib. 5. de bapt. c. 17.*

1. de Trin. c. 2. & 3. *me ſicubi hæſero quærere; proinde quiſquis hæc legit, ubi pariter certus eſt, pergat mecum; ubi pariter hæſitat, quærat mecum; ubi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me; ubi meum, revocet me.* Et cum de errore S. Cypriani ageret, quo putabat rebaptizandos eſſe hæreticos, non modò ſe ait longè poſitum eſſe infra merita S. Cypriani, verùm etiam ſua eloquia eſſe infantilia rudimenta, in comparatione ubertatis S. Cypriani, nec ſuam ſententiam de non rebaptizandis hæreticis eſſe meliorem quòd ſua ſit, ſed quòd totius Eccleſiæ ſit & verior. Divum verò Epiſt. 19. Hieronymum ut cenſorem ſuper ſe agnoſcit: *Rogo*, inquiens, *ut me fidenter corrigas, ubi mihi hoc opus eſſe perſpexeris; quanquam enim ſecundum honorum vocabula, quæ jam Eccleſiæ uſus obtinuit, Epiſcopatus presbyterio major ſit, tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt.* Nihil deniq; ſuæ induſtriæ, ingenio, labori, arbitrióq; attribuit, niſi quod â malo eſt, certus omne datum optimum, & omne bonum perfectum deſurſum eſſe â Patre luminum, & gratiâ Dei eſſe, quidquid undequaq; in ſe boni eſſet. Humilitatem quoq; illius abunde loquuntur confeſſionum & retractationum libri. In prologo de vita chriſtiana, *ſe peccatorem primum & ultimum* appellat, *inſipientiorémq; cæteris, & imperitiorem univerſis.* Ingens profectò & admiranda in tanta celſitudine humilitas. At quàm rara hæc in orbe terrarum, noſtro præſertim ſæculo, avis! Quot mihi Auguſtinos, vel illi conſimiles, in faſtigio ſapientiæ micantes, ſui tamen adeò non oblitos exhibueris, tot venerabor viros divinos, tot agnoſcam miracula; cùm & ipſum hunc D. Auguſtinum quodam in loco ſubdubitantem audiam, ſi diſputans illis vitiis carere poſſit, quæ plerumq; ſtudiis humanis, & concertationibus excitantur, dum ſupra quàm ſcriptum eſt, unus pro altero inflatur adversùm alterum. Ad laudatiſſimam hanc humilitatis virtutem, veluti fræna limitéſq; exorbitanti ſcientiæ ponentem, & cor mortale inflari incipiens ad ſaniora revocantem, idem ſanctiſſimus Præſul Dioſcorum verbis ſequentibus invitat: *huic te*, inquiens, *mi Dioſcore, ut totâ pietate ſubdas velim, nec aliam tibi ad capeſſendam & obtinendam veritatem viam munias, quàm quæ munita eſt ab illo, qui greſſuum noſtrorum tanquam DEUS videt infirmitatem. Ea eſt autem prima humilitas, ſecunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares, hoc dicerem.* Hanc virtutem ipſemet, ut vidimus, non impigrè ſectatus eſt, ut mirum non ſit tam raram in tanto ſcientiæ faſtigio ſubmiſſionem, altiſſimo in cælis thro-

throno, â Deo humilia exaltante præmiatam. Fertur enim, quòd vir quidam ſanctus in ſpiritu raptus, cùm ſanctos in gloria conſpexiſſet, & B. Auguſtinum minimè vidiſſet, quendam de Sanctis ubinam Auguſtinus eſſet fuerit percontatus, qui reſpondit: *Auguſtinus reſidet in excelſis, ubi diſputat de gloria Excellentiſſimæ Trinitatis.* Itâ reſident in excelſis poſtea, qui priùs humi ſerpebant, ſcientes jacentem in terra unde cadat non habere. Itâ humilitas thronum Luciferi, quem præcipitavit ſuperbia, meretur poſſidere; itâ docti per ſanctam hanc virtutem elevantur, & ſupra ſplendorem firmamenti coruſcant in perpetuas æternitates.

Qui autem, ùt ait magnus idem Aurelius, *cothurno tanquam doctrinæ ſublimioris elati, non audiunt dicentem: diſcite â me quoniam mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris; & ſi cognoſcunt Deum, non ſicut Deum glorificant, aut gratias agunt, ſed evaneſcunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratur inſipiens cor eorum, dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt; & cum Lucifero vanè ſuum exaltante ſolium cadunt in profundum laci.* *Confeſſ. lib. 7. c. 9.*

II. Quid hîc dicam de S. Hieronymo, lumine illo Eccleſiæ pariter glorioſo? quem D. Auguſtinus refert græco latino & hebræo eruditiſſimum eloquio, in literis præſertim ſacris uſq; ad decrepitam vixiſſe ætatem, ejúſq; eloquij nobilitatem ab oriente in occidentem inſtar ſolaris lampadis reſplenduiſſe; is tamen animo & converſatione ſemper fuit humillimus: *nihil*, inquit, *â pueritia itâ vitare conatus ſum, ut animum tumentem, & erectam cervicem, Dei contra ſe odium provocantem.* *ad Albigenſem.*

S. Gregorius doctrinâ non minùs quàm ſanctitate maximus, libros ſuos dum adhuc viveret, ob nimiam humilitatem publicari nolebat, & in aliorum comparatione ſuos nihil valere exiſtimabat. B. Auguſtini ſcripta cum ſuis comparans, illa ſiliginem, ſua verò furfures appellabat: *ſi delicioſo*, inquit, *cupitis pabulo ſaginari, S. Auguſtini opuſcula legite, & ad comparationem ſiliginis illius, noſtrum furfurem non quæretis.* Primus deniq; in Epiſtolis ſuis ſe ſervum ſervorum Dei nominavit. *lib. 8. Epiſt. 39.*

Ad illum Aquilinum oculum intuendum me jam converto D. Thomam Aquinatem, qui ob doctrinam ſuam minimè ſuperbiâ elatus aut inflatus, quantò in contemplatione ſublimium plùs eminebat, tantò in ſui deſpectione magìs demittebatur; & cùm ſub Alberto M. ſtudens multam ſibi jam eruditionis materiam congregâſſet, pythagoricum tamen

Digitized by Google

tamen ſilentium humilitatis cauſâ ſibi indixiſſe videbatur, ut illud quod de Paula Romana prodidit D. Hieronymus, genere mutato ei quàm maximè quadrare videatur. *Nihil ingenio ejus docilius fuit; tardus erat ad loquendum, velox ad audiendum, memor illius præcepti: Audi Iſraël & tace.* In colloquiis & ubiq; verboſæ ſcientiæ venditationem cavens & jactantiam, tantâ paſſim utebatur taciturnitate, ut condiſcipulis eo nomine in contemptum venerit, qui eum bovem mutum appellabant. Sed hic bos mutus mugitu ſuo univerſum poſtea orbem implevit.

Libet hìc attexere ſingulare in ipſo humilitatis exemplum. Cùm ſemel Angelici jam Doctoris laude inſignis, Bononiæ in Cænobio ambularet contemplationi intentus, frater quidam alterius Cænobij, qui ſanctum virum non noverat, à Priore petijt, ut liceret ipſi cum fratre qui primus ei veniſſet obviam, ad quædam expedienda negotia egredi in urbem. Priore annuente, ante omnes incidit in S. Thomam, dixítq; ei: *Frater, Prior juſſit te mecum ire.* Mox præeuntem fratrem vir ſanctus ſequitur; ſed cùm ille iret feſtinatiùs, non potuit eum aſſequi; itaq; non rarò ab illo arguebatur, ſed vir ſanctus humiliter ſe excuſabat. Ut autem cives viderunt tantũ virum parvi momenti fratrem ſequi, exiſtimabant id errore fieri. Accedunt igitur ad illum fratrem, indicant quem virum poſt ſe ducat. Tum ille ad S. Thomam converſus, obnixè eum rogavit, ut veniam daret ſuæ ignorantiæ. Cives autem cum multa reverentia virum Dei compellantes, ſciſcitabantur, cur adeo ſe abijcere voluiſſet? at ille: *monaſtica*, inquit, *Religio, ſancta obedientia ſtudio perficitur, quâ homo homini ſe ſubijcit propter Deum, quemadmodum Deus ipſe ſe hominibus, cauſâ ſalutis humanæ ſubmiſit.* O egregium humilitatis exemplum! confundens vanos & elatos ſæculi noſtri ſapientes, qui nihil quàm honorem ſuum, & æſtimationem quærunt, ac eruditionis ſuæ cauſâ omnibus cæteris præferri ſe debere exiſtimant, amant primos recubitus in cænis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Magiſtri & Doctores. Adeo demũ humilis præfatus ingenij Angelici Doctor fuiſſe legitur, ut per totum vitæ ſuæ decurſum nullum unquam complacentiæ propriæ aut vanæ gloriæ ſtimulum ſenſerit, quemadmodũ etiam fratri Reginaldo confeſſus eſt dicens: *Deo gratias ago immortales, quòd inanis ſuperbia morbo nunquam laboraverim.* Cui proinde Joannes Papa XXII. in bulla canonizationis ſuæ hoc præconium attribuit: *fuit vir à terrenorum ambitione emotiſſimus, nullâ de ſe ſcientia opinione ſuperbus.* Omit-

Matt. 23.

Ex Pizzoni chron. bull. canoniz. cap. 3. & 7.

Omitto hîc plures ſcientiâ Illuſtriſſimos, qui typhum ſuperbiæ cor inflantem humilitatis ſubſidio repreſſerunt, nec unquam prudentes apud ſemetipſos extiterunt. Pro exemplo poſtremò adducam Gerhardum illum, de quo frater ejus mellifluus Bernardus ità teſtatur: *Cùm omnium judicio omnibus eſſet ſapientior, ſolus in ſuis oculis non erat ſapiens.* *Utinam multos*, inquit ibidem S. Bernardus, *etſi minùs ſapientes, non plùs tangat illa maledictio; væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris.* hom. 29. in Cant.

III. Sed utinam his exemplis commonerentur eruditi, ac ſaperent aliquando, diſceréntq; humilitate veram compleri ſapientiam, & ut ait D. Chryſoſtomus: *minimis ſe adnumerare, caput eſſe totius Philoſophiæ Chriſtianæ, atq; faſtigium.* hom. 3. in Matth. c. 1. & 8.

Ubi humilitas ibi & ſapientia. * *Lumen intelligentiæ humilitas aperit, ſuperbia abſcondit*, teſte S. Gregorio, *nam ſecretum quoddam pietatis eſt, ut tantò minùs ad illud animus perveniat, quantò magis intumeſcit; quia eo ipſo foras repellitur, quò inſaniùs inflatur.* Humiliemur itaq; in conſpectu Domini, non altum ſapiamus, neq; multùm de ſcientia noſtra nobis præſumamus; vocemus nos Idiotas & inſipientes, ut ſapientes effici mereamur, nulli vel minimo nos præferamus, & parati ſimus à quolibet quantumlibet indocto veritatem edoceri. Legimus in vitis Patrum de quodam ſene, qui cùm aliquando ſeptuaginta hebdomadis jejunâſſet, ſemel tantùm in hebdomada corpus cibo reficiens, eum in finem, ut intelligentiam cujuſdam ſcripturæ à Deo conſequeretur, nihil tamen jejunio ſuo profecit. Quamobrem apud ſe conſtituit, fratrem quendam accedere, ut ab eo requireret ſcripturæ ſenſum. Cùm jam cellâ ſuâ egreſſus clauderet oſtium ſuum ut abiret, miſſus eſt ad eum Angelus Domini dicens: *ſeptuaginta hebdomadæ quas jejunâſti non fecerunt te proximum Deo. Nunc verò quando humiliatus es, ut ad fratrem tuum pergeres, miſſus ſum indicare tibi ſermonem.* DEUS videlicet humiles docet atq; illuminat, & intellectum dat parvulis; mundi verò ſapientes confundit, & ſtultam facit ſapientiam ipſorum. proverb. 11. lib. 25. Moral. lib. 5. libell. 15. n. 72.

Paucis hiſce de rara doctorum humilitate delibatis, ad frequentes miſerandóſq; ipſorum caſus & præcipitia deſcribenda me confero. Poſtquam enim inflante ſuperbiâ, ſpiritu arrogantiæ & præſumptionis elati in altis volare cæperint, in ima miſerrimè deturbantur. Abſterreant potiùs

Digitized by Google

tiùs ab eruditionis ſtudio ſalutis ſuæ cupidum, plurimorum ſcientiâ ſuâ infatuatorum caſus lacrymandi, quàm invitent in multa ſapientia humilium exempla; expendat quiſq; innumera doctis hominibus in via ſalutis occurrentia pericula, per quæ ſenſim itur ad grandius periculum amittendæ beatitudinis, ut conſultiſſimè Divus pronuntiaverit Hieronymus: *Epiſt. 22.* *meliùs eſt aliquid neſcire ſecurè, quàm cum periculo diſcere.*

Quidquid terrenum noſtris ſe captibus offert,
Occultat laqueos muſcipuláſq; ſtygis.
Dum capimus capimur; ſi diligis ergo ſalutem,
Qui modo multa capis, ne capiâre cave.
Inſidias humilis vincit; te ceperis ipſum,
Et cunctos orci tranſgrediere dolos.
At rara hæc virtus, albóq; ſimillima corvo,
Paucos namq; humiles improba gignit humus.

CAPUT XXVIII.

Funeſti & lacrymandi Doctorum caſus exemplis quibuſdam demonſtrantur.

I. QUis non uberes fundat cum D. Auguſtino lacrymas, manantes de *concuſſo ſpiritu, conſideratione periculorum omnis animæ, quæ in Adam moritur.* Filij tamen hominum, proh dolor! ſponte accumulant ſalutis ſuæ pericula, lubricis vijs quàm libentiſſimè inambulant, in quibus mille laquei, mille diſcrimina, & hoſtium vitiorúmq; latrunculis inſeſſa omnia; tramites amant difficiles & ærumnoſos, qui poſt afflictionem carnis temporalem, æternùm quoq; miſeros peſſumdant mortales, & in triſte Inferni Barathrum præcipitant.

Quid ità ſtudioſe ſcientiarum homo, & ſalutis tuæ incurie deliras? quid deſipis? & ut D. Bernardi verbis te compellem; *quid in omnibus es prudens, & circa temetipſum es inſipiens? & quantò magìs foris es ſapiens, tantò magìs intus ſtultus efficeris?* * *quid tibi prodeſt ſi univerſum mundum lucreris, te unũ perdens? etſi ſapiens ſis, deeſt tibi ſapientia, ſi tibi non fueris ſapiens.* Alexander Magnus in Calliſthenem dicebat: *ſapientem ego odi qui ſibi ſapit nihil.* Quan-

Serm. de miſer. hũ. *Idem de conſider. lib. 2.*

Digitized by Google

Quantùm porro inſit periculi ſcientiis, quàm lubricæ ſint ſemitæ quas incedis, per quas ad mortem curris, etſi ſatìs ex prædictis innoteſcere poſſit, docebunt ulteriùs lamentabiles doctiſſimorum quorundam caſus & ruinæ, qui viam hanc incautè ambulantes, typho perniciosiſſimo in tranſverſum acti, periêrunt. Et ut cum D. Auguſtino loquar: *tantò in majores errores iêrunt, & in majora præcipitia prolapſi ſunt, quantò præſidentiùs tanquam ſuis viribus cucurrerunt.* *Soliloqu. cap. 19.* *Vidimus*, inquit hic S. Doctor, *multos, & audivimus à Patribus noſtris, quod utiq; ſinè magno tremore non recolo, ſinè multo timore non confiteor, aſcendiſſe primitùs quodammodo uſq; ad cælos, & inter ſidera nidum ſuum collocâſſe, poſtmodum autem cecidiſſe uſq; ad abyſſos, & animas eorum in malis obſtupuiſſe. Vidimus ſtellas de cælo cecidiſſe ab impetu ferientis caudâ draconis, & eos qui jacebant in pulvere terræ, à facie ſublevantis manûs tuæ Domine mirabiliter aſcendiſſe. Vidimus vivos morientes, & mortuos à morte ſurgentes, & eos qui inter filios Dei ambulabant, in medio lapidum ignitorum, quaſi lutum ad nihilum defluxiſſe.* Satagis & tu candide Lector aliquas videre ſtellas, quæ unde coruſcare debuerant in perpetuas æternitates, inde lamentabilem miſerúmq; in modum, horrendo poſteris omnibus exemplo ſunt ecclypſatæ? ſtellas inprimis tres de numero plurimorum accipe, clariſſima illa ſæculorum ſuorum aſtra, Origenem, Hoſium, Tertullianum, qui de ſummo ſcientiarum ac gloriæ faſtigio decidentes, gravi Orbem univerſum horrore metúq; concuſſerunt.

II. Et ut ab Origene principium atq; originem ducat narratio, quid hoc olim viro majus? quid illuſtrius? vel Chriſtianæ vitæ, virtutíſq; zelo, vel in omni ſciendi genere peritiâ? cui adhuc puero dormienti Pater Leonides, qui tandem capite in Chriſti confeſſione abſciſſo, filium poſt ſe orbum reliquit, ſæpiùs aſtans, pectúſq; ejus ſtragulis denudans, magnitudinis ejus præſagus, perinde acſi ſacer Dei ſpiritus idem ipſum ſibi tanquam Templum conſecrâſſet, cum reverentia oſculabatur, séq; pro tali filio beatum ac felicem exiſtimabat; quem etiam dum in carcere pro Chriſti fide detineretur, ad martyrium habuit adhortatorem, ipſum tam puſilla in ætate martyrij etiam ſitientiſſimum, ut gliſcente perſecutionum turbine, quin vitam exponeret, vix Matris precibus, cohortationibus, artibúſq; variis domî potuerit cohiberi. Origenes iſte eſt, qui anno ætatis ſuæ decimo octavo divinas literas publicè profiteri cœpit,

Digitized by Google

ſucceſſu tam felici, ut diſcipulorum ſuorum complures promoverit ad martyrium, nec paucos de ſchola ſua Eccleſiæ tranſmiſerit ſacerdotes, Epiſcopos, & Doctores; qui miram hominum frequentiam ad fidem veram convertit; cùm teſte Euſebio, vitæ ipſius actiones & officia ſynceriſſimæ & maximè ingenuæ ſapientiæ documenta complecterentur, & ut eſt in proverbio, qualis ejus eſſet oratio, tales eſſent & mores; & quales mores, talis eſſet & oratio. Qui ſæpe cæleſtem ſponſum ſibi adventare conſpexit, & ſecum eſſe quamplurimùm, quod de ſe ipſo teſtatur, ubi addit: *Et hoc crebro facit, donec illum verè teneam, & aſcendam innixus ſuper fratruelem meum.* Origenes iſte eſt, cujus quanta admiratio, quanta gloria fuerit, quis ſufficienter edicere valeat? *quis non ad eum,* ut Vincentij Lirinenſis verbis utar, *paulo religioſior ex ultimis mundi partibus advolavit? quis Chriſtianorum non penè ut Prophetam, quis Philoſophorum non ut Magiſtrum veneratus eſt? * de cujus incredibili quadam ſcientia*, inquit Lirinenſis, *qui referentibus nobis Chriſtianum non accipit teſtimonium, ſaltem teſtificantibus Philoſophis, gentilem recipiat confeſſionem. Ait namq; impius ille Porphyrius, excitum ſe famâ ipſius Alexandriam ferè puerum perrexiſſe, ibiq; eum vidiſſe jam ſenem, ſed planè talem, tantúmq;, qui arcem totius ſcientiæ condidiſſet.* Origenes demum iſte eſt, cujus librorum tria millia ſe legiſſe Divus atteſtatur Hieronymus, nec mirum id cuiquam videri debet, cùm ſena ipſorum millia per ipſum conſcripta fuiſſe tradat Epiphanius; cui celeres ſcribæ plus quàm ſeptem, dictanti aderant, cùm D. Hieronymo & Ambroſio, unus ipſorum teſtimonio, fuerit ſatis.

An. 220. n. 12. *Dum mecum hæc ipſe*, inquit in Annalium hiſtoria Baronius, *conſidero, obſtupeſco, déq; Origene ſententia illa Proverbiorum in mentem venit: hæreditas ad quam feſtinatur in principio, in noviſſimo benedictione carebit, quod & comprobavit eventus; haud enim feſtinanter per ingenij pernicitatem divina adeunda atq; pertractanda ſunt ſcripta; cùm nec in addiſcendis profanis laudetur à Quintiliano præcox ingenium. Quapropter & illud neſcio an laudem promereatur Origeni, quòd adhuc adoleſcens primò ſtatim Cantica Canticorum interpretatus eſt, & explanandum illum librum aſſumpſit, quem ejuſmodi ætatis hominibus vix legere licebat.* Quid illum tandem è ſummo probitatis ac perfectionis apice dejecit quàm ſcientia? quid de ſcientiæ faſtigio in abjectiſſimam præcipitavit dementiam, quàm ambitio? Ille nimirum tantus ac talis,

cum

Digitized by Google

cum quo ſæculi illius quiſq; potiùs errare mallet, quàm cum aliis vera ſentire, dum, ut ait Lirinenſis, gratiâ Dei inſolentiùs abutitur, dum ingenio ſuo nimiùm indulget, ſibiq; ſatis credit, dum parvipendit antiquam Chriſtianæ Religionis ſimplicitatem, dum ſe plùs cunctis ſapere præſumit, dum Eccleſiaſticas traditiones, & veterum Magiſteria contemnens, quædam ſcripturarum Capitula novo more interpretatur (ut graviorem ejus lapſum hiſtoricis nondũ pro certo cognitum prætercam) poſt temerariam ſui evirationem, ab unitate fidei Catholicæ, doctrinarum pravarum ſe novitate ſegregavit, animas ante infuſionem in corpus peccâſſe aſſerens, & in id tanquam in carcerem pro pœna includi, nec beatitudinem, neq; miſeriam eſſe perpetuam aſſeverans, impiorúmq; hominum, ac dæmonum tormenta finem quandoq; habitura; inæqualitatem perſonarum in Trinitate docens, Filiúmq; Dei hominibus comparatum, veritatem eſſe, collatum verò Patri, mendacium; & quantùm diſtant Apoſtoli â Chriſto, tantùm diſcerni filium â Patre, ut non immeritò pater & fons Arianorum ab Epiphanio ſit appellatus; ignorantiam divinis in Trinitate perſonis impingens, negando Patrem â Filio, aut Filium â Spiritu ſancto videri poſſe; Cælum, lunam, ſolem, ſtellas, & aquas ſuper firmamentum, animatas & rationales quaſdam virtutes eſſe affirmans, aliáq; paſſim prava dogmata diſſeminans, ob quæ ab Eccleſia proſcriptus, ab Anaſtaſio Papa damnatus, in ſexta Synodo reprobatus, tot antiquorum Patrum conſpirantibus in illum ſententiis eſt impetitus, illámq; Caſſiodori de ſe pronuntiari meruit ſententiam: *ubi bene, nemo meliùs; ubi malè, nemo pejùs.* Niſi tandem pòſt reſipuit, tunc præſertim, cùm Hieroſolymis â ſacerdotibus in Eccleſia docere compulſus, multúmq; coactus ſurrexit, ut de ipſo habet Epiphanius, & illum ſolum verſiculum prolocutus: *peccatori dixit DEUS, quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentũ meũ per os tuum?* *Pſal. 49.* complicitum librum depoſuit, & cum fletu, lacrymiſq; conſedit, omnibus cum ipſo plorantibus; aut niſi liber ille, qui *Lamentationes, ſeu pœnitentia Origenis* inſcribitur, inter apocrypha â Papa Gelaſio relatus, verè attribuendus ſit Origeni; Quid mirum, ſi eum Theophanes Monachus, ut in prato ſpirituali narratur, cum cæteris hæreſiarchis in igne æterno vidit ardentem? *Non ille*, ut de ipſo Suidas habet, *Salomonem audijt dicentem: fili cave multos componas libros, & ore tuo properes; cor tuum non ſit velox ad proferendùm ſermonem coram Deo. DEUS namq; in*

 cœlo

Digitized by Google

cælo ſurſum, & tu in terra deorſum, proinde verba tua pauca ſint; multa enim verba multiplicant vanitatem. Noli eſſe juſtus multùm, nec plùs ſapiens quàm neceſſe eſt, ne obſtupeſcas.

Libeat ipſum Origenem ſuis lamentantem verbis audire, in libro prædicto, ſi tamen ipſi tribuendus ſit; prorumpit ibi lacrymabiles in has voces: *ô cor obcæcatum! quomodo non recordabaris? ô ſtulta mens! quomodo non recogitabas? ô indiſtincta diſcretio! quomodo non intelligebas? ô ſenſus intelligentiæ! ubi dormitabas? ſed ad ſomnum te diabolus provocavit, & infelicem animam mortificavit; ligavit fortes meos, & abſtulit ſcientiam meam, ligavit fortes meos, & vulneravit me. O diabole quid feciſti mihi? ô diabole quomodo vulnerâſti me? flebam aliquando ſuper Samſonem, ſed pejora perpeſſus ſum; flebam ſuper Salomonem, & deteriùs cecidi.* Quis ad caſum columnæ hujus non contremiſcat? Quis non ſalubriùs Origeni judicet ignorantem vixiſſe? quàm ſummum eruditionis ac ſapientiæ tenuiſſe apicem; unde primùm in ſuperbiam, ac tandem in perditionis abyſſum, lamentabili tremendóq; poſteris caſu eſt prolapſus.

III. Prodeat jam in conſpectum Lectoris, ſidus illud ſæculi quoq; ſui lucidiſſimum Tertullianus, cujus viri eminentiam, & laudes datâ occaſione paſſim decantat D. Hieronymus: *Tertulliano*, inquit, *quid acutius? quid eruditius?* Idem in Apologetico libro, quem adversùs gentes Tertullianus conſcripſit, cunctam ſæculi diſciplinam ait contineri. Eundem Tertullianum eodem teſte S. Hieronymo D. Cyprianus aſſiduè lectitabat, ad cujus lectionem cùm ſe accingebat, *Da Magiſtrum* dicere ſolitus eſt Notario. Hoc tam præclarum doctrinæ lumen, cùm multos ex errorum tenebris ad veram lucem revocâſſet, orbémq; totum eruditionis ſuæ fulgore repleviſſet, ac luculentiſſimum illum, ac diſertiſſimum commentarium adversùs hæreticos, quem titulo de præſcriptione conſignavit, priùs ſcripſiſſet, in eóq; quænam, ac penes quos Catholica ſtaret Eccleſia, perſpicaciſſimis firmiſſimíſq; demonſtrâſſet argumentis, tandem indignè forſitan accipiens, ut autumat Baronius, victorem Congentilem ſuum, in Pontificatûs ſummi honore ſibi prælatum, vel quòd non adeò, ut ſibi præſumpſerat, ejus officiis coleretur, Romanæ Eccleſiæ ſe poſuit adverſarium, & in ejus Præſides acerrimè invectus, dicteriis eos lacerare non deſinebat; in fœdos præterea pudendóſq; procidit errores, ut ab Eccleſia Catholica proſcribi meruerit. Montani enim impo-

Digitized by Google

impoſtoris primùm tuebatur dementiam, Cataphrygarum etiam Montani ſectatorum ſecutus eſt inſaniam, ſeveriora dogmata ſed falſa docens, dum ſecundas nuptias damnavit, & Catholicos pſychicos ſeu animales appellavit; animam præterea quamvis immortalem, corpoream tamen aſſeruit, ſceleratorúmq; hominum animas poſt mortem, in dæmones & quæcunq; animalia malis ſuis meritis congrua commutari. Ingemiſce mecum lector Chriſtiane, magnitudinem tantam ad ima redactam, colorem optimum immutatum, obſcuratam viri talis ac tanti claritatem. Et quæ casûs tam deplorandi cauſa? quæ tam lacrymoſæ metamorphoſeo: occaſio? invidiam fuiſſe audiviſti; ſed quid invidiam concitavit? ambitio & ſuperbia; quæ verò Mater has peſtilentes filias progenuit niſi eruditio & ſcientia? Quapropter ex hoc Tertulliani exemplo quilibet formidare diſcat, nec alta ſapere, quiſquis ſe ſapientem exiſtimat, dum videt mortalium ſapientiſſimos in aſtutia ſua comprehenſos, quíq; prudentes erant apud ſeipſos, ſummè fatuos evaſiſſe, & apud Jeremiam ſcriptum legit: ſtultum factum eſſe omnem hominem â ſcientia ſua.

Ad Hoſium, Abrahamium illum ſenem, verè oſium, id eſt Sanctum, & Patrem Epiſcoporum ab Athanaſio vocitatum, mea ſe convertit narratio. Cujus viri laudes eodem referente Athanaſio, etiam in ipſo Arianorum ore lego perſonantes, ſic Conſtantinum Imperatorem alloquentium: *Nil fecimus quamdiu ſupereſt Oſius, etiamſi alios in exilium profligaverimus; quamdiu enim ille in ſuis agit, omnes in ſuis Eccleſiis agere videntur; poteſt & ille verbis, & authoritate fidei ſuæ omnes contra nos inducere; hic princeps eſt Synodorum, & ſi quid ſcribit, ubiq; auditur; hic formulam fidei in Nicæna Synodo concepit, & Arianos ubiq; pro hæreticis traduxit.* Ad ejus viri tanti lacrymabilem jam caſum venio, qui ex Baronij ſententia præteritorum omnium caſus, ſive Origenis, ſive Tertulliani, vel quorumvis aliorum videtur ſuperâſſe. *Nullus enim*, inquit Baronius, *æquè ac ipſe, neq; tantâ temporis diuturnitate, tot tantiſq; publicis actionibus, iiſdémq; ſummis, ac ſtatum totius Reipublicæ Chriſtianæ ſpectantibus, tum in Occidente, tum in Oriente perfunctus, nullus æquè ut Oſius ſpectatus eſt; cui non concilio hic interfuit, atq; magna pars fuit? ut Eliberino, Arelatenſi, Neo-cæſarienſi, Alexandrino, Gangrenſi, duobus magnis atq; œcumenicis Conciliis Nicæno & Sardicenſi & aliis, quorum memoria excidit;* quem tot, tantíq; ponderis legationes Apoſtolicæ decorârunt, quem in ſuo ipſius fidei Chri-

IV.

An. 357. n. 18.

Chriſtianæ tyrocinio Conſtantinus Imperator inhæreſcentem ſuo lateri habere voluit, quem parentem nomine diceret, atq; filiali affectu coleret. Hunc illum ipſum Oſium, jam ferè centenarium, corde depravato in Conciliabulo Sirmienſi ignominiosè proſtratum, & fidei Nicænæ turpiter factum proditorem quis non obſtupeſcat? Ejuſmodi Oſij planè miſerando caſu Catholicum orbem contremuiſſe, concuſſáſq; ſolidiſſimas petras, Baronio facilè crediderim, & abietes ululâſſe, quia cecidit cedrus; Oſius videlicet ille Conciliorum Magiſter tam inopinatè proſtratus, ac inſtar ſalis infatuati pedibus proculcatus, tantúſq; exercitûs Chriſtiani dux deſertor ejus ac transfuga ignominiosè effectus eſt. Horrendum ejus caſum lamentabilior excepit obitus, ſi Iſidoro Epiſcopo Hiſpalenſi fides adhibenda, qui narrat Oſium reſidentem faſtu quaſi regalis imperij, cùm ſententiam contra Gregorium Eliberitanũ conaretur exprimere, ſubitò ad ejus preces os vertiſſe, cervicem pariter diſtorſiſſe, ac de ſede in terram eliſum expirâſſe.

V. Sed an hîc Salomonem pertranſibo, in mortalium genere ſapientiſſimum? cujus cor DEUS adeò ſcientiâ & intelligentiâ replevit, ut fama ſapientiæ ejus cunctas terræ regiones ſit pervagata; ut omnes Reges terræ faciem ejus videre deſiderârint ad audiendam ſapientiam, quam dederat DEUS in corde ejus. Quid tamen talis ac tantus? an ſapientiæ ſuæ auxilio, quam inſuper divinitùs infuſam accepit, ſe â caſu liberavit, ac præſervavit? minimè. Quin potiùs occaſione illius fortè prolapſus eſt. Lego in Regum hiſtoria, cùm jam eſſet ſenex, depravatum eſſe cor ejus, ut ſequeretur Deos alienos. Quod licèt per mulieres accidiſſe ſcriptura narret, non tamen in hanc, velut primam cauſam lapſum ejus refundit, permittens nobis ſentiendi licentiam, Salomonem ambitionis primùm ſuperbiæq; vitio, quod initium eſt omnis peccati & ſapientibus cognatum, in conſpectu Dei deliquiſſe, ob quod â DEO deſertus, in reprobum ſenſum dari meruit, ut fœdo mulierum amore dementatus, Deos illarum adoraret; non enim eſt Deo inſolitum, ſuperbiâ tumidos
Rom. 1. tradere *in deſideria cordis eorum*, *in immunditiam* præſertim & *paſſiones ignominiæ*. Longè fac â me Deus meus donum tale, etiam de manu tua promanans, cujus uſûs periculoſæ ſit plenum opus aleæ, niſi & gratiam perſeverantiæ præſtes, ne de munere tuo elatus, cadam â majoribus donis tuis.

VI. Ut clariùs pateat, quantùm ſcientia mentes hominum inflare ſoleat

Digitized by Google

leat ac dementare, non videtur hìc eſſe tegenda ſilentio portentoſa Simonis cujuſdam de Tornaco ſuperbia, quâ impiè elatus poſuit os ſuum in cælum blaſphemans, & ex Theologo ſubtiliſſimo repentè infante rudior evaſit, ut neq; nominis ſui, neq; primorum elementorum recordaretur. Refert Exemplum hoc Cantipratanus in libris apum, ſic quoddam caput exordiens: Quàm vera autem, & quàm efficax ſit illa ſententia: *confundentur omnes plectentes ſubtilia*, exemplo evidentiſſimo ſub noſtro ferè tempore videamus. Magiſter Simon de Tornaco Pariſiis in Theologia regebat, & erat excellens ille ſuo tempore, ſed contra decentiam talis officij ſupra modum incontinens & ſuperbus. Hic cùm ſuper omnes Doctores Civitatis Auditores haberet, & in ſchola coram omnibus de humilitate altiſſimæ doctrinæ Chriſti quæſtionem diſputatione præhabitâ terminaret, in fine tandem datus in reprobum ſenſum, in execranda contra Chriſtum blaſphemiæ verba prorupit. *Tres ſunt*, inquit, *qui mundum ſectis ſuis & dogmatibus ſubjugârunt: Moyſes, JESUS, & Mahomettus. Moyſes primò Judaicum populum infatuavit. Secundò, JESUS Chriſtus à ſuo nomine Chriſtianos. Tertiò, gentilem populum Mahomettus.* Nec mora, everſis oculis pro humana voce mugitum emiſit, & epilepſiâ ſtatim eliſus eſt in terram. Plagâ ergo inſanabili eum percuſſit Omnipotens, omníq; ſcientiâ uſq; ad prima literarum elementa privavit; & graviori quidem in animo plagâ percuſſus eſt, cùm uſq; in diem mortis ſuæ quaſi mutus comparatus eſt jumentis inſipientibus, & in luxuriæ fœditate permanſit. Et vide ſupremæ admirationis miraculum: Aleydem fornicariam concubinam ſuam nominare poterat & ſciebat, Boëtium verò de Trinitate, qui juxta eum ad ſpectaculum ponebatur, quem olim cordetenus ſciêrat, nec nominare noverat nec valebat.

Apum lib. 2. c. 48.
Iſaia. 19.

Bzovius eandem refert hiſtoriam, paulò aliter à Nicolao Epiſcopo Dunelmenſi deſcriptam. Ait illum gente Anglum, Patriâ Cordubenſem, ſacras literas publicè cùm ingenti laude Pariſiis docuiſſe; cúmq; incidiſſet in quaſdam difficillimas & impeditiſſimas, propter rerum abſtruſarum, omnémq; captum humanum ſuperantium magnitudinem, de Sacra Triade quæſtiones, tam Catholicè quàm apertè & luculenter difficultates illas expediviſſe, ut maximam omnibus audientibus admirationem excitârit. E quibus, cùm quidam conjunctiſſimi immenſas in illum laudes congererent, & hortarentur, ut illa ipſius diſceptatio literis

Bzovius An. Chriſti. 1201.

ad perpetuam æternitatem commendaretur, illum tantis Dei beneficiis ingratum, Chriſtianæq; omnis modeſtiæ oblitum, inſolenti quodam faſtu, tam arroganti jactatione ſe extuliſſe, ut in hæc verba aures Chriſtianas graviſſimè percellentia prorumperet: *ô Jeſule, Jeſule, quantum ego tua legi addidi; cui ego ſi me ſemel opponere vellem, facilè magìs maſcula & herculea argumenta in medium proferre poſſem, quibus illam omnem prorſus labefactarem & everterem.* O ſuperbiæ portentum! *quid non audeat typhus morticina pelliculæ! quò ſe non præcipitat præſumptio carnis & ſanguinis!* In pœna tam procacis linguæ, ac tumidiſſimi cordis, cum narratione Cantipratani conſentit Bzovius, niſi quòd addat eum prima literarum elementa, biennio poſt à puero quodam diſcere coactum, quem præeuntem, cum magna difficultate balbutiendo ſequebatur.

Auguſtinus.

Lugubrem alterius cujuſdam magni Doctoris caſum & interitum refert in Catechiſmo ſuo hiſtorico Dauroultius, ex Joſepho à coſta, qui ſequentibus verbis illum deſcribit. Nullâ re capitur humana mens, neq; faciliùs neq; potentiùs quàm ſuperbiâ. Nulla vis eſt veneni, nulla meri copioſi, nulla febris phreneticæ, quæ ſic ſtatum mentis evertat; nulla medicatiſſima potio in furorem ſic rapit, ut animo ſemel humano imbibita ſuperbia. Et quæ per furorem ſuperbiæ loquimur, cogitamus, agimus, ea ſanè humilitate admiramur atq; erubeſcimus. Ubi enim humilitas ibi ſapientia, ubi ſuperbia ibi protinus contumelia. Quod ut manifeſtius fiat, referam cujuſdam elatæ mentis faſtu laborantis non fictã fabulam. Fuit in Peruenſi Regno, vir magnì pro illo tempore æſtimatus, doctus Theologus ac Theologiæ profeſſor, idémq; Catholicus & pius diu habitus, ac pene tunc hujus urbis Oraculum. Is familiaritate mulierculæ cujuſpiam, quæ ſe edoceri ab Angelo magna quædam myſteria jactabat, quæq; extra ſe interdum rapiebatur aut rapi ſimulabat, veluti altera olim Philumena aut Maximilla Montani, ità devinctus eſt, ut illam de ſummis Theologiæ quæſtionibus ſæpe conſuleret, in omnibus pro oraculo haberet, magnis revelationibus plenam & Deo valde charam prædicaret, ſatìs alioqui ſordidam, & perexiguo ſenſu præditam, niſi ad inſtruenda mendacia. Igitur ſive à diabolo corriperetur (quod facilius eſt credere) cùm ejuſmodi ecſtaſim pateretur, ſivę callidè eam fabulã ſimularet, quod nonnulli viri prudentes exiſtimârunt, ille Theologus, qnòd à muliercula magna & mira de ſe audiret, & multò grandiora

Joſephus à Coſta, de temp. noviſſ. lib. 2. c. 11.

ra

ra futura conciperet, libenter ei ſe diſcipulum addixit, cujus Patrem ſpiritualem agebat. Quid multa? eò abductus eſt homo, ut miracula facere tentaret, & fieri ſibi perſuaderet, cùm miraculi veſtigium ne tenue quidem extaret. Ob hæc, & quòd propoſitiones aliquot ab illa Prophetiſſa accepiſſet, â ſenſu Catholicæ Eccleſiæ alienas, â ſanctiſſimæ Inquiſitionis Judicibus toto hoc Regno ſtupente comprehenſus eſt; ibi per quinquennium ferè detentus, examinatus, ac tandem patefactus eſt homo omnium ſuperbiſſimus & inſaniſſimus. Cùm enim Angelum ſibi divinitus datum, â quo omnia quæ vellet diſceret, ac deinde Summâ Dei ipſius familiaritate & immediato colloquio ſe potitum pertinaciſſimè aſſereret, in eas nugas delatus eſt, quas niſi ab homine prorſus mentis emotæ dici nullo modo quiſquam ſibi perſuadeat. Erat verò ille tam integro ſenſu, quod ad cerebrum attinet, ut mihi integrior non ſit. Itaq; & ſeriò affirmabat ſe & Regem futurum, & Pontificem Summum ſede Apoſtolicâ ad hæc Regna translatâ; conceſſam quoq; ſibi ſanctitatem ſuper omnes Angelos, & Choros cæleſtes, atq; Apoſtolos omnes; quin etiam oblatam ipſi â Deo unionem hypoſtaticam, ſed ab ipſo non eſſe admiſſam. Datum quoq; ſe Redemptorem Orbis, quoad efficaciam ut ille loquebatur, quòd Chriſtus ſolùm quoad ſufficientiam fuiſſet. Omnem ſtatum Eccleſiaſticum abrogandum, Leges verò alias ſe editurum faciles & apertas, ſecundùm quas cælibatus Clericorum tolleretur, multitudo uxorum concederetur, confeſſionis neceſſitas excluderetur. Hæc atq; alia tantâ contentione affirmabat, ut nos teneret attonitos, quòd homo talia ſentiens non inſaniret. Deniq; diu evolutis geſtis illius, & pluſquam centum & decem propoſitionibus hæreticis, aut â ſana Eccleſiæ doctrina alienis, condemnatis, juſſi ſumus (ut habet de more ſacrum illud Tribunal) cum homine diſputare, ſi fortè ad mentem & fidem revocare poſſemus. Convenimus autem cum ipſis Judicibus & Epiſcopo Quitenſi tres alij. Eò introductus homo, eâ libertate & facundiâ perditiſſimam ſuam cauſam defendit, ut ego in hodiernum diem etiam ſtupeam eò adigi poſſe mentis humanæ ſuperbiam. Profeſſus eſt doctrinam ſuam non poſſe monſtrari, niſi divinâ ſcripturâ & miraculis, quòd eſſet ſuperior omni humanâ ratione. Scripturæ autem teſtimoniis longè ſe apertiùs atq; efficaciùs probâſſe, quàm probaverit Paulus JESUM Chriſtum fuiſſe verum Meſſiam. Miracula autem ſe perpetrâſſe plurima, eáq; tanta, ut Chriſti reſurrectio non fuerit majus. Nam & ſe veriſſi-

riſſimè eſſe mortuum, & reſurrexiſſe, atq; id evidentiſſimè ajebat eſſe oſtenſum. Scripturas verò proferebat memoriter (cùm nullum librum haberet, atq; ipſo etiam Breviario ſpoliatus eſſet) tot & tam longas ex Prophetis & Apocalypſi, ex Pſalmis & aliis locis, ut vel memoria eſſet admirationi. Eas verò ità ad ſua commenta adaptabat, ità allegorizabat, ut quivis vel rideret vel fleret. Poſtremò ſi miraculis rem agere nobis placeret, ſe libenter ea ſtatim exhibiturum. Hæc ità dicebat homo, ut vel nos inſanos putare videretur, vel ipſe inſanire. Nam & per revelationem ſibi innotuiſſe jactabat, Sereniſſimum Joannem Auſtriæ, bello navali â Turca eſſe ſuperatum, & Regnum Hiſpaniæ â Philippo invictiſſimo jam pene amiſſum, & Concilium Romæ habitum, ut de deponendo Gregorio, & alio ſubrogando ageretur. Et cùm eſſent omnia uſq; adeo falſa, ut amplius eſſe non poſſent, ab illo tamen aſſerebantur ut notiſſima nobis. Deniq; cùm nihil profeciſſemus per duos dies diſſerendo, & ad publicum ſpectaculum eſſet cum cæteris (ut in Hiſpanijs fieri ſolet) delatus, intuebatur ſemper in cælum, ignem in inquiſitores, & omnes graſſaturum cælitùs expectans, ut illi erat pollicitus diabolus; atq; ignis quidem nos nullus ex alto corripuit, illum verò & Regem, & Pontificem, & Redemptorem, & novum legislatorem, ex imo flamma rapuit, atq; redegit in cineres.

VII. Quid ſentis Chriſtiane lector? an non cor perhorreſcit tantam doctorum inſaniam? en quo ſapientes ſuos effert typhus ſcientiæ & ambitionis. Frater Ægidius Ordinis S. Franciſci, ut refert Chronicon ejuſdem, cùm audiſſet Heliam virum doctiſſimum, ſui Ordinis Magiſtrum generalem, quòd â ſede Apoſtolica defeciſſet, partes ſecutus Friderici II. Imperatoris, anathematis ſententiâ fulminatum, & â Chriſti corpore, hoc eſt Eccleſia, præciſum eſſe, humi proſtratus, magno niſu intrà ipſam terram inſinuare ſe velle videbatur. A ſuis rogatus quid moliretur? *infra terram*, inquit, *me volo demittere, quia iſte aſcendendo nimis ità turpiter lapſus eſt.* Proſterno ego me quoq; & allido terræ, dum tam altè cadit ſuperbia tam ſublimium doctorum, quorum graves & terribiles caſus vel cogitare humana mens perhorreſcit.

p. 1. l. 7. c. 7.

Ad ff. de monte Dei. Saluberrimè itaq; monet D. Bernardus: *abſit ô fratres â conſcientia veſtra æſtimatione, â parvitate & humilitate veſtra, ab ore veſtro omnis altitudo; quia altum ſapere mors eſt, & facilè eſt in alto ſe continentem obſtupeſcere, & de vita periclitari.* Bene quoq; admonet Thomas

mas de Kempis: *multùm præcave à vana complacentia & ſuperbia, propter hoc multi in errorem ducuntur, & in cæcitatem pene incurabilē quandoq; labuntur;* *ſit tibi in cautelam & perpetuam humilitatem ruina hæc ſuperborū, de ſe ſtultè præſumentium.* * *Meliùs eſt ſapere cum humilitate, & parva intelligentia, quàm magni ſcientiarū theſauri cum vana complacentia. Meliùs eſt tibi minus habere, quàm multū unde poſſis ſuperbire.* Kemp. de imit. Chri. l. 3. c. 6. Idem ibid. c. 7.

Si igitur triſtes caſus & ſalutis jacturā, ſi mentis tumorem eò diſponentem cavere vis, cave ſcientiam inflantem, cave typhū hunc, qui etiā in virtutibus maximè ſolidatos ſolet eradicare. Aut ſi typhū hunc geris interiùs, depreſſione mentis illum comprime, poſtquam vidiſti, quàm omniū graviſſimè docti prolabantur, ſi pediſſequa illis nō adſit humilitas.

Vis plura quæ in Religioſis etiam cætibus eveniſſe narrantur, tragica hujuſcemodi audire exempla? circa annum Domini 1370. Neapoli viſi ſunt in quodam Cœnobio veſperi poſt Completorium multi Religioſi, menſæ longo ordine accumbentes; quos cùm Prior Domûs in virtute venerabilis Sacramenti quod manibus prætendebat, juſſiſſet dicere qui eſſent? reſpondit unus qui cæteris præeſſe videbatur, ſe omnes fuiſſe iſtius Ordinis Religioſos, & maxima ex parte doctores, Baccalaureos, Priores, Suppriores, Lectores, jámq; ob ambitionem & ſuperbiam damnatos eſſe. Quo dicto tunicis diductis ardere viſi ſunt, & ſigno â ſeniore ipſorum vel Præſide dato evanuerunt. O ſtulta & miſerabilis ambitio, quam ſcientia vana fovet! ô vanitatem mortalium! qui apices vanæ gloriæ eruditionis ſcalâ contingere tantopere affectant; cùm autem honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficiunt. O ventum inanem! quem qui incautè ſeminant, turbinem metunt ac procellam æternæ damnationis. Ità tandem omnis ſcientiæ mundanæ ſplendor, ità captatus honor & laus eruditorum, ità omnes gloriæ fumi evaneſcunt, & nil ſectatoribus ſuis poſt ſe relinquunt quàm lacrymas, ignem & confuſionem æternam, in terra oblivionis. VIII.

Sed eſto graviora fata æternæ damnationis literati frequenter evaderent, raro tâmen illos à purgatorio ad minùs igne liberos in cælum credo evolare. Qui ſapit, etiam hæc quamvis temporalia ſupplicia redimat, ſcientias pavendo & cavendo. Serò ſapuit Joannes Picus Mirandulæ Comes, poſt mortem P. Hieronymo Savonarolæ comparens, cùm preces ab illo gemens popoſcit, dicens: graviſſimis ſe in igne purgatorio cruciatibus plecti, ob nimium humanarum ſcientiarum in vita

Digitized by Google

ſtudium; & jam dolere, quòd non uni ſanctorum ſcientiæ, ad quam non ſemel â Deo invitatus fuerat, ſedulò operam dediſſet.

IX. Libet coronidis loco, capiti huic attexere exemplum, quod Pariſiis eveniſſe ſcribitur, ubi aliquando eruditus quidam Magiſter ſocium ſuum ægrotantem obnixè rogavit, ut poſt mortem ad ſe rediret, ſtatúmq; ſuum ſibi renuntiaret. Apparuit defunctus elapſo dierum paucorum numero, cappâ de pergameno, totâ ſophiſmatibus deſcriptâ, & interiùs igneâ indutus. Requiſitus â Magiſtro Collega ſuo quiſnam eſſet? reſpondit: *Ego ille ſum qui ad te redire promiſi.* De ſtatu autem ſuo poſtea requiſitus ait: *hac cappa plus ſuper me ponderat, & graviùs me premit, quàm ſi turrim aliquam ſuper me haberem, & eſt mihi data, ut eam portem pro gloria, quam in ſophiſmatibus habui.* Sed cùm Magiſter illam pœnam facilem diceret, reſpondit defunctus, ut manum extenderet, & ſic facilitatem ſuæ pœnæ ſentire poſſet. Cúmq; manum extendiſſet, ille guttam unam ſudoris ſui demiſit, quæ prædicti Magiſtri manum ſagittâ citiùs, maximo cum cruciatu perforavit. Addidit quoq; defunctus dicens: *talis ſum totus.* Quid ad hæc Magiſter? pœnæ illius acerbitate perterritus, eadémq; aliquando fata metuens, prudens aſſumpſit conſilium, omnibúſq; in mundo valere juſſis, Religionem quantocyus ingredi ſtatuit; unde manè ſcholaribus ſuis congregatis valedicens, hos verſus â ſe compoſitos declamavit:

Linquo coax ranis, cras corvis, vanáq; vanis,
Ad Logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

Et ſæculum illico deſerens, ad Religioſi ſtatûs ſecuritatẽ confugit, ſcientiis cum ſæculo valere juſſis. O durum mortis ergo! doctis præſertim formidandum. O periculoſa concluſio! quam non metuit ſcientia ſanctorum. Quiſquis ſapis, *linque coax ranis, cras corvis, vanáq; vanis.* Quid tibi cum inutilibus & periculoſis ſcientiarum ſtudiis? ſaluti tuæ

Eccle. 12. vaca, unum agere ſtude ad quod conditus es. *Deum time, & mandata ejus obſerva, hoc eſt enim omnis homo.*

Pro extrema coronide hujus Capitis, ex ſcientia doctorum præcipitatrice, ac tantorum authore caſuum ſequens anagramma elicio: SAT NECIS.

Sat necis *eſſe puto; poſt tot tantáſq; ruinas,*
Ut fugias caſum, non nimis alta pete.
Doctrina hæc animum faciet caſiſtica cautum,
Non niſi vitandis caſibus ergo ſtude.

CA-

CAPUT XXIX.

Doctorum fides minùs meritoria eſſe declaratur.

NOn ago hîc de fide miraculorum, ſive fiducia mentis erga Deum; ſed de fide, quæ eſt aſſenſus hominis credentis revelata à Deo myſteria, ſuper quam ipſa quidem miraculorum fides valde fundatur, ut non mirum ſit indoctos & idiotas in patrandis miraculis, doctis & ſapientibus multùm præpollere. Certè inter Sanctos etiam compertum eſt, eos qui fuerunt doctiſſimi, pauciſſima feciſſe miracula, undecunq; demum id contigerit. I.

Communis eſt ſententia, omne fidei meritum in pio voluntatis credendi affectu potiſſimùm conſiſtere, quo voluntas veritate inevidenti propoſitâ, intellectum de ſe non ſatìs determinatum, ad id credendũ, quod non capit, quod non videt, animosè firmat, eiq; aſſenſum imperat, â quo voluntatis motu pióq; affectu fides ipſa habet, quòd ſit libera. Hoc ſuppoſito ſequitur, quò intenſior hujuſmodi affectus fuerit, eò fidem magìs fore meritoriam.

Docent iterum paſſim omnes, Intellectum veritate ſibi evidenter propoſitâ, neceſſitari ad credendum, neq; ullâ voluntatis determinatione indigere, ſi etiam veritas moraliter duntaxat evidens proponatur, aliquantulum ſaltem fidei libertatem imminui, neq; ampliùs tam validum ejuſdem voluntatis motum requirere.

Ex his concludo, cùm docti aliquas veritates non ſolùm fide divina credere, ſed etiam ſcientificè deducere ſe jactent, & ad omnia fidei dogmata credenda, plerumq; intellectum, magìs motivis credibilitatis & rationibus humanis moraliter evidentibus inducant, quàm pio voluntatis affectu, & ſic difficultatem in objectis fidei imminuant, quâ imminutâ, neceſſe eſt in ipſa fide meriti rationem labefactari. Ex his inquam concludo, Doctorum fidem ut plurimum minùs eſſe meritoriam. *Fides* enim, ut ait Divus Gregorius, *non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Et alibi, poſtquam ex Apoſtolo dixiſſet; *eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium; Profectò*, inquit, *liquet, quòd fides illarum rerum argumentum eſt, quæ apparere non poſſunt; quæ enim apparent, jam fidem non habent, ſed agnitionem.* * *Quid eſt fides*, inquit D. Auguſtinus, *niſi credere quod*

hom. 20. in Evang.

S. Auguſt. ſup. Joan.

quod non vides? unde & quomodo capitur Trinitas? rectè ô homo interrogas. Quomodo creditur? non bene interrogas. Imò ideo bene creditur, quia citò non capitur; nam ſi citò caperetur, non eſſet opus ut crederetur, quia videretur. Noli intelligere ut credas, ſed crede ut intelligas; Intellectus merces fidei eſt. Majus fidei meritum Thomas habuiſſet, ſi quod credidit non vidiſſet. Hinc etiam Chriſtus illi dixit: *quia vidiſti me Thoma, credidiſti; beati qui non viderunt & crediderunt.*

Scio pium credendi affectum manere poſſe etiam ad illas propoſitiones credendas, quæ demonſtrativè Intellectui deducuntur, cujus affectûs officium licet in Intellectu determinando tunc deſinere videatur, ſi tamen intellectum ad credendũ illa paratum reddat, dato etiam quòd ſcientificè non demonſtrarentur, aut ità clarè morali cum evidentia proponerentur, ſuum ei non deeſt meritum, nunquam tamen ità eſt lucroſum, quin plurimùm cedat indoctæ fidei merito, quæ nullis humanis rationibus vel credibilitatibus, non dico ad prudentem fidei aſſenſum neceſſariis, ſed difficultatem & obſcuritatem notabiliter attenuantibus inducta, quod non capit, quod non videt, ânimosè credit. Hac igitur ex parte fides doctorum minùs eſſe meritoria dignoſcitur, quia nimis videns.

II. Sed aliter adhuc, & contrario modo, fidei meritum in doctis imminuitur, videlicet non ob claritatem & evidentiam myſteriorum fidei propoſitam, ſed ob incertitudinem ac dubitationem aliquam menti injectam, quâ ratione fit, ut actus fidei valde remiſſus & nutans elici ſoleat.

Nimis ingenuum in ſua quidem detrimenta Intellectum docti poſſident, ut raró perfectè valeat captivari; nullis pene veritatibus aſſenſum dare conſueverunt, quas non ratio probat, vel alia motiva non reddunt credibiles. Quód ſi quid horum deſit, & in contrarium moventia argumenta (ut humano ſenſu contra fidem noſtram inventa non deſunt) ipſis occurrant, quorum captioſas fallacias elidere mens ſæpe humana ignorat, illico in fide nutant, ac ſubdubitare incipiunt, num fortaſſe hæc ſe aliter habere poſſint, quæ ab Eccleſia intellectui ipſorum credenda proponuntur. Imò audent quandoq; bullas pontificias, quibus erroneæ & ſcandaloſæ, imò & hæreticæ ipſorum ſententiæ condemnantur, vocare ſubreptitias, fraude malignantium vel abſurdioribus adhuc modis extortas, aut non ſatis promulgatas, adeoq; parum obligatorias. Quòd ſi Eccleſiæ propoſitionem reijcere non audeant, mille tamen diſtin-

ſtinctionum involucris illam ad ſuos perverſos ſenſus trahere nôrunt. Fuit jam olim error Manichæorum, nihil eſſe credendum, quod non aut ſenſu, aut liquidâ ratione caperetur. In quorum decipula etiam aliquando hæſit S. Auguſtinus: *volebam*, inquit, *eorum quæ non viderem ità me certum eſſe, ut certus eſſem, quòd ſeptem & tria decem ſunt.* S. Bernardinus docet plurimùm obſtare fidei curioſam quærentium de fide rationem; *Quærere*, inquit, *curioſè probationes, impedimentum maximum ad fidem præſtat. Tales enim probationes, veluti ſcala ſunt, quibus attingitur ad probata. Quia vero ad ea quæ fidei ſunt, ſcala hujuſmodi non pertingunt, quoniam non habent aliquas probationes, aut quales utiq; vellent, ideo deficit eis ſcala omnino, vel ejus ſaltem altitudinis, quæ hujuſmodi res attingat. Hi ergo tanquam deficiente ſcalâ, altitudine aſcendendi incomparabiliter breviori, ad eam nullatenus pertingere poſſunt, eò quòd ſolas probationes, ſcalam quæ illuc contingat, aſcendere opinantur. Sed hi utiq; errant, quia ſecundùm Damaſcenum, fides non eſt inquiſitus vel ſcrutatus conſenſus.*

Confeſſ. lib. 6. c. 4.

S. Bernardinus ser. 2. dom. 3. in quadr. c. 2.

Hanc præſumptuoſam in rebus fidei, ad examen imbecillis intellectûs vocandis curioſitatem ſi dæmon advertat, mille fuco veritatis colorata ſophiſmata inſuſurrat, mille in ſcirpo nodos fingit, nimiùm videre geſtientes miſerè excæcat & peſſumdat. Doctis inculcandum eſt illud D. Bernardi, quod *inquirere curioſitas ſit*, & nimiùm quidem pernicioſa; *credere* verò *ſecuritas.* Non debet fidem noſtram præcedere aut dirigere intellectio, ſed fides intellectionem. Hinc illud apud Iſaiam: *niſi credideritis non intelligetis.*

Iſaiæ 7. ex ver. LXX.

Fuit vir quidam doctrinâ conſpicuus, & cæterà minimè malus, qui dæmonis argutijs, quibus ſub agonem nimiùm auſcultaverat, eò adductus eſt & perſuaſus, ut de Filij Dei, & Spiritûs Sancti divinitate dubitaverit, ac ſecutâ ſtatim morte ad æternos ignes ſit damnatus. Ità ipſe ſuo cuidam ſodali poſt mortem ſententiámq; damnationis acceptam apparens faſſus eſt: *Propterea*, inquit, *in ignem abire juſſus ſum, quem etſi maximus ſit, utcunq; tamen tolerabilem judicarem, ſi poſt mille annorum millia finiendus eſſet. Sed æternus eſt, idémq; tantus, quantum apud vos nulla conſpexit ætas. Maledicta ſcientia, quæ in tam immane præcipitium me dejecit.* Quibus auditis alter ille factus ſapientior, non diu pòſt morti vicinus, eandem à dæmone ſubiens tentationem, nihil aliud ad ejus verſutias & fallaces quæſtiones atq; argumentationes re-

ſpondit, quàm *Credo.* Et cùm hoſtis humani generis quid crederet interrogaret, reſpondit: *credo quod ſancta credit Eccleſia.* Cùm iterum inſtaret, *quid illa credit?* dicebat ille, *quod ego.* Cùm iterum quæreret, *quid tu?* ajebat, *quod illa.* Et ſic ſalubri circulo dæmonis argutias maluit eludere, quàm intellectûs ſui viribus nimiùm fidere, & vafram dæmonis ſubtilitatem quâ proſterneretur, concertando adverſùm ſe provocare. Ad hunc modum triumphato dæmone ad cælos evectus eſt, quod ipſe, ut inter dæmonem & ipſum geſtum fuit, quibuſdam poſt mortem apparens retulit, quorùm conſilio antè doctus fuerat, nunquam cum dæmone vel quibuſcunq; argumentis occurrentibus, eſſe de rebus fidei diſputandum, iiſq; pro tam ſalubri conſilio gratias egit. In materiis fidei nos ſanè quàm maximè parvulos & ſimplices eſſe convenit, ea quæ â Matre Eccleſia ſpiritu veritatis maſticata ori noſtro ingeruntur, ſimpliciter deglutiendo, non curioſè maſticando. *Neminem*, hîc præſertim, *ſibi oportet pertinaci concertatione blandiri; agitur enim de vita & ſalute, cui niſi cautè & diligenter conſulatur, amiſſa & extincta erit.*

Lactant. de vera ſap. c. 30.

III. Alio adhuc ex capite Doctorum fides tepida, languida, mortua deniq; eſſe cognoſcitur, quòd videlicet credant tanquam non crederent, videntes non videant, audientes non audiant, neq; intelligant. Dixit nonnemo, quemlibet in hoc mundo qui malè vivit, vel hæreticum eſſe, vel ſtultum; aut enim credenda non credit, ut Deum eſſe meritorum juſtiſſimum præmiatorem, malefactorum vindicem acerrimum; grave animabus noſtris poſt mortem inſtare judicium, & longam illam vel in pœnis vel in gaudiis ducendam æternitatem; talis hæreticorum carcere mulctandus eſt. Aut credit hæc, ut paſſim docti, ſed fide mortuâ & tepidâ, nec juxta illa vitam ſuam inſtituit, & hic ſtultorum ergaſtulo eſt includendus. Quid enim ſtultius, quàm talia credere, nec tamen creditis ad bonum agendum, malúmq; fugiendum excitari? Nôrunt docti enucleatiſſimè fidei myſteria, *æternam caleſtiû Patriæ*, ut verbis D. Bernardi utar, *ad quam noſtra peregrinatio ſuſpirat felicitatem, & contra gehennæ paratos impiis cruciatus, omnem excedere humani non modò corporis ſenſum, ſed etiam intellectum cordis. Verùm utinam viveret in omnibus fides iſta, & credulitatem ſequeretur, hinc quidem deſiderium, inde timor. Quid enim eſt, quòd non optamus, etiam per medios enſes, aut ſi oporteret jemiuſti declinare miſeriam tantam, & ad* tan-

de ſex diebus quibus fugere licet.

tantam accelerare gloriam? niſi quòd inſenſibilis eſt & mortua fides noſtra.

Terret me vita mea Deus meus, inquit idem S. Bernardus, *quoniam diligenter diſcuſſa, apparet mihi aut peccatum, aut ſterilitas, & ſi quid fructûs in ea eſſe videtur, ſic eſt aut ſimulatum, aut imperfectum, aut aliquo modo corruptum, ut poſſit aut non placere aut diſplicere tibi. Et cùm verè ità ſit, ſic eſt mihi quaſi non ità ſit, quod eſt miſeria ſuper miſeriam. Sic comedo, bibo, dormio ſecurus, quaſi tranſierim jam mortem, & evaſerim diem judicij, & tormenta Inferni. Sic ludo, & rideo quaſi jam regnem tecum in Regno tuo.* Hæc D. Bernardi verba, quæ de ſe humiliter protulit, quiſq; literatorum cum veritate profiteri poteſt, quorum fides verè inſenſibilis eſt & mortua, nullos vel rariſſimos bonorum operum fructus proferens, quâ credunt tanquam non crederent, dum quæ corde ſe credere profitentur, factis negant.

Non ità ſe fidei patiuntur compede ſtringi;
Ingenium doctis eſt nimis ingenuum.
Plus fidei juſſis paret devota voluntas,
Quàm ratio, doctis qua magè ſemper ineſt.
Quin imò, an doctis rationis luce voluntas
Sit potior, meritò quis dubitare queat.
Non regit hos etenim ratio, ſed cæca voluntas,
Quæq; volunt faciunt, non ea quæq; ſciunt.

CAPUT XXX.

Scientiæ laus, & neceſſitas.

Multa hucuſq; contra ſcientiæ ſtudium attulimus; nè porrò quis arbitretur me omnem ſcientiã velle perſequi, & è contra rudem & ſtupidam ſimplicitatem indifferenter commendare, adferam hoc capite nonnulla in laudem ſcientiæ, ex quibus conſtare poterit, quàm non utilis tantùm ſit homini totíq; Chriſtianæ Reipublicæ ſcientia, verùm etiam neceſſaria. Ad quam etiam anima rationalis tanquam ad ſuam perfectionem naturaliter propendet. 1.

Sapientiam atq; doctrinam ſtulti deſpiciunt, inquit Salomon, *& Prover. 9.*

Sap. 13. *vani ſunt omnes homines in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.* * *Qui in-*
Prov. 10. *docti ſunt, in cordis egeſtate morientur.* Et *quia nullus intelligit, in æter-*
Job. 4. *num peribunt.* E contrà *qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor fir-*
Dan. 12. *mamenti; & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas*
1. Cor. 14. *æternitates.* * *Si quis ignorat, ignorabitur*, ait Apoſtolus, non tam in præſenti ſæculo, cujus dies non eſt homini deſiderandus, quàm in fu-
Prov. 11. turo, cùm ſibi cum fatuis virginibus à ſponſo dictum audiet: *neſcio*, ſeu ignoro *vos.* E contra juſti *liberabuntur ſcientiâ*, & à ſponſo ad cœleſtes nuptias admittentur, in quorum lampadibus ſcientiæ oleum non de-
Philipp. 1. fecit. Hortatur nos idem Apoſtolus: *oro*, inquit, *ut charitas veſtra magìs ac magìs abundet in ſcientia, & in omni ſenſu.*

Ipſi gentiles ſapientiæ pretium agnoverunt; hinc maximo ſtudio illam indagabant, maximíſq; laudibus & honoribus viros ſapientes proſequebantur. Notum eſt illud Horatij:

- - *Sapiens uno minor eſt Jove.*

Et illud: *Unde nîl majus generatur ipſo,*
Nec viget quicquam ſimile aut ſecundum,
Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.

Cicero dicebat: *nihil eſt, per quod Diis immortalibus magìs aſſimilemur, quàm per ſcire.* Socrates interrogatus, *quodnam eſſet pulcherrimum animal?* reſpondit: *homo doctrinâ ornatus.* Diogenes videns divitem ignorantem ſedere ſuper lapidem, dixit: *Ecce lapis ſuper lapidem.* Idem ajebat, indoctum hominem pondus eſſe graviſſimum ex omnibus quæ terra ſuſtineret. Cleanthes dicere ſolebat, tantùm diſtare doctos ab indoctis, quantùm homines à beſtijs. Cui valde conſonum
Serm. 38. ad ff. eſt illud S. Auguſtini: *Quid homo ſinè literis reputatur? quid enim eſt? nunquid pecus vel hadus? nunquid bos vel aſinus? nunquid equus vel mulus quibus non eſt intellectus?*

Non debet igitur contemni vel negligi à quoquam ſapientia & ſcientia, non tantùm gentilium, quos adduximus, teſtimonio, ſed etiam in ſcripturæ ſacræ doctrinalibus libris, Judicio Salomonis & Eccleſiaſtici plurimùm commendata. Nec tantùm privato cuilibet, ſed etiam toti Chriſtianæ Reipublicæ, imò toti mundo valde utilis & neceſſaria. *Mul-*
Sap. 6. *titudo* namq; *ſapientûm ſanitas eſt orbis terrarum.* Et ut dicitur in quadam authentica, *per ſcientiam totus mundus illuminatur.*

In

Digitized by Google

In omnibus quidem hominibus inſcitia turpis eſt & noxia, in Prælatis verò & quibuſcunq; aliis Eccleſiæ Chriſtianæ Rectoribus, omnino intolerabilis, ut ſcribit Leo Pontifex. *Si*, inquit, *in Laicis vix tolerabilis videtur inſcitia, quantò magis in iis qui præſunt? nec excuſatione digna eſt nec veniâ.* Juſſit olim Deus, ut rationale Pontificis inſculpta haberet hæc duo verba: *Urim & Tummim.* Per quæ ſignificatur *doctrina & veritas.* Ut videlicet admoneretur, ſe doctrinâ & cognitione veritatis ad tantum munus neceſſariâ inſtructum eſſe debere. Sive, *ut ſciat*, inquit Beda, *doctrinæ ſe ſtudiis & veritatibus inquirendis, non curandis, rimandiſq; ſæcularibus negotiis eſſe ſacratum.* Hinc etiam decantato Evangelio, Pontificanti liber apertus ad oſculandũ offertur, per quod deſignatur, ſacram ſcripturam ipſi apertam & intimè cognitam eſſe debere. Mitra quoq; bicornis ipſum admonet, ut ſcientiâ utriuſq; teſtamenti ſit inſtructus. II.

refertur diſt. 38.

Exod. 28.

lib. 3. de Tabernac. cap. 6.

Non diſcernit in Eccleſiaſtica Hierarchia Sanctus Auguſtinus inter Paſtorem & doctorem; ità enim ad Paulinum ſcribit: *Paſtores & Doctores, quos maximè diſcernere voluiſti, eoſdem eſſe puto; neq; unquam dubitârunt ſancti Patres veteres, præcipuam virtutem in Paſtore eſſe doctrinam.* Hinc etiam Paulus Apoſtolus Epiſcopum vult eſſe doctorem. Ubi tamen per Doctorem non ille duntaxat intelligitur, qui gradum in Univerſitate accepit, ſed ille qui doctrinâ ſufficienti eſt inſtructus, ut populum ſibi commiſſum ſalutaria docere poſſit. Magna ergo in Electionibus & Nominationibus Prælatorum debet haberi ratio ſapientiæ & doctrinæ. Cùm eligendi eſſent in primitiva Eccleſia ſeptem Diaconi pro viduarum miniſterio, dicebant Apoſtoli ad multitudinem diſcipulorum: *conſiderate viros ex vobis plenos ſpiritu ſancto & ſapientiâ, quos conſtituamus ſuper hoc opus.* Si tantum Apoſtoli voluerunt haberi delectũ in conſtituendis viduarum miniſtris, quantus non haberi debet in ſacerdotum & Prælatorum inſtitutionibus?

Epiſt. 59.

Act. 6.

Quod S. Hieronymus dixit de Epiſcopis, ſcribens in illum Apoſtoli textũ, *ut potens ſit exhortari in doctrina ſana*, aptari poteſt omnibus Eccleſiæ, Religionúmq; Prælatis. *Quia*, inquit, *ſi Epiſcopi ſint tantùm ſancta vita, ſibi poſſunt prodeſſe ſic viventes, aliis verò non poſſunt. Si verò fuerint docti, & ſibi & aliis proderunt.* * *Abſq; ſermone doctrinæ*, ait idem, *converſatio quantum prodeſt exemplo, tantum ſilentio nocet; nam & latratu canum, & baculo paſtoris luporum rabies* depel-

Tit. 1.

Hierony. Epiſt. ad Oceanum.

depellenda eſt. Eandem in unoquoq; Eccleſiæ Prælato doctrinam & eruditionem exigunt inſtitutiones Apoſtolicæ, quæ præcipiunt, ut ſit *eruditus, ſermonis uſu exercitatus.* * *Multâ*, inquiunt, *doctrinâ populum tuum copiosè enutrias, & illuſtratione legis illumines. Accendite enim vobis, ait Dominus, lumen ſcientiæ dum tempus eſt.* Magnâ certè doctrinâ indiget Prælatus, & quicunq; hominum gubernator. *Videtur ars artium & ſcientia ſcientiarum*, teſte Gregorio Nazianzeno, *hominem regere, animal tam varium & multiplex.* * *Omni animali faciliùs imperabis quàm homini*, ait Xenophon: *adeoq; ſapientiſſimum eſſe oportet, qui homines regere velit.* * Si magnam ſcientiarum collectionẽ requirit in oratore Cicero, in Architecto Vitruvius, imò & in coquo Athenæus, quantò major in Prælato requiritur, qui artem artiũ exercet? *Decet profectò doctores, & Dominici gregis paſtores ſtare in alto, & doctrinam veritatis præbere cunctis audire cupientibus*, inquit S. Laurentius Juſtinianus; *nam ubi deeſt doctrina, hortamenta ut plurimùm deſunt cœleſtia, conſilia ſana, & divinarum monita ſcripturarum*, unde ſalus populi graviter periclitatur. *Rex ſapiens ſtabilimentum populi*, ait Salomon. E contra, *Rex inſipiens perdet populum ſuum.* Et, *væ tibi terra cujus Rex puer eſt*; hoc eſt, *imprudens & indoctus.* Quamobrem non pro parvo æſtimandum eſt beneficio, cùm DEUS populo ſuo ſapientes præficit Rectores: quod etiam in ſcriptura eidem aliquoties promittit: *dabo*, inquit, *vobis paſtores juxta cor meum, qui paſcant vos in ſcientia & doctrina.* Et: *non vocabitur ultra is qui inſipiens eſt, princeps.*

l. 2. c. 5. / *Sap. 6.* / *Eccli. 10.* / *Eccle. 10.* / *Jerem. 3.* / *Iſaia. 72.*

Non ergo parvum, ſed proh dolor! nec infrequens eſt ſub ſole malum, videre *poſitum ſtultum in dignitate ſublimi.* Utinam hodie nunquam reddatur verum illud Iſaiæ: *paſtores ignoraverunt intelligentiam.* Utinã nulli dentur in Dei Eccleſia *ſpeculatores cæci*, qui damna vel commoda ſui gregis non vident neq; intelligunt. Qui non habent ſalem ſapientiæ, quo populorum mentes condiant; nec pabulum cœleſtis doctrinæ, quod ovibus ſuis edendum proponant. Ipſi paſtoribus magis indigent, ipſi ſunt lumen tenebroſum, & ſal infatuatum, quod ad nihilum valet, niſi ut mittatur foras & conculcetur ab hominibus. Incedunt nihilominus pompoſi & elati, infulati & inflati, ab omnibus ſuſpici volunt & honorari, quorum ſancta quidem dignitas, ſed abominanda indignitas, dicendi non tam doctores & prælati, quàm aſini rudes & coronati. Si ipſis tiaram & annulum, cæteráq; paſtorum inſignia detrahas,

Eccle. 10. / *Iſaia. 56.*

has, idem quod Cumano leoni accidet, qui pelle ſua nudatus apparuit aſinus. Poteſt unicuiq; talium honorato & inflato dici, quod alteri cuidam aſello Iſidis ſtatuam ferenti, qui honorem Deæ â prætereuntibus impenſum ſibi exhiberi credebat, Dictum fuiſſe legimus, *non tibi ſed Religioni*; ſi enim Religionis depoſuerint inſignia, nil niſi Arcadicum remanebit. *O paſtor, ô idolum!* Quæ verba Zachariæ S. Hieronymus contra unumquemq; ſimilem Prælatum intorquendo ſic explicat: *tam ſceleratus eſt paſtor, ut non idolorum cultor, ſed ipſe idolum nominetur, dum vult ab omnibus adorari.* Idem ſacri nominis Doctor ſcribens in illa ejuſdem Prophetæ verba; *ſume tibi vaſa paſtoris ſtulti*, Prælatum inſcium & ignorantem Anti-Chriſto planè comparat his verbis: *paſtor ſtultus & imperitus, haud dubium quin Anti-Chriſtus ſit.* *Zacharia 11.*

III. Nec tantùm Prælati, ſed etiam quicunq; alij ſacerdotes, maximè illi, qui animarum curam in Dei populo exercent, ſcientiâ, & quidem non parvâ debent eſſe inſtructi. Dicitur apud Aggæum: *interroga ſacerdotes legem.* Et apud Malachiam: *labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini Exercituum eſt*; Angelus, ſive Nuntius â Deo miſſus, ex cujus ore divina voluntas populo debet innoteſcere; Et qui tanquam Cherub, flammeo verſatiliq; ſcientiæ gladio, Dei Eccleſiam, populiq; ſalutem, contra quoſcunq; veritatis hoſtes debet propugnare. *Si Sacerdos eſt, legem Domini ſciat*, inquit S. Hieronymus, *ſi ignorat legem, ipſe ſe arguit non eſſe ſacerdotem.* Sacerdotes ſunt quidam veluti montes in Dei Eccleſia. Unde ſicut montes ſolis exorientis lumen recipiunt primi, ſic & illi ſcientiâ cæteris præfulgere debent.Ità D. Auguſtinus illud pſalmi interpretatur. *Illuminans tu mirabiliter â montibus æternis.* Dicitur illis in Evangelio: *vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi.* Quæ verba ſic explicat S. Laurentius Juſtinianus; *propter ſuam eruditionem dicuntur ſal terræ, ob ſanctitatem vitæ luminaria mundi.* * *Sacerdos quiſq; priùs ſtudeat ſcire, quàm poſſe; quoniam in illo poteſtatem præcedere debet ſcientia. Nonne Eccleſiæ quoddam eſt dedecus, inſcium videre presbyterum? cui animæ inutiq; convenit erudire populum, & ad ſe confluentibus monita propinare ſalutis.* Ipſum quoq; nomen Presbyteri â ſapientia quidam deducunt; hinc illud Iſidori: *ſi presbyteri â ſapientia denominantur, miror cur inſipientes conſtituantur.* Ait idem: *Tam doctrinâ quàm vitâ clarere debet Eccleſiaſticus Doctor, nam doctrina ſinè vita arrogantem reddit, vita ſinè doctrina inutilem facit.* *Aggæi. 2. Malach. 2. in pſ. 75. S. Laur. Juſtinian. de ſpirit. ter. Iſid. ſent. lib. 3. c. 36.*

De

De ſacerdotibus inſciis & ignorantibus ità ulteriùs ſcribit prænominatus Venetorum Patriarcha: *nec interregari volunt, nec interrogare poſſunt, quoniam Idiotæ ſunt. Ad arentem fontem quis pergeret ut aquam hauriret? ſic tales aridi non ſolùm nullum doctrinæ imbrem populis propinant ſitientibus, verùm etiam mala conſilia præſtant, quibus plebecula moriuntur; unde ſuperſtitiones vigent, mandata contemnuntur, peccata fiunt.*

Idem de compu. & comp. Chriſti.

Audiamus Canonem quendam Concilij Toletani, qui ſic ſonat: *Ignorantia Mater cunctorum errorum, maximè in ſacerdotibus Dei vitanda eſt, qui docendi officium in populis ſuſceperunt.* Quorum inſcitia eſt adeo intolerabilis, ut cum aliquibus auſim pronuntiare, illiteratum eſſe magìs irregularem, quàm homicidam. Imò parochus ſive paſtor illiteratus eſt homicida, quia per ignorantiam ſuam multos interficit, quos per doctrinam ſalvare potuiſſet. *Ars eſt artium regimen animarum, & ſi cæcus cæcum ducat, ambo in foveam delabuntur.* * *Ignorans ignorabitur*, ait S. Bonaventura, *& multos ignorare faciet & ignorari.* Audiant rudes & indocti Sacerdotes illam Dei comminationem apud Oſeam: *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te nè ſacerdotio fungaris mihi.* Et illud D. Gregorij: *quicunq; ſtultus eſt in culpa, erit ſapiens in pœna.*

Conc. Tol. 4. c. 24. refert. diſt. 38. c. 1.

c. 14. * *de ætate proficien.*

Oſee. 4.

Moral. lib. 11. c. 23.

Venit aliquando doctus quidã homo & facetus ad quendam preſbyterum ſtolidum & illiteratum, dúmq; multa ex illo inquireret de ſcripturarum divinarum ſenſu & explicatione, nihil ex vaſe vacuo potuit obtinere, presbyter enim omnia ſe ignorare faſſus, hoc ſolùm dicebat: *litera occidit.* Cui alter ſcitè reſpondit: *Bene caviſti mi Domine nè te litera occideret, quia nullam calles.* Quod Thomas Morus ſequentibus expreſſit verſiculis.

In Epigr.

Magne Pater, clamas: occidit litera, *in ore*
Hoc unum: occidit litera, *ſemper habes.*
Caviſti bene tu nè te ulla occidere poſſet
Litera, nam nulla eſt litera nota tibi.

Utinam hodie in numero presbyterorum non dentur plures ejuſmodi literarum oſores, qui gloriantur *in ſpiritu non litera*, & literarum & ſpiritûs expertes.

Rom. 2.

Novit optimè diabolus, quantum ipſi damnum inferatur per paſtores literatos; hinc ſtupidos Idiotas per indebitos hominum favores ad

ad beneficia & Ordines promovere conatur, â quibus parum ſibi habet metuendum. Leguntur Philiſtijm artem ferrariam in omni terra Iſraël olim prohibuiſſe, *caverant* enim *ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam.* 1. Reg. 13. Sic & verſutus ille ſpiritus, timens in Dei Eccleſia *armaturam fortium* quæ eſt ſapientia & doctrina, modis omnibus conatur, ut expertes hujus armaturæ populis præficiantur. Quin etiam ſcientiæ Chriſtianæ officinas, in quibus potentiſſima contra ipſum, ejúſq; aſſeclas arma fabricantur, ſtudet impedire. S. Laurentius Juſtinianus *ignorantiam vocat beſtiam quæ aſcendit de abyſſo*, â qua populus Dei magnã ſuſtinet ſtragem. Apoc. 11. Fer. 4. poſt Dom. 2. quadrag. Pluribus etiam idem Sanctiſſimus Venetorum Patriarcha ignorantiæ damnabilis incommoda deſcribit.

IV. Nec tantùm Sacerdotes & Clerici curam animarum gerentes, ſive ſint Eccleſiaſtici, ſive Religioſi vi ſuæ profeſſionis ad obeunda foris Marthæ negotia deputati, cujuſmodi ſunt omnes Ordines Canonici & Clericales, ſcientiâ debent eſſe inſtructi, ſed ipſis etiam Monachis ſcientiæ ſtudium eſt neceſſarium. Quamvis enim *Monachus*, teſte D. Hieronymo, *non docentis ſed plangentis habeat officium, ut ſe vel mundum lugeat, & Domini pavidus præſtoletur adventum*, nihilominus etiam Monachi neceſſitatis tempore docendo & prædicando Eccleſiæ Dei opem ferre tenentur. *Sancta ruſticitas ſolùm ſibi prodeſt*, ait S. Hieronymus, *& quantùm ædificat ex vitæ merito Eccleſiam Chriſti, tantùm nocet ſi deſtruentibus non reſiſtat.*

Tranſeat etiam Religioſum vitæ activæ functionibus pro ſalute animarum operanda nunquam eſſe applicandum, eget nihilominus ſcientiâ ad animæ ſuæ propriæ ſalutem. Cognitio enim Dei rerúmq; divinarum ante omnia ipſi eſt neceſſaria. Hinc bene dixit Lactantius: *Scientia præcedit, Religio ſequitur; quia prius eſt Deum ſcire, conſequens colere.* Exactè pariter callere debet Religioſi ſui ſtatûs obligationem, ſcire quoq; inter vitia & virtutes perfectè diſcernere, quod magnæ artis eſt. *Sinè ſcientia nec virtutes ipſæ quibus rectè vivitur, haberi poſſunt*, ait S. Auguſtinus, *per quas hæc vita miſera ſic gubernatur, ut ad illam quæ verè beata eſt perveniatur æternam.* lib. 12. de Trinit. cap. 14. Præſervat etiam ſcientia hominem à vitiis. Hinc illud Theologorum axioma: *ſtante perfectâ ſcientiâ in intellectu, non poteſt eſſe peccatum in voluntate.* Scimus quòd ad ſtudium virtutis, & vitij declinationem neceſſaria ſit homini diſcretio. *Tolle diſcretionem*, ait S. Bernardus, *& virtus vitium erit.* Diſcre-

Rom. 10 ſcretio autem ſinè ſcientia non poteſt conſiſtere. *Multi zelum ſeu æmulationem Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam*, quæ ipſis proinde parum confert ad meritum. Imò eodem teſte S. Bernardo, *Zelus abſq; ſcientia*, quo illiterati frequenter tument, omnino eſt *importabilis*. Virtus ergo ſinè ſcientia non poteſt conſiſtere, ubi autem virtus exulat, neceſſarium eſt vitia hoſpitari. Hinc idem mellifluus Doctor Ignorantiam *matrem omnium vitiorum* appellat. Huc ſpectat illa rhytmis expreſſa ſententia, quam in encomio ſolitudinis adfert Cornelius Muſa:

Hom. 32. in Cant.

Tolle literarum uſum,
Comparatum vel infuſum,
Vita de Monaſtica;
Si non fiat cerebroſa,
Stupida vel furioſa,
Saltem ſit phantaſtica.

Trithemius Monachos literarum præſertim ſacrarum ſtudia contemnentes, appellat *ſtultos & perditiſſimos petrones, ſtultiſſimóſq; tenebriones. Nihil infelicius*, inquit idem, *Monacho indocto, qui ſtudium ſacrarum ſcripturarum vel negligit vel contemnit, quia nunquam poteſt in vera cordis tranquillitate apud ſemetipſum purus conſiſtere, ſed compellitur inquietudine propriâ, contra Monaſticæ converſationis integritatem, externis mentem & inutilibus occupare.*

Hinc mirum non eſt, rudes nimiùm ac ſimplices olim Monachos, vitæ integritate cæteroquin inſignes, ſcientiæ defectu, in errores varios, hæreſéſq; abſurdiſſimas incidiſſe. Tales erant illi apud Caſſianum, qui illud Salvatoris apud Matthæum c. 10. *qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus*, ſimpliciter intelligentes, fecerunt ſibi cruces ligneas, eáſq; jugiter humeris circumferentes, non ædificationem, ſed riſum cunctis videntibus moverunt. Tales erant qui â calceamentis veluti divino præcepto interdictis abſtinebant. Tales qui de mendacio tanquã licito & laudabili, de ſpontanea ſui nece & caſtratione, de Dei tentatione, de bona voluntate gratiam Dei præveniente malè ſentientes erraverunt, & cum pertinacia foverunt errorem. Tales erant qui Deum corporeum & membrorum lineamentis circumſcriptum credentes, humanámq; illi effigiem tribuentes, Antropomorphitæ ſunt appellati. Exemplo ſit ſenex ille Serapion apud Caſſianum, vir antiquiſſimæ diſtrictionis, ſed antropomorphita, qui â Diacono Catholico, ſcripturarum

Collat. 8. c. 3.

rati-

Digitized by Google

rationúmq; vi tandem perſuaſus, Deum inviſibilem, incorporeum, & incircumſcriptum eſſe, cùm in oratione poſitus, non ampliùs ut ſolitus fuerat, corporeum Dei ſimulacrum ſibi præfixum haberet, erroris ſui adhuc tenax, in has ejulando prorupit voces: *Heu me miſerum! tulerunt à me Dominum meum, & quem modò teneam non habeo, vel quem adorem, vel quem interpellem jam neſcio.* Neq; ſolus ille hoc errore tenebatur; fuerunt ejuſdem plures ob ruditatem conſortes. Cùm enim Theophylus Alexandrinus Epiſcopus, in literis ſignificantibus diem Paſchæ, multa inſeruiſſet quæ hanc groſſam hæreſin damnabant, tanta amaritudine damnatio hæc ab univerſo propemodum genere Monachorum, qui per totam Ægypti provinciam morabantur, fuit recepta, ut è contrario memoratum Pontificem, velut hæreſi graviſſimâ depravatum, ab univerſo corpore fraternitatis deteſtandum ſtatuerent, *velut irrationabilia pecora quæ* ignorabant *blaſphemantes.* Hanc errorum tam intolerabilium Matrem ignorantiam quò caverent alij, ùt voluntatem virtutibus, ità ſcientijs intellectum excolebant. Teſtantur id Eſſenorum de manè uſq; ad veſperam protracti ſtudiorum labores, frequentes Patrum Collationes; poſt cujuſq; diei nonam, veſperas, noturnámq; Synaxin, in quibus qui eruditiores erant, de Deo ejúſq; attributis, vitiis item ac virtutibus diſputabant, ut noſter obſervat Landmetterus; quod etiam atteſtari ait locupletiſſimas illas omni doctrinâ Caſſiani collationes, manibus S. Benedicti, Caſſiodori, Climaci, Bernardi, Dominici, Thomæ, Ignatij ſtudioſè tritas. *2. Petr. 2.*

Quantùm dæmon Religioſorum inſcitiâ delectetur, nec ipſos tantùm in ſuos laqueos facilè inducat, ſed etiam per ipſos tanquam ſua inſtrumenta alios frequenter decipiat, patet in exemplis duorum Religioſorum, quæ deſcribuntur in vita S. Norberti. Hi cùm ambo eſſent idiotæ, nec literam unam legere nôſſent, maligno illi pro inſtrumentis falaciæ & nequitiæ præclarè ſerviêrunt. Nam per unum ex illis ex Propheta Daniele, per alterum ex Apocalypſi S. Joannis mira vaticinatus eſt, ut fratres alios novellæ illius plantationis ſeduceret; quod etiam fortè contigiſſet, niſi prudentiores aliqui Dæmonis technas advertiſſent. Ad cujus impoſturas detegendas, & præcavendas, omnino neceſſarium eſt ſcientiæ lumen. *In vita S. Norberti lib. 2. c. 5. & 6.*

Non ſufficit ergo Religioſum eſſe pium ac devotum, ſed doctrina pietati conjungenda eſt. Non vult Salvator nos tantùm eſſe ſimplices ut

Digitized by Google

columbas, ſed etiam prudentes ſicut ſerpentes. *Etſi è duobus imperfectis meliùs ſit ruſticitatem ſanctam habere*, inquit S. Hieronymus, *quàm eloquentiam peccatricem*, meliùs tamen eſt, ſi eloquentia & ſcientia conjungatur ſanctitati. *Qui vel vitam ſolùm rectè inſtituunt, aut eloquentia tantummodo ſtudent, ità ut alterum omittant*, inquit S. Gregorius

Orat. 10. Nazianzenus, *nihil mihi à monoculis diſtare videntur, quibus magnum eſt nocumentum; major verò turpitudo, cùm quempiam inſpiciunt, ſeu inſpiciuntur. Quibus verò contingit ut in utriſq; excellant & ſint idonei, ij illud etiam aſſequuntur, ut perfecti evadant, & cum beatitudine vivant futura.*

V. Novit dæmon, quantùm ſcientia conferat, non tantùm propriæ, ſed etiam alienæ ſaluti, & quantum à ſtudiis literariis emolumentum, non tantùm in Religioſas familias, ſed etiam in univerſam Dei Eccleſiam dimanet. Unde ſicut olim Holofernes reperto fonte, qui in Bethuliæ

Judith. 7. Civitatem influebat, *incidi præcepit aquaductum*, ſic malignus iſte ſtudia literarum in Religionibus conatur omnibus modis impedire. Advertit hoc Stephanus Cantuarienſis ità ſcribens: *Tunc incidit diabolus aquaductum, cùm facit interrumpi ſtudium literarum. Hoc eſt, quòd puteos quos fodiebant Patriarchæ, obſtruebant Philiſtai.* Scit nequam

anno 1549. & verſutus ille ſpiritus, quod ait Synodus Moguntina, *Religionis incolumitatem ſinè ſtudiorum auxilio nunquam durare poſſe.* Et: *frangi navem Religionis*, ùt ſcribit Hugo Cardinalis, *quando ſubeſt parum aquæ, id eſt doctrinæ; tunc enim terrenorum amori alliditur, & ſic frangitur.*

in pſal. 105.

Quid olim fuerunt Religioſorum Monaſteria, niſi ùt ſanctitatis, ità & ſcientiæ domicilia? in quibus ferè ſolis facultates literariæ tradebantur uſq; ad annum 1200, quo Academiæ cœperunt inſtitui. Audiamus hac de re Trithemium ità loquentem: *Doceri etiam in Monaſteriis, & à Religioſis ſcientiæ poſſunt, atq; ità olim in uſu fuit. Nec oportet vos propter ſtudium Monaſterium deſerere, quia unde proficiatis, domi poteſtis invenire. Multos enim doctiſſimos Monachos olim in Ordine noſtro claruiſſe cognovimus, quos tantùm in cœnobiis ſtuduiſſe ſcimus. Beda presbyter & Monachus undecunq; peritiſſimus, ſeptennis Cœnobio traditus fuit, in quo quidquid ſcripturarum didicit, hauſit. Cujus diſcipuli fuerunt inter cæteros eruditiſſimi. Alcuinus præceptor poſtea Caroli Magni, Claudius, & Joannes Scotus, Monachi in omni doctrina tam divina*

Trith. lib. 2. *de laud. ſcrip. manual. cap.* 16.

Digitized by Google

vina quàm ſæculari excellentes, græco & latino ſermone inſtructi, quorum multa præclara extant opuſcula. Rabanus Abbas & Moguntinus Archi-Epiſcopus pene adhuc puer Fuldenſi Monaſterio traditur, qui quantùm in omni ſcientia profecerit, ejus volumina teſtantur. Hunc tamen Abbas ſuus Fuldenſis ſtudij cauſâ in Franciam miſit ad Alcuinum Abbatem, cujus jam fecimus mentionem, ſub cujus Magiſterio multis annis perſeveravit in Monaſterio. Strabus Monachus Fuldenſis, diſcipulus & ſcriba Rabani Abbatis fuiſſe ſcribitur, qui juvenis Cœnobio datus doctor inſignis effulſit. Sic Haymo, ſic Notgerus, ſic Hermannus Contractus, ſic alij pene innumerabiles Monachi doctores excellentes ſunt habiti, qui ſub Regula S. Benedicti humiliter converſantes, Cœnobia pro gymnaſiis habuerunt. Nec dicimus illis defuiſſe Magiſtros, qui aliorum præceptores habiti ſunt. Magiſtros omnino habuerunt, ſed Monachos, & Regularis vitæ conſocios, qui eos non minùs vitâ, quàm doctrinâ inſtruebant. Nos quoq; Magiſtros forſitan inveniremus, ſi vellemus eſſe diſcipuli. Niſi enim humilitas & amor ſcripturarum mutuò ſibi conſentiant, Monachorum ſtudia nec expediunt Ordini, nec proficiunt. Amor enim ſcripturarum ſinè humilitate regularis vitæ diſciplinam deſtruit, humilitas ſinè amore ad ſcientiam earundem non pertingit. Qui ergo in Cœnobio doctus fieri deſiderat, hæc duo inviolabiliter conſervet. Imitemur SS. Patres divinis ſcripturis cum humili amore inſiſtentes, & quod illis gratia divina contulit, nobis orantibus & legentibus ſedulè non negabit. Quantò enim quiſq; in lectione aſſiduus fuerit, tantò fructum ex eis uberiorem capit. Fructus autem quem in ſacris ſcripturis quærimus amor Dei & proximi eſt, & noſtri agnitio piiſſimi Salvatoris.

Hæc ille de Monaſteriis ſui Ordinis. Noſter Præmonſtratenſis Ordo, tametſi longè recentior, eundem in ſui primordio, diverſas ſcientiarum facultates profitendi uſum habuit, non tantùm domeſticis ſed etiam exteris. Sic apud nos Strahoviæ in monte Sion, diverſarum facultatum profeſſuram viguiſſe legimus, ipſúmq; Regis Wladiſlai glorioſiſſimi noſtri fundatoris filium, apud nos fuiſſe in pietate ac literis enutritum. Ne verò quis propterea Religioſos choro defuiſſe putet, noverit illorum trecentos ſub id tempus Strahoviæ in candida veſte Deo militâſſe. Quis florem illorum temporum nobis reducet? Vigeat interim apud nos Anteceſſorum exemplo, utì Religionis ità & ſcientiæ ſtudium. Multùm equidem Religioſæ quieti conſultum arbitror, inſtitutis jam gymnaſiis & uni-

Digitized by Google

Univerſitatibus, publicarum lectionum onere in alios vegetiores tranſlato. Nihilominus adhuc hodie in quolibet Monaſterio ſtudium aliquod ſacrarum literarum, vel ijſdem ſubſervientium vigere debet; ſic enim ſaluberrimè ſtatuit Concilium Tridentinum, ut in omnibus tam Monachorum, quàm aliorum Regularium Conventibus & Monaſteriis, lectio Theologica habeatur. Quod etiã Præmonſtratenſiũ ſtatutorum tenore, omnibus Ordinis ejuſdem Cænobijs ſeriò præcipitur, & cõmendatur.

VI. Neq; ſufficiunt ad doctrinam Religioſis implantandam vocales Magiſtri, ſed etiam libri requiruntur. *Væ Clerico indocto & ſinè ſacris libris*, inquit Thomas Kempenſis, *qui ſibi & aliis ſæpe eſt cauſa erroris. Nam Clericus ſinè ſacris libris, quaſi miles ſinè armis, equus ſinè frænis, navis ſinè remis, ſcriptor ſinè pennis, avis ſinè alis, aſcenſor ſinè ſcalis, ſutor ſinè ſubulis, tector ſinè tegulis, faber ſinè malleis, ſartor ſinè acu & filis, raſor ſinè cultris, ſagittator ſinè jaculis, viator ſinè baculo, cæcus ſinè ductore. Omnes iſti parum vel nihil valent, nec proficiunt ſinè inſtrumentis, & bono inſtructore. Similiter Clauſtrũ & Congregatio Clericorũ ſinè ſacris libris, quaſi coquina ſinè ollis, menſa ſinè cibis, puteꝰ ſinè aquis, rivus ſinè piſcibꝰ, ſaccus ſinè veſtibꝰ, hortus ſinè floribus, burſa ſinè pecuniis, vinea ſinè botris, turris ſinè cuſtodibꝰ, domus ſinè utenſilibus.*

Kemp: in doctrinali Juvenum c. 7.

Hæc in laudem ſcientiæ dicta ſufficiant, quam ſi vellem contemnere, ſacris legibus & rationi repugnarem. Starent etiam contra me clariſſima Eccleſiæ lumina, fortiſſimæ columnæ, ac *turres cum propugnaculis, omni armaturâ fortium* inſtructiſſimæ, Baſilij, Hieronymi, Gregorij, Ambroſij, Chryſoſtomi, Cyrilli, Anſelmi, Bernardi, Bonaventuræ, Alberti, Aquinates, & mille alij doctores doctrinâ ſimul & pietate ſpectatiſſimi, qui caſtas ſuas delicias cum magno Auguſtino in eruditionis ſtudio collocârunt.

Cant. 4.

SIT NICEA, ſive quod hujus Anagrammatis programma ſonat: SCIENTIA.

Abſit ut imprudens ſacram demoliar urbem,
Quam docta & Cælo grata caterva colit.
Mille etenim clypei nobis præbentur ab illa,
Inde armatura ſumitur omne genus;
Ut non prævaleant tenebroſi limina Ditis,
Chriſto devotam præcipitare petram.
SIT NICEA, *armis cujus non ſolus Arius,*
Cuncta ſed hæreſeos agmina victa cadant.

CAPUT XXXI.

De Sæcularis ſcientiæ ſtudio.

Vidimus præcedenti Capite, DEI ſacerdotem, imò & quemcunq; Religioſum ſcientiâ inſtructum eſſe debere. Explicandum jam erit qualis ſit illa ſcientia. *Multa* enim *doctrina ſunt*, teſte D. Auguſtino, *ſi tamen doctrinæ dicendæ ſunt*, *vel ſuperflua, vel noxia.* * *Parum mihi placent eæ literæ*, inquit Saluſtius, *quæ ad virtutem doctoribus nihil proferunt.* Quin & ipſe Ariſtoteles non vult nos liberalium quarundam artium ſtudio nimis eſſe deditos, dum ità ſcribit: *ſunt quædam ex liberalibus ſcientiis, quas uſq; ad aliquid diſcere honeſtum ſit; penitus verò ſe illis tradere, ac ad extremum uſq; perſequi velle, noxium.* * Quænam igitur eſt illa ſcientia, cujus utilitatem, imò & neceſſitatem capite præcedenti declaravimus? I.

Epiſt. 20. *in Jug.* *8. Polit. cap. 2.*

Inprimis ſcientia illa non eſt ſæcularis; hæc enim Dei ſervo non tantùm eſt inutilis, verùm etiam noxia & prohibita, ut præſenti capite demonſtrabitur. Per ſæcularem verò ſcientiam, intelligo ſcientiam ſæcularium negotiorum, hiſtoriarum, carminum, fabularum, aliarúmq; rerum profanarum, ad ſalutem minùs conducentium, maximè illam, quæ ex gentilium libris hauritur. Præcepit Dominus apud Jeremiam: *Juxta vias gentium nolite diſcere.* Concilium Carthaginenſe IV. ità decrevit de Epiſcopis: *Epiſcopus gentilium libros non legat.* Audi & de Sacerdotibus D. Hieronymum Damaſo Papæ ità ſcribentem: *Sacerdotes*, inquit, *Dei, omiſſis Evangeliis & Prophetis, videmus comœdias legere, amatoria bucolicorum verſuum verba canere, Virgilium tenere, & id quod in pueris neceſſitatis eſt, crimen in ſe facere voluptatis.* Legimus de eodem D. Hieronymo, quòd cùm libros legeret Ciceronis, ab Angelo fuerit correptus, eò quòd vir Chriſtianus paganorum figmentis intenderet. Rem totam fuſiùs ab ipſo narratam ſic accipe. *Referam tibi*, inquit ad Euſtochium, *meæ infelicitatis hiſtoriam: cùm ante annos plurimos, domo, parentibus, ſorore, cognatis, & quod his difficilius eſt, conſuetudine lautioris cibi, propter Cœlorum me regna caſtrâſſem, & Hieroſolymam militaturus pergerem, bibliothecâ quam mihi Romæ ſummo ſtudio ac labore confeceram, carere omnino non poteram. Itaq; miſer ego lecturus Tullium jejunabam poſt noctium crebras vigilias, poſt lacrymas.* II.

Jerem. 10. *c. 17.* *refertur diſt. 37. c. 2.* *Epiſt. ad Euſtoch. de cuſtod. virginit.*

mas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis viſceribus eruebat, Plautus ſumebatur in manus; ſi quando in memetipſum reverſus Prophetas legere cæpiſſem, ſermo horrebat incultus; & quia cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam eſſe, ſed ſolis. Dum ità me antiquus ſerpens illuderet, in media ferme Quadrageſima medullis infuſa febris corpus invaſit exhauſtum, & ſinè ulla requie (quod dictu quoq; incredibile ſit) ſic infelicia membra depaſta eſt, ut oſſibus vix hærerem. Interim parantur exequiæ, & vitalis animæ calor toto frigeſcente jam corpore, in ſolo tantùm tepente pectuſculo palpitabat; ſubitò raptus in ſpiritu ad Tribunal Judicis pertrahor, ubi tantum luminis & tantum erat ex circumſtantium claritate fulgoris, ut projectus in terram ſurſum aſpicere non auderem. Interrogatus de conditione, Chriſtianum me eſſe reſpondi; & ille qui præſidebat: mentiris ait, Ciceronianus es, non Chriſtianus; ubi enim Theſaurus tuus, ibi & cor tuum. Illico obmutui, & inter verbera (nam cædi me juſſerat) conſcientiæ magìs igne torquebar, illum mecum verſiculum reputans, in Inferno autem quis confitebitur tibi? clamare autem cæpi, & ejulans dicere: miſerere mei Domine, miſerere mei. Hæc vox inter flagella reſonabat. Tandem ad Præſidentis genua provoluti qui adſtabant, precabantur ut veniam tribueret adoleſcentiæ, & errori locum pænitentiæ commodaret, exacturus deinde cruciatum, ſi gentilium literarum libros aliquando legiſſem. Ego qui in tanto conſtrictus articulo vellem etiam majora promittere, dejerare cæpi, & nomen ejus obteſtans dicere: Domine ſi unquam habuero codices ſæculares, ſi legero, te negavi. In hæc Sacramenti verba dimiſſus revertor ad ſuperos, & mirantibus cunctis oculos aperio, tanto lacrymarum imbre perfuſos, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec verò ſopor ille fuerat, aut vana ſomnia, quibus ſæpe deludimur. Teſtis eſt Tribunal illud ante quod jacui, teſtis judicium triſte quod timui. Ità mihi nunquam contingat in talem incidere quæſtionem. Liventes fateor habuiſſe me ſcapulas, plagas ſenſiſſe poſt ſomnum, & tanto dehinc ſtudio divina legiſſe, quanto non ante mortalia legeram. Hæc de ſe ipſo Divus Hieronymus. In Regula quoq; Monachali ſic ſcribit: *Quid facit cum pſalterio Horatius? cum Evangeliis Maro? cum Apoſtolo Cicero? ne ergo legas Philoſophos, Oratores, Poëtas, ne in eorum lectione requieſcas. Ne nobis blandiamur, ſi his quæ ſcripta ſunt non credimus, cùm aliorum conſcientia vulneretur, ut putemur probare, quæ dum legimus non repro-*

reprobamus. Abſit ergo ut de ore Chriſtiano reſonet Jupiter Omnipotens, & me Hercule, & me Caſtor, &c. magis portenta, quàm Numina. Alibi quoq; ſic ait: *Dæmonum cibus eſt carmina Poëtarum, ſæcularis ſcientia, Rhetoricorum pompa verborum.* Idem S. Doctor ſcientias ſæculares comparat ſiliquis, quibus non poterat prodigus ille filius ſaturari. *Nulla ibi ſaturitas veritatis, nulla juſtitia refectio reperitur; ſtudioſi earum* S. Hieron. *in fame veri & virtutum penuria perſeverant; mihi autem cura,* in Reg. *non quid Ariſtoteles, ſed quid Paulus doceat.* *Mon.*

Omnes ſæcularium ſcientiarum ſubtilitates, elegantiæ, ac ſuavitates nugæ ſunt nugarum, & vanitates vanitatum. *Quid horum ad virtutem viam ſternit?* inquit Seneca, *Syllabarum enarratio, verborum diligentia, & fabularum memoria, & verſuum lex & modificatio. Quid ex his metum demit, cupiditatem frænat? muſica monſtrat mihi qui ſunt modi flebiles, monſtret potiùs quomodo inter adverſa non emittam flebilem vocem. Metiri me Geometer docet latifundia, potiùs doceat quomodo metiar quantùm homini ſatìs ſit, &c. Scis quæ recta ſit linea, quid tibi prodeſt ſi quid in vita rectum ſit ignoras?* Hæc Seneca verè Chriſtianè. Exiguus valde fructus, non tantùm pietatis, ſed etiam ſolidæ eruditionis ac doctrinæ ex ſimilium librorum lectione percipitur, & cùm oculi legendo fuerint fatigati, dicere poteſt curioſus lector, *oculi mei languerunt præ inopia.* Parum in illis reperitur utile ac fructuoſum, multa verò noxia & damnoſa. Stephanus Cantuarienſis ſcientias ſæculares comparat fontibus illis prope Bethuliam, ex quibus Filij Iſrael furtim hauriebant aquam, & quidem evidenti cum vitæ periculo, *ad reſo-* *Judith.* 7. *cillandum potiùs, quàm ad potandum.*

III. Exquiramus etiam hìc ſententiam D. Auguſtini. Hic poſtquam in juvenili ætate ſalutis propriæ incurius, vanæ autem poëſeos ſæculariúmq; literarum avidus & curioſus amator, bonam pretioſi temporis partem in earum nugis exegiſſet, damna ſua in Confeſſionum libris ità deplorat: *tenere,* inquit, *cogebar Æneæ neſcio cujus errores, oblitus erro-* *Conf. lib.* *rum meorum, & plorare Didonem mortuam, quia ſe occidit ob amorem,* 1. c. 13. *cùm interea me ipſum in his à te morientem Deus meus vita mea ſiccis oculis ferrem miſerrimus.* Alio quoq; loco in iiſdem confeſſionibus, poſtquam ſtudium ſuum in recitandis & mutandis verſibus enarrâſſet, ſubdit: *nonne ecce illa omnia fumus & ventus? Itane aliud non erat ubi* *Ibid. c.* 17. *exerceretur ingenium, & lingua mea laudes tuæ Domine? laudes tuæ*

per ſcripturas tuas ſuſpenderent palmitem cordis mei, & non raperetur per inania nugarum, turpis præda volatilibus. Non enim uno modo ſacrificatur tranſgreſſoribus Angelis. Monet Apoſtolus ſuum Timotheum: *profana & vaniloquia devita, multùm enim proficiunt ad impietatem.* Quod in ſe ipſo fuit expertus magnus idem Aurelius, quamdiu enim vanos & profanos poëtarum aliorúmq; gentilium libros legit, hæreticus ſemper manſit & vitam inveteratis libidinibus conſpurcatam duxit; proficiebant enim ipſi profana illa volumina ad impietatem. Poſtquam verò S. Pauli Epiſtolas arripuit, poſtquam ex S. Antonij vita lectionem audivit, ſubitò abnegavit *impietatem* & ſæcularia deſideria, & in virum alium mutatus, ſtatuit ſobriè deinceps ac piè vivere in hoc ſæculo.

2. Tim. 2.

Verum quidem eſt, quod idem Sanctus aſſerit de ſæculari literatura: *hinc verba diſcuntur, hinc acquiritur eloquentia, rebus perſuadendis, ſententiiſq; explicandis maximè neceſſaria.* Sed ut idem ſanctus advertit, cur in fabuloſis, vanis, imò turpibus, & obſcænis materiis linguæ facundiam, ingeniiq; acumen exercemus, & non potiùs in ſalubribus & honeſtis? Allegat eodem in loco exemplum cujuſdam adoleſcentis, qui Jovem occaſione cujuſdam fabulæ ſibi ad ſtupri exemplum propoſuit. Plures noſtro etiam ſæculo Chriſtiani juvenes, ex gentilium fabularum libris, & fictitijs metamorphoſibus lethale ſugunt venenũ, & ex Angelis in Sathanas transformantur peſſimâ metamorphoſi. *Quibus non tam placent ſolida, quàm picta,* inquit S. Chryſoſtomus, *quæq; potius pulchra quàm utilia ſectantur, &c. magis gaudent foliorum amænitate conſpergi, quàm fructuum ubertate nutriri.* Eloquentiâ verborum & fabularum curioſitate allecti, cum dulci eſca mortis hamum deglutiunt, nec tantum lucri ad ſcientiæ profectum ex fæda illa lectione referunt, quantum damni ad animæ perniciem reportant. Inde enim curioſitatem ſuam nutriunt, inde malas cupiditates accendunt, inde peccatis animas implectunt. *Vana lectio vanas generat cogitationes,* teſte S. Bonaventurâ, *& extinguit mentis devotionem.* S. Hieronymus loquens de profanis poëtarum & oratorũ ſcriptis: *hæc,* inquit, *ſuâ omnes ſuavitate delectant, & dum verſibus aures dulci modulatione currentibus capiunt, animam quoq; penetrant, & pectoris interna devinciunt.*

lib. 1. Confeſſ. cap. 16.

In Reg. Monach.

IV. Deplorat hoc ſæcularis literaturæ philtrum, & ſpiritualis doctrinæ faſtidium in Juvenibus noſtri temporis, Adamus Contzen in ſuis politi-

liticorum libris ità ſcribens: *Video nonnullos adoleſcentûm in oratoria fa-* *lib. 4. Po-*
cultate ſedulos, in pangendis verſibus laborioſos, in græca lingua addi- *lit. cap. 8.*
ſcenda etiam moleſtiarum victores, in ſpinetis dialecticæ, profundis Phy- *§. 9.*
ſicæ, arcanis Metaphyſicæ, Mathematicisq; ſcientiis diligentes, in ſacra doctrina ſtatim fatigari; vel enim omnino non veniendi cauſas prætexunt, vel cùm venerint alior ſum animos vertunt, & circumſpiciendo oſcitandóq; abire ſe velle vel inviti oſtendunt. Illi ſe vel oſtendunt magnis vitijs implicitos, vel ità perituris ſcientiarum honoribus inhiare, ut in Chriſtiana profeſſione animos Ethnicos gerant. Quid enim Deo tuo reſpondebis? totos dies Tullium aut Demoſthenem volvis, poëtarum fabulas cum ſuavitate carminis, & creberrimè cum veneno cœnoſo cupidè ebibis, Ariſtoteli & Euclidi impalleſcis, habiturus hoc, ut quò plura didiceris, de pluribus dubites. Et eloquia Domini eloquia caſta, dulcia ſuper mel, præſtantiora lapide pretioſo contemnis. Gravi morbo laborat, cui cibus optimus nauſeam parit. Contingere illis ſolet quod peregrinantibus, qui in hoc incumbunt, ut variorum mores hominum, flumina, & oppida deſcribant, patrimonij ſui fines & agrorum limites ignorent. Hinc nec conſcientiam ſuam regere, nec rationem fidei reddere, nec Judæo vel hæretico, ne idiotæ quidem reſpondere poſſunt. Quod eam ob cauſam gravius eſt, quòd authoritatem habent Oratorum, Philoſophorum, titulū Magiſtrorum, in Chriſtiana fide ignorantiam puerorum. Hinc tanti contemptûs magnas dant pœnas, interdum Religionis naufragio, inſcitiam ſuam Mundo oſtentantes. Et infra: *Turpe eſt Chriſtiano, ſi eum potiùs Platonis, aut Ariſtotelis, quàm Chriſti diſcipulum Academia producat. Quorſum enim ſcientiis turgidos, & opinionibus inſtabiles, in Rempublicam adducere attinet, Chriſtianæ veritatis ignaros?*

Scribit S. Proſper, ab antiquis Patribus fuiſſe decretum, *ne quis* V.
adoleſcentium legeret librum Geneſeos, certam quoq; partem Ezechielis *de vita*
Prophetæ, vel Canticum Canticorum, aut cætera talia, in quibus gene- *contempl.*
rationes, & actus, & nomina quarundam ſunt ſcripta mulierum. Idem *lib. 3. cap.*
atteſtatur S. Hieronymus in præfatione ad librum Ezechielis ſequentibus *6.*
verbis: *niſi quis ætatem ſacerdotalis miniſterij, id eſt trigeſimum annū impleverit, nec principia Geneſeos, nec Canticum Canticorum, nec hujus voluminis exordium & finem legere permittitur.* Si ſacrorum quorundam librorum lectio Juvenibus olim prohibebatur, ne illorum ætas nondum ratione domitâ ſcandali alicujus anſam ex illa ſumeret, quàm

periculoſa & noxia illis, imò & quibuſcunq; aliis cenſeri debet lectio librorum gentilium & profanorum? qui non Deo, ſed dæmone magiſtro ac dictatore prodiêrunt; in quibus non eruditionis, aut veritatis flores, ſed nonniſi beſtiæ venenatæ, ac ſerpentes reperiuntur, ut teſtatur quædam viſio B. Hugonis Cluniacenſis: Hic cùm aliquando dormiret, vidit per ſomnium ſub capite ſuo cubare multitudinem ſerpentûm & ferarum; unde cùm territus evigilâſſet, invenit ſub cervicali librum Ovidij repoſitum, quem diabolicæ venenoſitatis nidum cùm abjeciſſet, pacificè quievit.

VI. Origenes noxias gentilium curioſitates, pulchris verborum coloribus fucatas, comparat anathemati, quod Achan ſacrilegus legitur abſcondiſſe. *Videamus*, inquit, *peccatum ejus quale ſit. Furatus eſt regulam auream, & poſuit eam in tabernaculo ſuo. Non puto in illo furto parvi auri tantam vim fuiſſe peccati, ut tam numeroſam Dei Eccleſiam macularet. Sed videamus, ne fortè interioris intelligentiæ ſit, tanta ac tam gravis acerbitas iſta peccati. Multus decor eſt in verbis. & multa in Philoſophorum vel Rhetorum ſermonibus pulchritudo, qui omnes ſunt de Civitate Jericho, id eſt, hujus mundi homines. Si ergo invenias apud Philoſophos perverſa, luculenti ſermonis aſſertionibus decorata, iſta eſt regula aurea. Sed vide ne te decipiat fulgor operis, ne te rapiat ſermonis aurei pulchritudo. Memento quia JESUS anathema juſſit eſſe omne aurum quod in Jericho fuerit inventum. Si poëtam legeris modulatis verſibus & præfulgido carmine Deos Deáſq; texentem, ne delecteris eloquij ſuavitate, regula aurea eſt. Si eam ſuſtuleris & poſueris in tabernaculo tuo, ſi introduxeris in cor tuum ea quæ ab illis aſſeruntur, pollues omnem Eccleſiam Domini.*

Joſue. 7.

Origenes hom. 7. in Joſue.

Refert Clemens Apoſtolicam quandam Conſtitutionem, Chriſtianis quidem omnibus, Sacerdotibus verò Chriſti principaliter obſervandam his verbis: *abſtine te ab omnibus gentilium libris; quid enim tibi cum externis libris, vel legibus, vel falſis prophetiis, quæ leves à fide abducunt? quid tibi deeſt in lege Dei, ut ad illas gentium fabulas confugias? nam ſi hiſtorica percurrere cupis, habes Reges; ſi ſophiſtica & poëtica, habes Prophetas & Job, Proverbiorum quoq; authorem, in quibus omnis poëticæ ac ſapientiæ accuratam rationem invenies; quoniam Domini Dei, qui ſolus ſapiens eſt, voces ſunt. Quòd ſi cantilenas cupis, habes pſalmos; ſi rerum origines nôſſe deſideras, habes Geneſin; ſi leges & præ-*

Conſtit. Apoſt: lib. 1. c. 6. & 7.

Digitized by Google

& precepta, habes glorioſam Dei legem. Ab omnibus igitur externis & diabolicis libris vehementer te abſtine. Non hauritur ex talibus ulla homine Chriſtiano digna ſapientia, ſed fallax & inanis ſcientia, vanitatis, non pietatis. S. Auguſtinus agens quodam loco de ſcriptis Philoſophorum, ſic Deum alloquitur: *Non habent illæ paginæ vultum pietatis, lacrymas confeſſionis, ſacrificium tuum, ſpiritum contribulatum & humiliatum.* Vis unde petenda ſit ſcientia pietatis? audi S. Hieronymum: *Scientia*, inquit, *pietatis eſt, nôſſe legere ſcripturas, Prophetas intelligere, Evangelia credere, Apoſtolos non ignorare.* Hi ſunt fontes veræ ſapientiæ ac pietatis. *Sacra pagina tanquam cœlitùs per ſpiritum Sanctum inſpirata, univerſarum ſcientiarum in ſe uberrimè complectitur veritatem* teſte S. Laurentio Juſtiniano, *atq; de Deo, & de his, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, notitiam præbet.* In hac & *in nulla alia ſcientia eſt ſalus*, teſte S. Bonaventura. *de contemptu mundi. cap. 4.*

VII. Petrus Bleſenſis, quendam ejuſdem ſecum nominis, â fabuloſorum atq; inutilium librorum lectione dehortatur, & ad ſacræ lectionis ſtudium invitat ſequentibus verbis: *Quid tibi ad vanitates & inſanias falſas? Quid tibi ad Deorum gentilium fabuloſos amores, qui debueras eſſe organum veritatis? O bone JESU! ô vera veritas! quomodo diminutæ ſunt veritates â filiis hominum. Domine principia verborum tuorum veritas, in circuitu tuo veritas, & omnia mandata tua veritas. Et quæ inſania eſt de Hercule & Jove canere fabuloſa, & â Deo, qui eſt via, veritas, & vita recedere? Narraverunt mihi fabulationes, ſed non ut lex tua. * Quæ utilitas tibi quæſo eſt verba proferre in ventum, talentúmq; ſcientiæ tibi commiſſum â Domino figmentis impendere fabuloſis? talentum ſuum repetet cum uſuris. Homo auſterus eſt, metit ubi non ſeminavit.. Theſaurum ſiquidem quem habes in vaſe fictili, hactenus quaſi ſub eventu aleæ poſuiſti. Vide ſi tangit te ſermo ille Domini per Prophetam: argentum tuum verſum eſt in ſcoriam. Et ibidem: dedi eis aurum & argentum meum, ipſi verò de argento meo operati ſunt Baal. * Sanè non ſolùm arbor, quæ malos fructus facit, ſed illa quoq;, quæ bonos fructus non facit, ſententiam exciſionis expectat. Tibi autem tanquam inutili arbori imminent ſecuris & ignis. Sed ſi te transplantaveris ſuper aquas refectionis, id eſt ſtudium ſacræ lectionis, florebis in atriis Domûs Domini, fructúmq; facies deſiderabilem, & manentem. * Exi quæſo de fœditate porcorum, ut paſcaris in deliciis Domûs Dei. Menſa* *Epiſt: 76.*

enim ſacra ſcriptura contra omnes ſpirituales nequitias tibi parata eſt. Ideo menſa tabernaculi ad Aquilonem poſita memoratur; propterea ſcriptum eſt: paráſti in conſpectu meo menſam adversùs omnes qui tribulant me. Hæc Petrus Bleſenſis. Non bene autem conveniunt menſa Chriſti & menſa dæmoniorum, Arca Teſtamenti & Dagon idolum. *Uno ſe ore cùm Jovis laudibus Chriſti laudes non capiunt*, inquit S. Gregorius.

Adferamus hic etiam verba S. Iſidori, quibus profanæ lectionis amatorem quendam reprehendit: *Quis te comicis ſalibus non perſtringat? quis tui non commiſereatur? qui cùm in Philoſophia diſcipulorum Domini tranquillitate ſedeas, gentilium hiſtoricorum & poëtarum tumultum atq; æſtum in te contrahas? Quid enim, dic quæſo, apud illos eſt, quod Religioni noſtræ ſit præferendum? Quid non mendacio ac riſu ſcatet ex ijs, quæ magno ſtudio conſectantur? an nō divinitates ex vitioſis affectionibus? an non certamina pro vitioſis affectionibus? an non fortia facinora pro vitioſis affectionibus? Quamobrem ipſam quoq; fœditatis & obſcœnitatis lectionem fuge; nam ea miram ad aperienda vulnera jam cicatrice obductâ vim habet; ne alioquin vehementiori cum impetu ſpiritus improbus revertatur, ac deteriorem & pernicioſiorem tibi priore ignorantiâ aut negligentiâ cladem inferat.*

lib: 1. Epiſt. 63.

Pariter Dionyſius Carthuſianus, alium non neminem, ſæcularibus ſcientiis & curioſitatibus addictum, ab earum ſtudio in quadam Epiſtola ſic dehortatur: *De quibus autem ſcripſiſti mihi, bonum eſt homini ſurſum nitenti hanc mulierem non tangere, ſcilicet ſapientiam ſæcularem. Inclinata eſt enim ad mortem via ejus. Sed quia molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, trahit poſt ſe multitudinem copioſam, à quibus deridetur juſti ſimplicitas. Nonne qui videbantur eſſe ſapientes in hoc ſæculo, ſtulti facti ſunt ut fierent ſapientes, ac novis ſupervenientibus vetera projecerunt, ità ut qui fuerant curioſa ſectati, comburerent libros coram omnibus, nec ultra docerent linguam ſuam loqui mendacium? Eja frater, utinam ſuſtineres modicum quid inſipientiæ meæ; ſed ſi cæpero tibi loqui, forſitan moleſtè accipies. Timeo enim, ne fortè ſinè cauſa laboraverint in te qui ſuadebant tibi, ut permaneres in gratia Dei, ut non de cætero tanquam filius Agar exquireres prudentiam quæ de terra eſt. Sufficiebat enim præteritum tempus ad voluntatem gentium fuiſſe conſumptum, nec ea quæ quæſtiones præſtant magìs, quàm ædificationem Dei, quæ eſt in fide, ulteriùs ſcrutari debueras. Quod ſi fecit Deus hominem re-*

Epiſt. exhort. ad Novit. c. 12.

rectum, ut quid immiſcet ſe quæſtionibus infinitis, quæ ſunt inutiles & vana, & generant lites, in quibus quantò plus quæſierit homo, tantò minus inveniet. Puto nemo militans Deo implicat ſe libenter hujuſmodi frivolis, præcipuè qui decrevit à facie manus Dei ſolus ſedere, cùm ſapientia hujus mundi ſtultitia ſit apud Deum. Qui autem voluerit facere ſibi nomen grande juxta nomen magnorum qui ſunt in terra; ut non deficiat laus ſua de ore hominum, velut Doctor parvulorum, & verba legis ponderans; nemo requirat: noſter es, an adverſariorum? opera enim quæ ipſe facit, hæc de illo teſtimonium perhibent. Cæterùm tu frater, qui elegiſti abjectus eſſe in Domo Dei, ut oblivioni datus tanquam mortuus à corde hominum, omnium fieres peripſema uſq; adhuc; Quid adhuc tanquam vivens de mundo decernis? rurſum quærens magnificare fimbrias tuas, & vocari ab hominibus Rabbi; diſtendi vis in hanc occupationem peſſimam, ut inveſtiges ſapienter de omnibus quæ fiunt ſub ſole; quia ut dicis ignorans ignorabitur, planè non mirum, ſi omnem eſcam abominata eſt anima tua, faſtidiens manna abſconditum, quippe qui adhuc in ſolitudine rodis herbas & arborum cortices, & radix juniperorum cibus tuus eſt. Quid dicam tibi? laudo te: in hoc non laudo. Cur audis leviathan ſerpentem vectem & tortuoſum? ſicut mulier quæ in prævaricationem ſeducta fuit, ut ſpreto ligno vitæ comederet de ligno ſcientiæ boni & mali. Miſerabilis prorſus infirmitas. Jam hujus rei causâ interfici juſſi ſumus, & ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, ità ut macula hujus ſceleris permaneat in nobis uſq; in præſentem diem, & iterum vadis illuc? Nunquid æqua tibi videtur cogitatio tua, ut etiam plagâ inimici percuſſus caſtigatione crudeli, dulciùs audias fabulatores & exquiſitores prudentiæ & intelligentiæ, quàm ſapientiam, quæ ex ore Altiſſimi prodijt, quæ vitam tribuit poſſeſſori? interroga quemlibet de viatoribus, qui peregrinus & advena ſit, ſicut & omnes Patres ejus, ſi non prohibeat, ne in pluribus quæſtionibus ſis curioſus. Sed quæ præcepit tibi Dominus illa cogites ſemper, ut ſit lucerna pedibus tuis verbum ſuum, ad dirigendos pedes tuos in viam pacis.

Saluberrimis etiam verbis quemq; noſtrûm admonet S. Petrus Damianus: *In animo tuo*, inquit, *& temporalis vita, & ſcientia ſæcularis, tanquam in mentis calce depreſſa ſubſidat. Amor autem æternæ vitæ, & ſpiritualis ſtudium ſapientiæ, velut in ſumma tui conſtitutus arce præcellat; quatenus dum fragilem hanc vitam cum ſua ſapientia deſpicis, repleri* *In Euchir, c. 1.*

Digitized by Google

pleri divino ſpiritu, qui ad æternam te provocet gloriam, felici viciſſitudine merearis. * *Abſurdum eſt, & ſatis inhoneſtum*, ait idem Sanctus, *ut eadem prudentia, eademq; ſubtilitas rebus adhibeatur humanis, quæ ſpiritualibus impenditur & divinis.*

In Epiſt.

VIII. Dicitur nobis in Cantico Iſaiæ: *haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* De Chriſti fontibus aquas prædicat hauriendas, non de aquis fluminum Ægypti, quæ turbidæ ſunt & percuſſæ, aut de aquis fluminis Raſin, ſed de fontibus JESU. Hauriebat ex his fontibus ſcientiæ ſuæ aquas Divus Bernardus, cujus illa ſunt verba: *ſi ſcribas, non ſapit mihi, niſi legero ibi JESUM. Si diſputes aut conferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi JESUS.* Legimus in vita B. Noſtri Hermanni, quòd ipſi, cum ad ſtudia in Friſiam eſſet miſſus, nihil in omni doctrina libuerit audire, *quod non ſalutare nomen Domini reſonaret. Quoties more puerorum fabulas Poëtarum vel diſcere jubebatur vel legere, non ſuſtinuit patienter, imò & ipſos ſe docentes, ſuper quos jam intus ſpirituali unctione docente profecerat, reprehendit, aſſerens, quòd Deo vero contumeliam irrogarent, falſorum Deorum nomina in poëtarum libris etiam recitando. Solebátq; de Magiſtris ſuis narrare, ſe non ſufficienter admirari, quòd viri Religioſi in ſuis ſcriptis poſſent poëticis delectari, cùm tanta ſint ſcripta veritate ſubnixa, per quæ ad Dei notitiam poſſit perveniri. Quis enim niſi ſtultus quærat lilium inter ſpinas, unde ſinè punctionibus non poſſit abſtrahi, quod faciliùs & utiliùs ſinè læſione poſſit acquiri? Nominare Jovem omnipotentem, Junoni nomen divinitatis attribuere, jurare per Herculem & per Caſtorem, quibuſcunq; falſitatibus delectari, ſpinæ ſunt, & lacerant animam, quibus puer Domini animæ ſuæ temerari noluit puritatem, qui jam in ſolo & vero Deo didicerat* delectari. Hæc vitæ author. *Omnis ratio ſcientiæ ſuperna, vel terrena creaturæ*, inquit S. Ambroſius, *in eo eſt, qui eſt caput eorum vel author; ut qui hunc novit, nihil ultra quærat; quia hic eſt perfecta virtus & ſapientia; quidquid alibi quæritur, hîc perfectè invenitur. In Daniel & Salomone oſtendit fidelibus ſe totius authorem ſapientiæ, quòd infelices non putant, quia non legunt in Evangeliis & Prophetis Aſtronomiam, Geometriam & alia hujuſmodi, quæ ideo deſpecta ſunt à noſtris, quia nihil valent ad ſalutem, ſed mittunt in errorem. Et dum his ſtudent, curam animæ non habent. Qui verò Chriſtum novit, theſaurum ſapientiæ & ſcientiæ invenit, quia id novit quod utile eſt.*

Iſaia 12.

hom. 17. in Cant.

vita cap. 9.

Super Coloſſ.

Libet

Libet etiam hîc audire Tertullianum, à ſæcularis Philoſophiæ ſtudio, tanquam peſtilentiſſimo hæreſum ſeminario nos ità dehortantem: *Hæ ſunt doctrinæ hominum & dæmoniorum prurientibus auribus natæ, de ingenio ſapientiæ ſæculi, quam Dominus ſtultitiam vocans, ſtulta mundi in confuſionem etiam ipſius Philoſophiæ elegit. Ea eſt enim materia ſapientiæ ſæcularis, temeraria interpres divinæ naturæ & diſpoſitionis. Ipſæ deniq; hæreſes à Philoſophia ſubornantur. Inde Æones & formæ neſcio quæ, & trinitas hominis apud Valentinum, Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate à ſtoicis venerat. Et ut anima interire dicatur, ab Epicureis obſervatur. Et ut carnis reſtitutio negetur, de una omnium Philoſophorum ſchola ſumitur. Et ubi materia cum Deo æquatur, Zenonis diſciplina eſt. Et ubi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus intervenit. Eadem materia apud hæreticos & Philoſophos volutantur. Ariſtoteles illis dialecticam instituit, artificem ſtruendi & deſtruendi verſipellem, in ſententiis coactam, in conjecturis duram, in argumentis operariam contentionum, moleſtam etiam ſibi ipſi, omnia retractantem, ne quid omnino tractaverit. Hinc illæ fabulæ & genealogiæ indeterminabiles, & quæſtiones infructuoſæ, & ſermones ſerpentes velut cancer, à quibus nos Apoſtolus refrænans, nominatim Philoſophiam teſtatur caveri oportere ſcribens ad Coloſſenſes: Videte ne quis vos circumveniat per Philoſophiam, & inanem ſeductionem, ſecundùm traditionem hominum, præter providentiam Spiritûs ſancti. Fuerat Athenis, & iſtam ſapientiam humanam de congreſſibus noverat, ipſam quoq; in ſuas hæreſes multipartitam varietate ſectarum invicem repugnantium. Quid ergo Athenis & Hieroſolymis? quid Academiæ & Eccleſiæ? quid hæreticis & Chriſtianis? noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt, qui & ipſe tradiderat Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quærendum. Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & dialecticum Chriſtianiſmum protulerunt. Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Jeſum, nec inquiſitione poſt Evangelium.* *adverſùs hæret. in præſcript. cap. 7.*

Relictis ergo profanis curioſitatibus, Chriſti diſciplinæ nos tradamus, & repudiatis gentilium vanitatibus atq; mendaciis, ſcripturæ divinæ ſtudio nos impendamus; inveniemus in liberaliſſima illius penu copioſiſſimè, quæ non tantùm in noſtram, ſed etiam aliorum utilitatem & conſolationem ſervire poterunt. Habemus in eadem armamentarium, unde tela omnis generis, digito Dei fabricata, adverſùs omnes fi-

dei & Religionis hoſtes in uſum noſtrum depromere poſſimus. *Omnis*
2. Tim. 3. enim *ſcriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendùm, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Hic eſt locus paſcuæ, in quo nos DEUS collocavit; hæ ſunt aquæ refectionis, quibus animas noſtras refocillare, hæ ſunt caſtæ deliciæ, quas cum D. Auguſtino ſectari debemus. *Sint*, inquit, *caſta delicia mea ſcriptura tua.* Quarum etiam idem Sanctus ait eſſe *mirabilem altitudinem, & mirabilem humilitatem.* Habemus quod in illis per omnem vitam die ac nocte meditari fructuosè poſſimus, ut non ſit opus profanos Ethnicorum libros legendo pervolvere. *Tanta eſt*, inquit magnus idem Aurelius, *Chriſtianarum profunditas ſcripturarum, ut in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia uſq; ad decrepitam ſenectutem, maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere. Tanta non ſolùm in verbis quibus iſta dicta ſunt, verùm etiam in rebus qua intelligenda ſunt, latet altitudo ſapientia, ut annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimis cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem ſcriptura quodam loco habet: cùm conſummaverit homo, tunc incipit.* Libet hîc ejuſdem clariſſimi Eccleſiæ Doctoris adhortationem intexere, quâ ſacræ ſcrpturæ ſtudium præ ſæculari quacunq; ſcientia fratribus ſuis commendat. *Eja*, inquit, *fratres chariſſimi, qui paſtores rationabilium ovium nuncupamini, feſtinate rapere, non ſophiſmata paganorum, non carmina poëtarum, non fabulas Philoſophorum, de quibus doctores & auditores ſunt reddituri rationem, ſed illam dulciſſimam ſapientiam ſapientiarum, qua hereditas Dei, & filiorum ejus chara poſſeſſio nuncupatur. Hac eſt illa doctrina ſuper omnia diligenda, quam Propheta pradixerunt, quàm Patriarcha divinitus hauſerunt, quam Dei filius poſtquam in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt, aperuit & declaravit, & quid tenendum & quid vitandum eſt apertiſſimè demonſtravit, & per ſuos Apoſtolos nos ipſam docendo illuminavit. Hac eſt qua docet nos amare caleſtia, & terrena deſpicere; hac eſt Mater fidelium, qua nos quotidie docet, quomodo credamus Deum omnipotentem, quomodo ipſum videbimus in ſede Majeſtatis venientem, quomodo bona bonis, quomodo mala malis retribuet. Hac eſt lucerna pedum noſtrorum, & via ſalutis noſtra, in qua inſtruimur, quomodo Deum pra omnibus diligamus. Hac eſt illa ſacra ſcriptura & ſapientia qua ex ore Altiſſimi prodijt, Philoſophis abſcondita, ſed groſſis & rudi-*

Epiſt: ad Voluſianũ.

S. Auguſt. ſerm. 38. ad fratr.

rudibus piſcatoribus revelata. Nunquid & parvis hominibus hodie revelatur? hæc eſt doctrinarum & ſapientiarum Magiſtra & Domina, quæ etiam nos docet exteriùs blandos, & interiùs fraudulentos cognoſcere. Hæc eſt illa ſcientia ſcientiarum, Angelorum ferculum, Archangelorum pulmentum, Apoſtolorum gloria, Patriarcharum fiducia, Prophetarum ſpes, Martyrum corona, Virginum pulchritudo, Monachorum refectio, Epiſcoporum vacatio, Sacerdotum cellarium, puerorum principium, viduarum doctrina, conjugatorum pulchritudo, mortuorum reſurrectio, & vivorum ſempiterna protectio. Hæc eſt per quam fide ordinamur, ſpe confirmamur, & charitate roboramur. Hæc eſt quam qui invenerit, inveniet vitā, & hauriet ſalutem à Domino. Et poſt pauca. *Itaq; fratres nolite jam pigreſcere, ſed legite ſcripturam, diſcite eam filioli, ſæpe legite eam, quia lenior oleo, auro ſublimior, purior argento. Hæc eſt, quæ præcipuè Deum provocat diligere, corda illuminat, purificat conſcientiam, animam ſanctificat, fidem confirmat, animas frigidas calefacit, lumen ſcientiæ oſtendit, tenebras ignorantiæ expellit, juſtitiam ſæculi extinguit, lætitiam ſpiritûs ſancti accendit, ſitienti potum tribuit. Hæc eſt ſcriptura ſancta, lex noſtra immaculata, quæ de inſipientibus ſapientes facit, primos de noviſſimis ponit, de minimis magnos efficit, nobiles de ignobilibus commutat, naturam frænat, prohibet levitatem, temperat dolorem, confert ſpem, coronat ſenem, docet juvenem, mitigat dedignantes, inſtituit errantes, ſanat ægrotos, roborat infirmos, brutos facit ſenſatos, menti ſtabilitatem donat, ſomnolentos excitat, otioſos increpat, pigros incitat, credentibus gratiam dat, Reges humiliat, humiles exaltat, rectas vias indicat, eleemoſynam imperat. Hæc eſt ſcientia ſcientiarum, quæ ſapientiam dat, gloriam exaltat, honorem multiplicat, humilitatem levat, ſuperbiam caſſat, charitatem, obedientiam, & manſuetudinem docet, & intellectus bonus eſt omnibus facientibus, & diligentibus eam. Hæc eſt quæ abſtinentiam, caſtitatem, largitatem, & voluntariam paupertatem ſervat, poſtremò doctrinam omnibus, felicitatem, ſuavitatem, gaudia, ſtabilitatem cordis, & ſobrietatem, & compunctionem veram, & humilitatem, & charitatem fraternam implet, Domini timorem accendit. Quamobrem fratres mei, qui hanc ſapientiam diligit, & diligenter legem implet, maximus vocabitur in Regno Cælorum, & principatum Eccleſiæ poſſidebit, & præmia & munera pretioſa recipiet in die noviſſimo.*

Sed ô mentium humanarum inſaniam! pauci hæc ſaluberrima Sanctorum Patrum monita & conſilia ſeqvuntur, plures vana & inania magno ſtudio conſectantur, potiora verò & utiliora negligunt, & porcorum inſtar ventrem ſuum implent ſiliquis, panem vero cæleſtis doctrinæ contemnunt, ac divinorum eloquiorum margaritas conculcant, quin etiam eos qui meliora ſanioráq; ſtudia ſectantur, roſtro ſuo invadere, & grunnitu perſequi non verentur. Utinam ſimiles in hac vita cum D. Hieronymo ab Angelo flagellentur & convertantur, ne â dæmone in gehennalis abyſſi profundum aliquando abripiantur, ubi Ciceronibus, Virgiliis & Ovidijs, aliiſq; profanis ſcriptoribus, quorum nugis in vita delectabantur, æternis ſociati vinculis pænas luant procaciſſimæ curioſitatis.

IX. Dantur etiam non pauci hodierno tempore, qui in ſuis ad populum concionibus plùs gentilium librorum hiſtorias & ſententias, quàm ſacræ ſcripturæ verba uſurpant, quod omnino eſt indignum. Tales egregiè perſtringit Alvarez, præclarus vitæ ſpiritualis Magiſter ſequentibus verbis:

Alvarez vitæ ſpirit. lib. 5. part. III. c. 39.

Non paucos noſtrâ ætate video libris gentilium nimis addictos, qui ſepoſitis ſacrorum bibliorum voluminibus, & ſanctorum Patrum commentationibus, neſcio quas antiquorum fabellas evolvunt, & ſententias Philoſophorum memoriæ commendant, hiſtorias profanas legunt & prælegunt, more puerorum qui in ſchola eloquentiæ ludunt, hæc omnia in pulpitis ad populum ſacræ doctrinæ avidum prædicare non erubeſcunt. Alios videas palati infirmioris, qui vulgares libellos mille dicteriis & vanitatibus plenos manibus terunt, curioſis oculis circumſpiciunt, ut ex illis non more Apoſtolorum, ſed ad imitationem hiſtrionum & paraſitorum, aliquid facetum & putrido ſale conditum, quod populo proponant, ipſi decerpant. Etiam in bibliothecis multorum qui ſe Theologos vocant, Auguſtinus, Hieronymus, Gregorius, Ambroſius, & reliqui Patres ad ornatum duntaxat quæruntur. Poëtæ verò & gentiles Philoſophi, profanæ græcorum & Latinorum hiſtoriæ, & libri curioſitatum & vanitatum referti, ad occupationem comparantur. Illi in ſuggeſtu, & in communi converſatione tacent, iſti loqvuntur: illi ab hominum memoria deleti quieſcunt, iſti imprudenter ſe ſacris concionibus ingerunt: illi quos Deus ad docendum elegit rejecti, iſti quos Eccleſia vix pro adoleſcentium primis tyrocinijs permittit, ad docendum admiſſi ſunt. Quaſi verò apud fideles plus valeat Ovidius, quàm Paulus, & efficaciùs moveat Tullius,

quàm

quàm Evangelium, & majorem authoritatem habeat Homerus aut Seneca, quàm Spiritus Sanctus, qui ſacras ſcripturas dictavit, & communiter in Eccleſiæ Doctoribus locutus eſt. Et quidem hos profanos authores aliquando citare, & quæ in adoleſcentia didicimus ſemel aut iterum ad memoriam reducere eſſet tolerabile, imò ab omni reprehenſione excuſabile, quod Patres antiqui fecerunt; ſed hæc viros & ſenes atq; grandævos poſt ſtudia ſacrarum literarum legere, hæc cogitare, hæc prædicanda diſponere, hæc in fidelium cœtibus diebus ſingulis effutire, neſcio quam poſſit excuſationem admittere. Nam ſi eſſet lugenda irreverentia in altari Dei, in quo ei ſacrificium offerimus, primo loco Chriſti imaginem, & ſtatim figuram Cæſaris: poſt iſtam, imaginem Beatæ Virginis, & conſequenter Veneris ſimulachrum, & eodem ordine imagines Petri & Pompeij, Pauli & Heliogabali, unius Sancti & unius hiſtrionis ponere, & ſacra profanis contexere, quare non erit gravis culpa in Eccleſia, ubi Chriſtum audituri convenimus, nunc Chriſtum nunc Ovidium citare, nunc Paulum & poſt illum Naſonem adducere, & eadem ſerie narrationis Prophetas & Poëtas, Evangeliſtas & Philoſophos, Sanctos & hiſtriones & paraſitorum dicta proferre? At hoc, inquitis, facimus, ut Scripturas interpretemur. Sed Scripturæ ſanctiſſimæ his ad ſui interpretationem non indigent, ſinè quibus Sancti Eccleſiæ Doctores eas explanârunt. Et ſicut aurum ſtanno, & plumbo, & aliis infimis metallis, non purgatur ſed inficitur, ità ſcriptura ſacra his poëtarum, & hiſtoricorum profanorum dictis non explicatur, ſed involvitur & fuſcatur. At facimus, ut populum ad audiendam ſacram doctrinam invitemus, & his tanquam condimentis mulceamus. Quaſi verò Eccleſia in ipſa S. Scriptura & PP ſuaviſſima condimenta non habeat, & his viliſſimis ſalſamentis indigeat.

Verumtamen obijciet hic mihi aliquis illud Bellovacenſis: *Legitur quòd Moyſes & Daniel omni ſcientiâ Ægyptiorum & Chaldæorum eruditi fuerint. Legitur etiam, quod præcepit Dominus filiis Iſrael, ut expoliarent Ægyptios auro & argento, moraliter inſtruens, ut ſive aurum ſapientiæ, ſive argentum eloquentiæ apud poëtas invenerimus, in uſum ſalutiferæ eruditionis vertamus.* * *Non aſpicimus*, inquit S. Auguſtinus, *quanto auro & argento & veſte ſuffarcinatus exiërit de Ægypto Cyprianus, & Doctor ſuaviſſimus, & Martyr beatiſſimus; quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, quanto innumerabiles Græci.* X. *ſpec. doct. lib. 1. c. 35.* *lib. de doct. Chriſtiana.*

Audiamus etiam hîc Venerabilis Bedæ ſententiam in Gratiani De-
diſt. 37. c. 8. creto relatam. *Turbat*, inquit, *acumen legentium, & deficere cogit, qui eos à legendis ſæcularibus literis omnino æſtimat prohibendos; in quibus ſi qua inventa ſunt utilia, quaſi ſua ſumere licet; alioquin nec Moyſes & Daniel ſapientiâ vel literis Ægyptiorum paterentur erudiri, quorum tamen ſuperſtitiones ſimul & delicias horrebant; nec ipſe Magiſter gentium aliquot verſus poëtarum ſuis vel ſcriptis indidiſſet vel dictis.*

Epiſt. 84. D. Hieronymus cuidam ad ſubornationem Ruffini quærenti, cur in opuſculis ſuis ſæcularium literarum exempla poneret, & candorem Eccleſiæ Ethnicorum ſordibus pollueret, reddit ea de re alicubi rationem, & oſtendit quorum exemplo id faciat. *Quis enim*, inquit, *neſciat & in Moyſe, & in Prophetarum voluminibus, quædam aſſumpta de gentilium libris? & Salomonem Philoſophis Tyri nonnulla propoſuiſſe, & aliqua reſpondiſſe; unde in exordio proverbiorum commonet, ut intelligamus ſermones prudentiæ, verſutiáſq; verborum, parabolas, & obſcurum ſermonem, dicta ſapientûm & ænigmata, quæ propriè dialecticorum & Philoſophorum ſunt. Sed & Paulus Apoſtolus Epimenidis Poëtæ uſus verſiculo eſt, ſcribens ad Titum, cujus hic eſt ſenſus: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri. In alia quoq; epiſtola Menandri ponit Senarium: corrumpunt bonos mores colloquia mala. Et apud Athenienſes in Martis Curia diſputans, Aratum teſtem vocat: ipſius enim & genus ſumus; didicerat enim à vero David extorquere de manibus hoſtium gladium, & Goliæ ſuperbiſſimi caput proprio mucrone truncare. Legerant in Deuteronomio Domini voce præceptum, mulieris captivæ radendum caput, ſupercilia, omnes pilos, & ungues corporis amputandos, & ſic eam habendam in conjugio. Quid ergo mirum, ſi & ego ſapientiam ſæcularem propter eloquij venuſtatem & membrorum pulchritudinem de ancilla atq; captiva Iſraelitidem facere cupio, & ſi quidquid in ea mortuum eſt, idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido, vel rado, & mixtos puriſſimo corpori vernaculos ex ea genero Domino Sabaoth.*

Idem D. Hieronymus ad Pammachium ſcribens, inquit. *Chriſtum ſcimus ſapientiam, hic theſaurus in agro ſcripturarum naſcitur, hæc gemma multis emitur margaritis. Sin autem adamaveris captivam mulierem, id eſt ſapientiam ſæcularem, & ejus pulchritudine captus fueris,*

Digitized by Google

ris, decalva eam, & illecebras crinium atq; ornamenta verborum cum emortuis unguibus ſeca; lava eam prophetali nitro, & tunc requieſcens cum illa, dicito: ſiniſtra ejus ſub capite meo, & dextra illius amplexabitur me, & multos tibi fœtus captiva dabit, ac de Moabitide efficietur Iſraëlitis.

Huc tandem ſpectat illud Gregorij: *Dum ſæcularibus literis inſtruimur, in ſpiritualibus adjuvamur.* D. quoq; Auguſtinus ſe ex Hortenſij lectione ad virtutem extimulatum fuiſſe teſtatur his verbis: *Ille liber mutavit affectum meum, & ad te ipſum Domine mutavit preces meas, & vota ac deſideria mea fecit alia.*

lib. 3. Confeſſ. cap. 4.

Ex his omnibus bene videtur deduci, non eſſe omnino reijcendam à viris etiam Eccleſiaſticis & Religioſis ſæcularem literaturam, Moabiticam illam Iſraëlitidem, quam tot ſancti magno cum Eccleſiæ totius emolumento ſervitijs ſuis adhibuerunt. Hinc & ipſe S. Hieronymus, ſeverus alioquin morum & vanitatum cenſor, toties in ſuis operibus profanæ antiquitatis hiſtorias & apophthegmata, toties poëtarum verſus & carmina, præſertim Virgiliana, velut parerga quædã & ornamenta rebus etiam gravibus & ſerijs adhibet.

XI. His ut reſpondeam, declaro me nullatenus velle indifferenter condemnare quoſcunq; librorum à gentilibus conſcriptorum, ſive aliorum quorumcunq; ſæcularium voluminum lectores, ſi modò ſint prudentes, & in Chriſtianis virtutibus abunde ſolidati, bono inſuper fine ad eorum lectionem inducantur. Qualibus etiam licentia concedi ſolet, ut libros hæreticos, & quoſcunq; alios ab Eccleſia prohibitos legere poſſint ad confutandum. *Legimus aliqua*, inquit S. Ambroſius, *ne negligantur; legimus ne ignoremus, legimus ut non teneamus, ſed ut repudiemus.*

In explan. proœm. ſuper Luc.

Magnâ tamen cautelâ omnes libri ſæcularis literaturæ legi debent, maximè ſi à gentilibus fuerint conſcripti. Separandum eſt in ipſis *pretioſum à vili*, hoc eſt vera à falſis, virtutes à vitijs. *Illorum tractatibus, illorum delectemur ingenijs & literis*, ait S. Hieronymus, *quorum pietas ingenij non vacillat. Cæteros ſic lege, ut magis judices quàm ſequaris.* Et paulò poſt ſubdit: *grandis prudentiæ eſt aurum in luto quærere.* Prout faciebat Virgilius legendo Ennium. Interrogatus namq; quid faceret, reſpondit: *de ſtercore aurum colligo.* * *In eodem prato bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertam.* * *Ea magis il-*

Jerem. 15. In reg. Mon. Seneca. Epiſt. 50.

lorum

Hom. 22. *lorum recipiamus*, inquit S. Baſilius, *in quibus virtutem laudaverunt, vel vitium vituperaverunt. Veluti enim florum, reliquis quidem uſq; ad odorem, vel colorem eſt uſus, apes autem mel ex ipſis excerpere noverunt; ſic & qui diligentes in legendo exiſtunt, non ſolùm quod dulce, jucundúmq; fuerit, in eorum libris proſeqvuntur, ſed quandam ex eis utilitatem animo referre contendunt. Veluti item apes non omnibus floribus ſimiliter inſident, neq; ex eis, ad quos accedunt, omnia auferre conantur, ſed quantum ipſis ad opus neceſſarium fuerit, comprehendentes, reliqvum dimittunt. Nos etiam ut ſobrij ſapientéſq;, quantum congruum nobis propinqvúmq; veritati ex ipſis fuerit, perſequamur, reliquum prætereamus. Et ſicut in legendis roſis ſentes vitamus, ſic in talibus ſermonibus quidquid eſt utile carpentes, noxium vitemus.*

Rariùs etiam ſimilium lectioni nos debemus impendere. S. Franciſcus de Sales ajebat, nos hiſtoriis, aliíſq; materijs profanis ad legendum vel ſcribendum uti debere, non ſecus ac fungis; raró ſcilicet, nec niſi debitè digeſtis, & cum ſalis grano præparatis. Interim dum ſolidiora nobis non deſunt ſacrarum ſcripturarum fercula, cur fungis utamur? quibus etiam debitè conditis, non ſinè periculo quis veſcitur. Philip. 1. Omnibus, inclamat Apoſtolus: *opto ut charitas veſtra magìs ac magìs abundet in omni ſcientia.* Ne tamen ſæcularem ſcientiam intelligas, addit, *ut probetis potiora* & ſaniora, ſpiritualia videlicet ſæcularibus præferentes. Difficile eſt, ſæculari literaturæ ſe citra ſpirituale aliquod diſpendium applicare ſeu impendere. Difficile eſt captivam illam mulierem, cum crinium ſuorum cultûſq; vani illecebris non amare, non priùs ejus fæditate commaculari, quàm prophetali nitro lavetur; neq; plurium fætuum feliciùs & ſecuriùs ab Iſraelitide ſperandorum lucre detrimenta, quam ab hac captiva Moabitide lucra conſequi. Si D. Hieronymus, ſi alij SS. Patres ſcripta ſua ſæcularis literaturæ floribus nonnunquam aſpergunt, non æſtimandum eſt, eos poſtquam meliora ſapere didicerunt, his animum ad majora & potiora natum impendiſſe; ſed illa, quæ vano forſitan ſtudio aliquando hauſerunt, ne ſcirent otiosè, ſcriptis ſuis ad qualemcunq; ornatum, & animos curioſorum, qui ejuſmodi rebus delectantur, ad ſacræ lectionis ſtudium alliciendos inſeruiſſe.

Breviſſimè dico pro coronide, quod in præſenti materia ſentio: Matth. 7. non colligunt *de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus.* Si quis tamen etiam

de

Digitized by Google

de ſpinis uvas ſe arbitratur poſſe colligere, audiat monitum D. Auguſtini: *botrum carpe, ſpinam cave.*

Audiamus adhuc Anagramma, literaturæ ſæcularis allocutorium, ex nomine ſcientia deſumptum:

INI CASTE

Multâ ſorde ſcatens, & turpi fœda veneno,
Innumeros homines inficis atq; necas.
Ne noceas homini, obſcœnas priùs ablue ſordes,
Et caſtè *pectus te ſitientis* ini.

CAPUT XXXII.

De vera & falſa Sapientia.

Reprobata eſt capite præcedenti ſæcularis ſcientia. Nec verò hæc ſolùm, ſed etiam aliæ ſcientiæ ſeveriores, & ipſa ſcientiarum princeps Theologia, tractans potiſſimùm de Deo, rebúſq; divinis noxia & mortifera eſt multis. Nunquid igitur omnis ſcientia & ſapientia nobis abijcienda eſt, & contemnenda? abſit. Apud Iſaiam enim dicitur: *propterea captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam.* Et infra: *propterea dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſq; ullo termino.* Item alibi apud eundem prophetam: *non eſt populus ſapiens, propterea non miſerebitur ejus qui fecit eum, & qui formavit eum, non parcet ei.* Salomon ſapientiſſimus ait: *ubi non eſt ſcientia, anima non eſt bonum.* Et: *cor rectum inquirit ſcientiam.* Novimus ſtoicos docuiſſe, ſervis etiam & mulieribus eſſe philoſophandum. Plato quoq; Civitatem ex Philoſophis compoſitam eſſe voluit, ipſóſq; etiam opifices philoſophari. Quæ itaq; eſt illa omnibus indiſcriminatim neceſſaria Philoſophia? ſimus cum Daniele viri deſideriorum ad eam indagandam, ſapientiam tam utilem, tam neceſſariam, libris quoq; Salomonicis adeo copioſè & glorioſè decantatã, ut eam aliquando inveniamus, eíq; vitæ totius tempore nos ſedulò impendamus, ne ſimus ut plurimi, ſemper diſcentes, & nunquam ad veram ſcientiam pervenientes; aut ne illud pſalmiſtæ de nobis aliquando enuntiari poſſit, ſi totius vitæ ſtudiis à veræ ſapientiæ ſcopo aberraverimus: *defecerunt in vanitate dies eorum*; & illud Prophetæ Baruch: *viam diſciplinæ non* inve-

Marginalia: I. — *Iſaia.* 5. — *Iſaia.* 27. — *proverb.* 27. & 29. — *Baruch.* 3.

invenerunt, propterea periērunt; & quoniam non habuerunt ſapientiam, interiērunt propter ſuam inſipientiam. * *Sapiendum nobis eſt*, ut ſcribit Lactantius, *& quidem maturè; non enim nobis altera vita conceditur, ut cùm quæramus in hac ſapientiam, in illa ſapere poſſimus. In hac utrumq; fieri neceſſe eſt. Citò inveniri debet, ut citò ſuſcipi poſſit, ne quid pereat ex vita, cujus finis incertus eſt.* Parum prodeſt habere intellectum acutiſſimum, & ingenium Magni Ariſtotelis, in quo, teſte Averroe natura oſtendit extremum ſuæ potentiæ, niſi veram & humano ingenio dignam ſapientiam addiſcamus, quæ non inſtar ſinu incluſi ſerpentis nos cum ingenio noſtro perdat, ſed potiùs ad vitam æternam perducat.

de falſa ſap. c. 16.

II.

Sapientia ergo ubi invenitur? & quis eſt locus intelligentiæ? * *Quis invenit locum ejus? & quis intravit in theſauros ejus?* Audi ſapientûm reſponſa: *neſcit homo pretium ejus, nec invenitur in terra ſuaviter viventium.* * *In malevolam animam non introibit nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* * *Longè abeſt à ſuperbia & dolo.* * *Impius ignorat ſcientiam.* * *Quare ſapientiam apud malos & non invenies.* * *Planè fieri non poteſt*, ait Clemens Alexandrinus, *ut quis ſimul ſit & ſcientiâ præditus, & blandiri corpori non erubeſcat.* * *Quem docebit* Deus *ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum, ablactatos à lacte, avulſos ab uberibus*, hoc eſt, ab omnibus Mundi voluptatibus alienos. * *Sapientiam non habet quiſpiam*, ut Origenes teſtatur, *niſi carnem ſuam crucifixerit cum vitiis, & concupiſcentiis.* * *Qui continens eſt juſtitiæ, apprehendet illam*, inquit Eccleſiaſticus; qui etiam ſequens unicuiq; dat monitum: *fili concupiſcens ſapientiam, conſerva juſtitiam, & DEUS præbebit illam tibi.* * *Piè* enim *agentibus dedit ſapientiam.* * *Prius eſt in recta hominis eruditione labor operandi quæ juſta ſunt, quàm voluptas intelligendi quæ vera ſunt*, inquit S. Auguſtinus. *Errat quiſquis putat veritatem ſe poſſe cognoſcere, cùm adhuc nequiter vivat.* Alibi quoq; Deum idem Sanctus Eccleſiæ Doctor ſic alloquitur: *DEUS qui niſi mundos verum ſcire noluiſti.* Poſſunt quidem immundi & ſcelerati cognitionem plurium veritatum habere; illa tamen ſcientia, ſive ſapientia ipſorum non eſt vera, ſed falſa & adulterina, de qua dicitur in Eccleſiaſtico: *eſt ſapientia quæ abundat in malo.* Non ergo multa ſcire, ſed *recedere à malo eſt intelligentia.*

Job. 28. Baruch. 3. Job. 28. Sap. 1. Eccli. 15. Prov. 29. Prov. 14. Iſaia. 28. Eccli. 15. Eccli. 1. Eccli. 43. S. Auguſt. 22. contra Fauſtum. Idē lib. de agon. Chriſti cap. 13. Eccli. 21. Job. 28.

Hinc bene S. Marcella, teſte D. Hieronymo, ſequebatur illud Davidi-

vidicum: *à mandatis tuis intellexi; ut poſtquam mandata compleſſet,* *Epiſt. ad*
tunc ſe ſciret mereri intelligentiam ſcripturarum. Quarum notitiam & *principiā.*
intellectum illi tantùm conſeqvuntur, *qui* priùs ex animo ſuo *omne fer-* *S. Laur.*
mentum malitiæ ac nequitiæ evacuant. * *Bonitatem & diſciplinam* *Juſtin.*
omnium primò petit à Deo idem Regius pſaltes, deinde ſubjungit: & *ſcientiam doce me.* Hic ordo laudabilis eſt & neceſſarius, ut doctrinam præcedat bona vita. *In his qui flagrant ingenti amore perſpicuæ veritatis*, ait S. Auguſtinus, *non eſt improbandum ſtudium, ſed ad ordinem revocandum, ut à fide incipiat, ut bonis moribus nitatur pervenire quò tendit. In eo quippe quo verſatur virtus eſt laborioſa; in eo verò quod appetit, luminoſa ſapientia. Pulchrum eſt quidem quod deſideras, & amari digniſſimum. Sed priùs nubit Lia, & poſtea Rachel. Ardor eſt iſte, ad id valet ut ordo non recuſetur, ſed potiùs toleretur, ſinè quo non poteſt perveniri ad id quod tanto ardore diligitur. Cùm autem perventum fuerit, ſimul habebitur in ſæculo non ſolùm ſpecioſa intelligentia, ſed & laborioſa juſtitia.*

Nihil eſt omnis noſtra ſcientia ſinè charitatis & pietatis fundamento. *Si habuero Prophetiam*, inquit Apoſtolus, *& noverim myſteria* *1. Cor. 13.*
omnia, & omnem ſcientiam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Si habens omnem ſcientiam ſinè charitate nihil eſt, quid erit ipſa ſcientia in tali homine? Nihil omnino, ſicut accidens ſinè ſubjecto naturaliter nihil eſt. Ut ergo quis veram ſapientiam aſſequatur, ſubſternat illi charitatis fundamentum. S. Bernardus accommodatè ad noſtrum
propoſitum dicit, ſcientiam eſſe *tanquam picturam, quæ ſtatum habe-* *Serm. 37.*
re nequeat ſuper inane. S. Hieronymus verba illa Jeremiæ *cùm pinxe-* *in Cant.*
ris ſtibio oculos tuos, fruſtra componeris, ita explicat: *cùm habueris ſtu-* *Jerem. 4.*
dium myſteriorum & Dei ſecreta noſcendi, fruſtra componeris. Inanis erit tuus labor & compoſitio, cùm volueris rationalem intellectûs tui oculum ſcientiâ depingere & colorare, *niſi charitatis baſin ſubſternas*, ſinè qua ipſe rationis oculus nihil eſt. Quemadmodum ergo pictura niſi aliquod ſolidum illi ſubjiciatur, minimè poteſt conſiſtere, ità ſcientia niſi ſolido virtutis fundamento nitatur, inaneſcit, & in nihilum relabitur.

Si ergo volumus intellectum noſtrum verâ ſapientiâ imbuere, ante *III.*
omnia perverſam voluntatem corrigere, & omnia vitia præſcindere debemus. Refert Caſſianus Sanctum quendam virum nomine Theodo-

Digitized by Google

rum à Deo mirificè illuſtratum dicere ſolitum: *plus in vitijs extirpandis, quàm in libris evolvendis opera ponendum* eſſe. Socrates Delphici Apollinis oraculo omnium ſui ævi hominum ſapientiſſimus, interrogatus quænam eſſet optima diſciplina? *dediſcere mala* reſpondit. *Qui*

Epiſt. 53. *ſapiens fieri cupit*, inquit Seneca, *delicta tollat, quibus ſtudium offenditur.* Ut autem à vitiorum contagio anima præſervetur, à rebus & negotiis terrenis debet eſſe abſtracta, & ſtudio contemplationis vacare.

Iſidorus in ſent. lib. 2. c. 1. *Nullus enim Sapientiam Dei plenè recipit, niſi qui ſe ab omni abſtrahere actionum cura contendit. Unde & ſcriptum eſt: Sapientia ſcribæ in tempore otij, & qui minoratur actu, ipſe percipiet eam.* Hinc etiam illud Senecæ: *nemo unquam ad bonam mentem pervenit occupatus.* Debet etiam renuntiare cunctis mundi deliciis ac vanitatibus, quarum concupiſcentia mentis oculum vehementer obnubilat & obſcurat. Agnovit hoc ipſe gentilis Plato, qui ſapientiæ amatorem à rebus ſenſibilibus & corporeis vult eſſe abſtractum: *dum vivimus*, inquit, *proximè ad ſcientiam accedemus, ſi quàm minimum cum corpore commercium habuerimus, nec quidquam cum illo communicaverimus, niſi quantum ſumma coget neceſſitas, neq; hujus naturâ replebimur, ſed ab ejus contagione cavebimus, quoad Deus ipſe nos ſolvat. Atq; ità puri, & à corporis inſania liberati, ut conſentaneum eſt, cognoſcemus per nos ipſos ſyncerum quodlibet, id eſt forſitan ipſum verum. Nam impuro quidem purum attingere nefas eſt.* Idem alibi res corporeas vocat *atheas*; *quarum nimiâ inſpectione, ſi divinum lumen in ſupremo mentis noſtræ apice ſuperſplendens contemplari, in eóq; regulas legéſq; bene vivendi contueri neglexerimus, facilè in omne genus impietatis ſimus prolapſuri.*

Quamobrem relictis terrenis, mentis noſtræ oculum divinis intentum habere debemus. Difficulter namq; terrena ſimul & cæleſtia contueri poſſumus. Chriſtus in revelationibus S. Brigittæ ità loquitur: *omnis qui ſapiens eſt ad mundum, cæcus eſt ad me Deum ſuum.* S. Baſilius ſcientiam vanam & terrenam ſectantes noctuæ comparat. *Sicut*, inquit, *ejus aſpectus noctu quidem valet, ſole autem illuceſcente obfuſcatur; ità iſtorum hominum mens acutiſſima quidem ad inanium rerum cognitionem eſſe videtur, hebetiſſima verò caliginéq; oppleta ad veram lucem hallucinatur, neq; liquidò quidquam intueri poteſt.* Nos ſi veram ſapientiam aſſequi deſideramus, ante ſupérq; omnia in DEUM mentis noſtræ aciem figere debemus. *Nihil nobis prodeſt omnium rerum eruditio*,

ditio, inquit S. Hieronymus, *niſi Dei ſcientiâ coronemur.* Quæ verò Epi. 128.
eſt illa tam neceſſaria, & ſalubris Dei notitia & ſcientia? Etiam filij Heli Deum eſſe ſciebant & credebant; quid eſt tamen quod in Regum hiſtoria dicitur, *neſcientes Dominum pueri Heli.* * *Pravitatem exercebant operis*, inquit S. Gregorius, *ſed non errabant in fide Conditoris. Scire ergo Deum eſt benefacere.* Omnis igitur è contra qui malefacit Deum neſcit. Dicitur in pſalmis Deus reſpexiſſe ſuper filios hominum, viſurus *ſi eſt intelligens aut requirens Deum.* Nullum vero invenit qui ſaperet, & Deum intelligeret. Quare hoc? *Omnes*, inquit, *declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſq; ad unum.* Deum itaq; neſcit omnis qui malè vivit. *Nemo putet ſe diligere ſapientiam, aut ei inſervire*, inquit Palacius, *ſi ſanctitati non obſequatur. Ut enim juxta Paulum recedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini; ità recedat ab iniquitate qui ſervit ſapientiæ. Cur ità? quia ſapientia ſanctitas eſt. Igitur ut qui ſe totum tradidit ſapientiæ, credere debet ſe tradidiſſe ſanctitati; ità qui partem ſuam dedit iniquitati, credat ſe totum ſapientiæ abſtuliſſe.*

IV.
Ait apud Caſſianum præclarus in omnibus, ſummæq; ſcientiæ vir Neſteros: *vera ſcientia nonniſi à veris Dei cultoribus poſſidetur, quam is utiq; non habet populus cui dicitur: audi popule ſtulte qui non habes cor, qui habetis oculos & non videtis, & aures & non auditis.* Ubi etiam advertit, cur pſaltes Regius priuſquam pronuntiavit beatos *qui ſcrutantur teſtimonia Dei*, præmiſerit beatos immaculatos in via. Non enim ut ibidem ait Neſteros priùs dixit, *Beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus*, & poſt intulit, *beati immaculati in via*, per hoc evidenter oſtendens, neminem rectè poſſe ad perſcrutanda Dei teſtimonia pervenire, niſi priùs per actualem converſationem in via Chriſti immaculatus incedat. *De iſtis ergo*, inquit ulteriùs, *qui imaginem quandam ſcientiæ videntur acquirere, vel de his, qui cùm ſacrorum voluminum lectioni ac memoriæ ſcripturarum diligenter inſiſtunt, carnalia tamen vitia non relinquunt, in proverbiis eleganter dicitur: ſicut inauris aurea in naribus ſuis, ità mulieri malè morata ſpecies. Vel ut vulgata habet, circulus aureus in naribus ſuis mulier pulchra & fatua. Quid enim prodeſt quempiam ornamentum eloquiorum Cæleſtium, & illam pretioſiſſimam ſcripturarum ſpeciem conſequi, ſi eam lutulentis operibus vel ſenſibus inhærendo, quaſi immundiſſimam terram ſubigendo confringat, aut cœnoſis*

Collat. 14. c. 16.

Prov. 11.

ſis libidinum ſuarum polluat volutabris? fiet enim ut id quod rectè utentibus decori eſſe conſvevit, non ſolùm iſtos ornare non poſſit, verùm etiam majoris cœni colluvione ſordeſcat. D. Hieronymus quoq; in textum proverb. XI. proximè citatum ſic loquitur: *Qui ornamentum divinorum eloquiorum meditando conſequitur, ſed malè vivendo inſequitur, circulum aureum habet in naribus, ſed more ſuis terram ſubigere non deſiſtit; quia quod odore juſtitiæ percepit, immundâ actione ſordidavit. Ideóq; talis anima pulchra & fatua eſſe cenſetur, quia carnalibus dedita illecebris, pulchra eſt per ſcientiam, ſed per actionem fatua.* Si tamen per ſcientiam illam pulchra eſſe poteſt, quam vitij deformitas univerſam ſordidavit. Ut enim bonitas & pulchritudo ex integra cauſa, ità ſcientiæ deformitas ex quocunq; malo virtutis defectu naſcitur, ideóq; tunc neq; nomen ſcientiæ promeretur.

Audi præterea quod apud Caſſianum alio quodam loco dicitur: Collat. 14. c. 19. *Impoſſibile eſt eum, qui propoſito acquirendæ laudis humanæ ſtudio lectionis inſiſtit, donum veræ ſcientiæ promereri; nam qui hâc paſſione devinctus eſt, neceſſe eſt, ut aliis quoq;, & maximè ſuperbiæ vitiis obligetur, & ità in actuali atq; Ethica congreſſione proſtratus, ſcientiam ſpiritualem, quæ ex ea naſcitur, minimè conſequetur.*

Vides â vitiis ſuperbiæ, quibus tamen docti paſſim tument, ſcientiam veram exulare; & univerſim omnes quibus vitiorum quorumcunq; ignis ſupercecidit, non vident ſolem in ſcientia ſua falſa caligantes noctuæ; *ſpiritus* enim *diſciplinæ effugiet fictum, nec habitabit in corpore* Sap. 1. *ſubdito peccatis.* Vanè igitur laboras, quicunq; in ſtabulum vitiorum ſcientiam importare niteris, & criminum tenebris oppreſſus, oculum de imit. Christi. l. 1. c. 14. mentis ad ſapientiæ res inveſtigandas aperire cogitas. Bene Thomas Kempenſis: *ſi tu eſſes intus bonus & purus, tunc omnia ſinè impedimento videres, & bene caperes. Cor purum penetrat cælum & infernum.*

V. Conſtat ergo in malis ſcientiam ac ſapientiam veram eſſe non poſopuſc. 45. ad Aripr. ſe. Hinc *ſæpe contingit*, teſte S. Petro Damiano, *ut nonnulli carnaliter ſapientes, & diutius vivant, & nunquam valeant invenire quod optant. In ſapientia quippe ſua vanitate confiſi, dum ſperant facilè cuncta ſuppetere, arbitrantur utiq; ſe Religionis teſtimonio non egere; & dum inanem ſapientiā jactant, inſipienter vivere non formidant. Quamobrem à ſe conſpicientibus eorum actus exploditur, vita conſpuitur, converſatio deridetur, fama polluitur, teſtimonium condemnatur. Hodieq;*

Digitized by Google

dieq́ certè, inquit idem S. Pater, *in Romana urbe frater advivit, ortus de ſummis proceribus Galliarum, cujus nomen taceo, quia fratris ignominiam perhorreſco. Cui neſcio an aliquid utilitatis deſit. Tot ſiquidem exteriorum bonorum floribus eniteſcit, nobilis ut Imperator, pulcher aſpectu quodammodo ſicut Tullius loquitur, ut Virgilius poëtatur, tuba vehemens in Eccleſia, perſpicax & acutus eſt in lege divina, ſcholaſticè diſputans quaſi deſcripta libri verba percurrit, vulgariter loquens Romanæ urbanitatis Regulam non offendit. Quid de monachico proſequar ordine? quid de Regularis Magiſterio diſciplinæ? in quorum videlicet notitia ità convaluit, ut nec docere naviter poſſit. Sed ejus proh dolor! talis eſt vita, ut eum latere nullus invideat, ad ſe introducere nemo depoſcat. Et ut rem non diutius protraham, ſtulto ſapienti monaſterialis ad habitandum janua clauditur, cujus paſſim ruſticis, & imperitis, ac dyſcolis aditus non negatur.*

Multi ergo, ſapientiæ
Qui ſe laudibus efferunt,
Ignorant ſapientiam.
Eſtò mille ſcientijs
Mentes gnaviter excolant,
At non ſegniùs inquinant
Pravis pectora moribus.
Et ſic mundus hic impius
Paucos qui ſapiant habet.
Sed multi ſapiunt ſtygi,
Quos gratas ſibi victimas,
Fauces cerbereæ vorant.

Videndum jam quænam ſit vera ſapientia, quàm ignorat impius, quæ ſubterfugit habitare in corpore ſubdito peccatis. Inquiram hanc ſapientiam, ut loqui poſſim quod locutus eſt vir cum quo erat Deus, & qui Deo ſecum morante confortatus dixit: *ſtultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum; non didici ſapientiam, & novi ſcientiam ſanctorum.* Prov. 30.

CAPUT XXXIII.

Vera ſapientia demonſtratur.

I. SApientiam ſcriptura divina pluribus in locis nobis prædicat & commendat, eámq; ſuper omnia hujus mundi bona extollit. * In hac invenit homo quicquid bonorum poteſt deſiderare. Si pe-
Eccli. 4. tit vitam, *ſapientia filiis ſuis vitam inſpirat, & ſuſcipit inquirentes ſe. Qui tenuerit illam vitam hæreditabit, & quò introibit, benedi-*
Sap. 9. *cet* DEUS Si vult ſanitatem: *per ſapientiam ſanati ſunt quicunq; Do-*
Sap. 7. *mino placuerunt ab initio.* Si lætitiam: *lætatus ſum in omnibus*, inquit ſapiens, *quoniam antecedebat me iſta ſapientia, & ignorabam quo-*
Sap. 8. *niam horum omnium Mater eſt.* * *Non habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam & gaudium.* Si lau-
Eccli. 37. dem: *Vir ſapiens implebitur benedictionibus, & videntes illum lauda-*
Ibid. *bunt.* Si honorem: *Sapiens in populo hæreditabit honorem, & nomen*
Sap. 7. *illius erit vivens in æternum.* Si divitias: *infinitus eſt theſaurus homi-*
Prov. 8. *nibus* ſapientia. Audiamus illam de ſe ipſa loquentem: *mecum ſunt divitiæ & gloria, opes ſuperbæ, & juſtitia, ut ditem diligentes me, & theſauros illorum repleam.* Si demum omnia bona: *venerunt*, inquit
Sap. 7. Sapiens, *mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius.* .* *Qui tenuerit eam beatus.* Hanc meritò Salomon re-
Sap. 7. bus omnibus legitur prætuliſſe: *propter hoc*, inquit, *optavi & datus eſt mihi ſenſus, & invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ, & præpoſui illam Regnis & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretioſum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius.* Audia-
Prov. 8. mus illam clamantem, & ad ſe verbis benigniſſimis nos invitantem: *ô viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Intelligite parvuli aſtutiam, & inſipientes animadvertite. Accipite diſciplinam meam, & non pecuniam; doctrinam magìs quàm aurum eligite. Melior eſt enim ſapientia cunctis pretioſiſſimis, & omne deſiderabile ei non poteſt compa-*
Eccli. 24. *rari.* * *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini; ſpiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & favum.* Audi-

II. Audivimus vocem invitantis, ſcimus etiam unde vox illa veniat, venit enim ex doctrinalibus ſcripturæ divinæ libris. In illis ergo quærenda, & ex illis haurienda eſt divina ſapientia. Nullas ibi reperies doctas fabulas, aut inanes Philoſophorum argutias & ſubtilitates; non traditur ibi modus ingenioſè definiendi, acutè dividendi, & captioſè argumentandi; non ars diſertè ac figuratè loquendi ac prædicandi, ſed ſcientia bene ac virtuoſè vivendi. Quorum librorum ſtudioſa ac devota lectio, tametſi ad veræ illius ſapientiæ conſecutionem, cum divina gratia videatur ſufficere, adducemus tamen præſenti capite plures ejuſdem ſacræ ſcripturæ, & ſanctorum Patrum, aliorúmq; ſapientiſſimorum virorum authoritates, ut luculentè ac plenè cuivis innoteſcat, in quo conſiſtat vera ſapientia, quam, ut capite præcedenti vidimus, nemo impiorum poſſidet; Quænam ſit *prudentia carnis*, quænam verò *prudentia ſpiritûs*, ut illam reprobet, hanc ſequatur: illa enim *mors eſt*, hæc autem *vita & pax*. *Rom. 8.*

III. Occurrit primò Lactantius, qui de vera & falſa ſapientia omnium fuſiſſimè videtur tractâſſe. *In Dei*, inquit, *agnitione & cultu rerum ſumma verſatur, in hoc eſt ſpes omnis ac ſalus hominis, hic eſt ſapientiæ gradus primus, ut ſciamus quis ſit nobis verus Pater, eúmq; ſolum pietate debitâ proſequamur, huic pareamus, huic devotiſſimè ſerviamus, in eo promerendo actus omnis & opera collocetur.* * *Satìs eſt homini ad plenam perfectámq; prudentiam, ſi Deum eſſe intelligat, cujus intelligentiæ vis & ſumma hæc eſt, ut ſuſpiciat & honorificet communem parentem generis humani, & rerum mirabilium fabricatorem.* * *In ſapientia Religio, & in Religione ſapientia eſt. Ergo non poteſt ſegregari; quia ſapere nihil aliud eſt, niſi Deum verum juſtis ac pijs cultibus honorare.* * *Una ſpes homini, una ſalus in hac doctrina, quam defendimus poſita eſt. Omnis ſapientia hominis in hoc uno eſt, ut Deum cognoſcat & colat, hoc noſtrum dogma, hæc ſententia eſt. Quantâ itaq; voce poſſum teſtificor, proclamo, denuntio; hoc eſt illud quod Philoſophi omnes in tota vita ſua quæſiêrunt, nec unquam tamen inveſtigare, comprehendere, tenere valuerunt, quia Religionem aut pravam tenuerunt, aut totam penitus ſuſtulerunt. Faceſſant igitur illi omnes qui humanam vitam non inſtituunt ſed turbant. Quid enim docent, aut quem inſtruunt, qui ſe ipſos nondum inſtruxerunt; quem ſanare ægroti, quem regere cæci poſſunt? Huc ergo nos omnes quibus eſt cura ſapientiæ conferamus. An expectabi-*

de vero cultu c. 9. *Idē lib. 2. de orig. erroris. c. 5.* *Idē de vera ſap. c. 3.* *Ibid. c. 30.*

Digitized by Google

bimus, donec Socrates aliquid ſciat, aut Anaxagoras in tenebris lumen inveniat, aut Democritus veritatem de puteo extrahat, aut Empedocles dilatet animi ſui ſemitas? Ecce vox de cælo veritatem docens, & nobis ſole ipſo clariùs lumen oſtendens. Quid nobis iniqui ſumus & Sapientiam ſuſcipere cunctamur? quam docti homines contritis in quærendo ætatibus nunquam reperire potuerunt? Qui vult ſapiens ac beatus eſſe, audiat Dei vocem, diſcat juſtitiam, ſacramentum nativitatis ſuæ nôrit, humana contemnat, divina ſuſcipiat, ut ſummum illud bonum, ad quod natus eſt, poſſit adipiſci.

Non diſcrepat â doctrina Lactantij S. Auguſtinus dũ quærit: *quid eſt cognitio veritatis?* ſibiq; reſpondet: *primò, cognoſcere te ipſum, ut quod eſſe debes, eſſe ſtudeas; quod autem corrigendum eſt, corrigas. Deinde cognoſcere & amare Creatorem tuum. Hoc enim totum eſt hominis bonum.* S. Bernardus veram ſapientiam in rerum divinarum cognitione ac profunda contemplatione videtur collocâſſe, de qua ità loquitur: *nihil eſt jucundius, nihil utilius gratiâ contemplationis. Quantò amplius in cæleſtium contemplatione delectaris, tantò diligentius perſcrutaris, profundiúſq; illuminaris. Semper in illis invenies quod mireris, & unde delecteris. Nuſquam eſt copioſior materia admirandi, & nuſquam utilior cauſa delectandi. In his ergo ſemper ſit tua admiratio & delectatio, nec neceſſe erit alia præ aliis quærere, & per vanam huc illúcq; cogitationum evagationem diſcurrere. Deum namq; cognoſcere plenitudo eſt ſcientiæ; plenitudo autem hujus ſcientiæ, plenitudo eſt gloriæ, conſummatio gratiæ, perpetuitas vitæ. Ad hujus verò ſcientiæ plenitudinem, opus eſt potiùs intimâ compunctione, quàm profundâ inveſtigatione; ſuſpirijs, quàm argumentis; crebris lamentationibus, quàm copioſis argumentationibus; lacrymis, quàm ſententiis; oratione quàm lectione; gratiâ lacrymarum, quàm ſcientiâ literarum; cæleſtium potiùs contemplatione, quàm terreſtrium occupatione.* Hæ rerum divinarum contemplationes ſi ſint profundiores, & mentem intenſiùs rapiant, vocantur ab eodem Doctore mellifluo *theorici exceſſus*, ad quos animam mentis alienatione jubet tranſire, qui haud dubiè multùm differunt ab inanibus & curioſis pſevdoſapientûm ſpeculationibus.

Man. cap. 26.

c. 7. de inter. domo.

de inter. domo, cap. 70.

Deum ergo ex omnibus ſcire & contemplari nobis ſufficiat. Quid turbamur erga plurima? hoc unum eſt neceſſarium; *philoſophia noſtra Chriſtus eſt*, inquit S. Damianus. *O ſi Jeſus in cor noſtrum veniret, quàm citò & ſufficienter docti eſſemus.* Qui

Kemp. de imit. lib. 1. c. 25.

Digitized by Google

Qui Chriſtum noſcit, ſat ſcit ſi cætera neſcit.
Qui Chriſtum neſcit, nil ſcit ſi cætera noſcit.

Hinc Origenes acutè obſervat verba illa Caiphæ, ſecluſis etiam reliquis eſſe veriſſima, quæ in concilio dixit ad Pontifices & Phariſæos: *vos neſcitis quidquam.* * *Verè enim nihil noverant, qui Jeſum veritatem ignorabant.* Joan. 11. Origenes.

IV. Non ſufficit verò ad veram ſapientiam Deum cognoſcere, & ſolum intellectum rerum divinarum ſpeculationibus occupare, ſed etiam voluntas conſideratâ divini Numinis Majeſtate ad ejus timorem debet excitari, in quo veram conſiſtere ſapientiam pluribus ſcripturæ locis demonſtrari poteſt. Clamat pſalmiſta veram hominibus ſapientiam prædicaturus: *venite filij audite me.* Quid verò docere intendis? *timorem,* inquit, *Domini docebo vos.* Legimus etiam in libro Job: *timor Domini ipſa eſt ſapientia.* Et in libro Eccleſiaſtici: *initium ſapientiæ timor Domini. Radix ſapientiæ timere Deum, plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum, corona ſapientiæ timor Domini.* Principium ergo, finis, & perfectio ſapientiæ in timore Dei conſiſtit. Job. 28. Eccli. 1.

V. Non verò ſolum timorem ex Dei contemplatione, ſed etiam amorem concipere debemus; nec timor eſt laudabilis ſi amorem excludit: Nam & dæmones credunt & contremiſcunt, quorum tamen timor parum eſt ſalutaris. Sapientia igitur non in ſolo timore, ſed etiam in dilectione conſiſtit. *Dilectio Dei honorabilis ſapientia,* inquit Eccleſiaſticus. * *Si ſapientia DEUS eſt per quem facta ſunt omnia, ſicut divina authoritas veritáſq; monſtravit, verus Philoſophus eſt amator Dei,* teſte S. Auguſtino. Idem ait ſummam & veram ſapientiam eſſe in præcepto illo: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & ex tota anima tua.* * *Quæ diſputationes,* inquit alibi, *quæ literæ quorumlibet Philoſophorum? quæ leges quarumlibet Civitatum duobus præceptis, ex quibus Chriſtus dicit totam legem, Prophetáſq; pendere, ullo modo ſint comparandæ? diliges Dominum Deum tuum, &c. & proximum tuum tanquam teipſum. Hîc Phyſica, quoniam omnes omnium naturarum cauſæ in Deo Creatore ſunt. Hîc Ethica, quoniam vita bona & honeſta non aliunde formatur, quàm cùm ea quæ diligenda ſunt, quemadmodum diligenda ſunt, diliguntur, hoc eſt Deus & proximus; hîc Logica quoniam veritas lumenq; animæ rationalis nonniſi Deus eſt; hîc laudabilis Reipublicæ ſalus, &c. Tene charitatem,* ait idem Hipponenſis Eccli. 1. Epi. 120. Epiſt. 3.

tract. de laude charit. Præſul, *& in ea invenies omnem ſcientiam.* Et infra: *totam magnitudinem divinorum eloquiorum & latitudinem ſecura poſſidet charitas.* Et mox: *In eo quod in ſcripturis intelligis, charitas patet, in eo quod non intelligis, charitas latet. Ille itaq; tenet, & quod patet, & quod latet in divinis ſermonibus, qui charitatem tenet in moribus.* * *Per charitatem pervenitur ad plenitudinem ſcientiæ,* inquit idem alibi: *Non intratur in veritatem niſi per charitatem.*

VI. Non ſufficit ad ſapientiam Deum ſecundùm quæcunq; prædicata cognoſcere, niſi voluntas ipſius cognoſcatur, cujus notitia nobis eſt principaliter neceſſaria, & cujus obſervantia veram & non fucatam denotat charitatem. Hinc Salomon dum pro ſapientia conſequenda Deum orat: *Sap. 9.* *mitte*, inquit, *illam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret, ut ſciam quid acceptum ſit apud te.* * *Beatus homo quem tu erudieris Domine*, ait Pſalmiſta, *& de lege tua*, non de altiſſimis in divinitate ac Trinitate myſterijs *docueris eum.* In hac divinæ voluntatis cognitione conſiſtit prudentia, quæ vera eſt ſapientia, *Prov. 9.* juxta illud Salomonis: *ſcientia ſanctorum prudentia, & ſapientia viro* *Prov. 11.* *prudentia.* Hæc autem prudentia non debet eſſe otioſa, & merè ſpeculativa, ſed quod per illam dictat intellectus, idem voluntas debet ſectari ſive in praxin deducere. Neq; verus eſt Dei amor & timor, qui ad virtutis operationem ſe non extendit.

VII. Docet inprimis hæc ſanctorum prudentia, quomodo debeat homo cognoſcere ſe ipſum, in qua cognitione non parva ſapientiæ pars conſi- *lib de ſpirit. & animа c. 50.* ſtit. *Scientia eſt*, inquit D. Auguſtinus, *quando homo ad notitiam ſui aſſiduâ meditatione illuſtratur.* S. Laurentius Juſtinianus dictitabat veram hominis ſcientiam eſſe ſcire hæc duo. *Deum eſſe omnia, & ſe nihil.* * *Sapientia eſt nôſſe ſeipſum*, ipſius Delphici Apollinis oraculo; Nôſſe ſuam infirmitatem, fragilitatem & mortalitatem. Hinc etiam S. Baſilius ab Eubulo interrogatus, quæ eſſet definitio Philoſophiæ, reſpondit: *prima definitio Philoſophiæ meditatio mortis eſt*: mortem enim meditando fluxam ſuam conditionem homo quàm optimè diſcit cognoſcere.

VIII. Ex hac ſui cognitione oritur humilitas, quam veræ ſapientiæ prædicator Chriſtus Dominus præ cæteris virtutibus verbo & exemplo ſuo nos docuit, ut etiam propterea vocetur ab Apoſtolo *virtus Chriſti.* S. Leo in ſermonibus de Epiphania Domini, fusè oſtendit divinam ſapientiam,

tiam, non in abundantia verbi, nec in aſtutia diſputandi, neq; in appetitu laudis & gloriæ, ſed in vera & voluntaria humilitate conſiſtere. Hinc S. Bonaventura ſæculi hujus ſapientem, ſuâ pſeudoſcientiâ tumidum, ſub perſona Zachæi, ad veram Chriſti ſapientiam, quæ in humilitate conſiſtit, ſequentibus verbis invitat: *Zachæe frater deſcende de altitudine ſæcularis ſcientiæ, & diſce in ſchola Dei viam humilitatis.* * *Hæc eſt altiſſima & utiliſſima lectio*, inquit Thomas Kempenſis, *ſui ipſius vera cognitio & deſpectio; de ſe ipſo nihil tenere, & de aliis ſemper bene & altè ſentire, magna ſapientia eſt & perfectio.* *de imit. Chriſt. lib. cap. 2.*

Filia humilitatis eſt patientia, quæ etiam ad veram ſapientiam pertinet. *Doctrina per patientiam noſcitur*, inquit Salomon. Et S. Bernardus in illa ſapientiæ verba, *dedit illi ſcientiam ſanctorum*, ità ſcribit: *ſcientia Sanctorum eſt hìc temporaliter cruciari & delectari in æternum. Et in contrarium ſcientia malorum relabitur. Alia eſt ſcientia mundi quæ docet vanitatem, & alia ſcientia carnis, quæ docet voluptatem.* Sapientia autem Chriſti docet mortificationem, dolorem, & pœnitentiam. Hinc etiam ſcribit idem mellifluus Doctor: *ſapientia eſt in pœnitudine peccatorum, in contemptu præſentium commodorum, in deſiderio futurorum præmiorum. Inveniſti ſapientiam, ſi prioris vitæ peccata defleas, ſi ſæculi deſideria parvipendas, ſi æternam beatitudinem toto deſiderio concupiſcas.* IX. *prov. 19. de conſid. lib. 1.*

Sed ne opus ſit omnium hìc virtutum catenam exponere, in quarum ſingulis partialiter, collectivè autem ſumptis vera ſapientia totaliter ſeu adæquatè conſiſtit; generaliter loquendo, *ſapientia eſt amor virtutis.* Cui definitioni adſtipulatur S. Bernardus: *ſi quis*, inquit, *ſapientiam virtutis amorem definièrit; non à vero deviare videbitur. Ubi enim amor eſt, labor non eſt, ſed ſapor. Et fortè ſapientia à ſapere denominatur, quòd virtuti accedens, quoddam veluti condimentum ſapida reddat, quæ per ſe inſulſa & aſpera ſentiebantur. Nec duxerim reprehendendum, ſi quis ſapientiam ſaporem boni definiat*, Hoc eſt quod ait Poëta: X. *Serm. 85. in Cant.*

- - - - *Virtus cui ſapit, ille ſapit.*

Sapientia eſt intelligentia ad bonum rectúmq; faciendum, vel abſtinentia dictorum factorúmq; improborum, ait Lactantius. Dicam ego generaliter: vera ſapientia eſt ſcire quid faciendum ſit, & declinandum; nec ſcire tantùm, ſed ipſo etiam opere facienda facere, & declinanda *de juſtitia cap. 18.*

Digitized by Google

declinare. Sive, ut loquitur idem Lactantius: *virtus cum ſcientia conjuncta eſt ſapientia.* Parum enim eſt facienda ſcire niſi opus accedat. Hanc & non aliam ſapientiam Moyſes Iſraelitis prædicâſſe legitur: *ſcitis*, inquit, *quòd docuerim vos præcepta atq; juſtitias, ſicut mandavit mihi Dominus Deus meus. Sic facietis ea, & obſervabitis, & implebitis opere. Hæc eſt enim veſtra ſapientia, & intellectus coram populis, ut audientes univerſa præcepta hæc dicant: en populus ſapiens & intelligens gens magna.*

Deuter. 4.

XI. Vera ergo ſapientia conſiſtit in divinarum legum cognitione & obſervantia; & ut breviſſimè dicam, *vera ſapientia* eſt *bona vita. Non aliud vera & conſummata eſt ſapientia*, teſte D. Bernardo, quàm *declinare à malo, & facere bonum.* * *Prima ſapientia*, teſte Gregorio Nazianzeno, *eſt vita laudabilis, & apud Deum pura mens, per quam puri puro junguntur, & ſancti ſancto ſociantur.* * *Prima ſapientia*, inquit idem alibi, *eſt vita proba & honeſta, Deóq; perpurgata, vel certè ſe purgans. Deo inquam, qui puriſſimus & ſplendidiſſimus eſt, ſolúmq; purgationis ſacrificium à nobis requirit, quod quidem cor contritum & laudis ſacrificium, & novam in Chriſto creaturam, & novum hominem, aliáq; idgenus appellare ſcriptura conſuevit. Prima ſapientia eſt, ſapientiam in ſermone ac dictionum ſtrophis, atq; adulterinis & ſupervacaneis diſputationibus ſitam aſpernari. Mihi autem utinam potiùs quinq; verba cum prudentia eloqui contingat, quàm ſexcenta in lingua, & voce tuba obſcura, militem meum ad ſpirituale bellum haudquaquam excitante. Hanc ego ſapientiam laudo, hanc complector, per quam ignobiles gloriam conſecuti ſunt, & ad quam ij, qui nullo in pretio erant, cæteris prælati ſunt, & cum qua piſcatores univerſum orbem Evangelij vinculis tanquam retibus implicuerunt, ac per conſummatum & abbreviatum verbum, ſapientiam eam, quæ deſtruitur ſuperârunt. Nec enim, qui in ſermone ſapiens eſt, hic mihi ſapiens eſt; nec qui volubilem quidem linguam, imperitum autem animum habet; illis utiq; ſepulchris non abſimilis, quæ cùm foris pulchra & decora ſint, intus tamen cadaveribus ſcatent, atq; ingentem fœtorem tegunt. Verùm is demum, qui pauca quidem de virtute verba facit, cæterùm per ea, quæ agit, multa demonſtrat, ac fidem & authoritatem ſermoni ſuo per vitam conciliat. Præſtantior meo quidem judicio eſt pulchritudo ea, quæ oculis cernitur, quàm quæ ſermone pingitur; & divitiæ quas manus tenent, quàm*

In Cant. hom. 1.
In Apolog.
Orat. 15.

quas

quas ſomnia effingunt, & ſapientia quæ per opera demonſtratur, quàm quæ ſermone nitet ac ſplendeſcit. Intellectus enim bonus, inquit ille, omnibus facientibus eum, non autem prædicantibus. * *Nihil eo ſapientius, qui ex virtute ſe rectè gerit*, inquit S. Chryſoſtomus. Hinc etiam illud Jacobi: *Quis ſapiens, & diſciplinatus inter vos? oſtendat ex bona converſatione operationem ſuam, in manſuetudine patientiæ.*

hom. 19. in Coloſſ.
Jacobi. 3.

Ars artium eſt ſervire Deo, ait S. Thomas de Villa nova. *Suprema ſapientia ſcire bene vivere. Si hanc nôſti, etiamſi cætera neſcias, ſapientiſſimus es. Qui hanc neſcit, quidquid ſciat, ignorantiſſimus eſt. Hanc omnes Chriſtiani profitentur. Quid enim aliud eſt Chriſtianiſmus, niſi ars docens homines piè vivere, placere, & ſervire Deo?* * *Bona vita*, inquit Thomas Kempenſis, *facit hominem ſapientem ſecundùm Deum, & expertum in multis. Quantò quis in ſe humilior fuerit, & Deo ſubjectior, tantò in omnibus erit ſapientior & pacatior.* Et alibi tractans de vera ſapientia apud Deum quærenda, ſic ſcribit: *Beatus vir qui invenit ſapientiam. Quære veram ſapientiam, quam Chriſtus docuit, & exemplo ſuo oſtendit. Verus ſapiens odit iniquitatem, loquitur veritatem, & operatur juſtitiam. Qui ſobriè, caſtè, piè, humiliter, & devotè vivit, & pericula tentationum cavet, ſapiens eſt, & Deo placet. Hic bonam famam habet, bonam conſcientiam ſervat, triſtitiam fugat, pacem poſſidet, & cordis lætitiam frequenter â Deo accipit, quàm mundus ignorat, nec ſapit. Sapientia mundi vanitas eſt, & ſtultitia reputatur apud Deum. Decipit ſuos amatores, & in fine torquet ovantes. Sapientia verò carnis mors animæ eſt, quæ ſubitò tollit pariter vina bibentes, & delicijs inhærentes. Nam luctus & pœna poſt carnis gaudia fœda. Trahitur autem vera ſapientia de occultis verbis, & ſacris actibus Chriſti, qui ſuadet ſpernere mundum, fugere delicias, domare carnem, pati dolores, ſubire labores, amare virtutes.*

Conc. 2. in Dom. 1. Quadrag.
de imit: lib. 1. c. 4.
Kemp. in hortul. Roſarũ. c. 3.

In quodam etiam ſermone ad Novitios habet ſequentia: *Si quis imperitus divinam ſapientiam habere concupiſcit, delicias carnis ſpernat, ſenſus exteriores ſtrictè cuſtodiat, ne vanitates mundi hauriant. Ad interiora ſe convertat, defectus ſuos inſpiciat, conſcientiam per ſingulos dies examinet, commiſſa defleat, nil impunitum relinquat; ad cœleſtia ſuſpiret, futurum judicium metuat, præſentem vitam carcerem reputet, â Chriſto elongari pœnale ſentiat, Sanctorum choris non intereſſe maximum tædium ponderet, nihil in hoc mundo poſſidere cupiat, ut cor liberum ſem-*

Kemp. ſer. ad Novitios. part. 2. ſerm. 3.

ſemper habeat; omne gaudium temporale luctum æſtimet, ac præ deſiderio æternorum omnem copiam rerum, egeſtatem computet. Hæc intima ſentimenta vagabundus & fabuloſus ignorat, & qui honores ambit, veram ſapientiam nunquam inveniet. Beatus igitur ille Religioſus, in cujus corde lex Dei requieſcit, cujus os meditatur ſapientiam ſanctorum, non ſæculi vanitatem, cujus lingua erudita rectum judicium in omni cauſa tractat, ne quid fruſtra quaſi in ventum producat; cujus bona opera ad Dei beneplacitum ſemper tendunt, cujus greſſus intus & foris ſecundùm eloquium divinum diriguntur in bonum.

S. Auguſtinus definiens ſapientiam, ait eam nihil aliud eſſe quàm *pietatem*. Pietatem verò eſſe *cultum Dei*. Cultum verò Dei *fide, ſpe, & charitate conſiſtere*. Atq; adeò ſapientem eſſe *qui hæc tria perfectè obtinuerit, & ſecundùm ea vitam ſuam inſtituerit.*

Exquiramus hîc etiam ſententiam S. Laurentij Juſtiniani ità ſcribentis: *Inter dona Spiritûs ſancti ſcientia computatur. Res quidem ſancta eſt ſcientia, ſi diligendo operatur quod novit, per ſe enim non ſufficit. Non ſolam ſcientiam à Domino popoſcit Propheta, ſed bonitatem inquit & diſciplinam, & ſcientiam doce me. Tunc nempe utilis eſt ſcientia, cùm perducit ad ſapientiam, cùm divinitatis radios oſtendit, cùm verbi præbet notitiam, cùm rectè vivendi mores inſtruit, cùm ad cæleſtia contemplanda animum attollit, cùm ad Deum diligendum erudit, cùm ad illum quærendum & poſſidendum omnia cordis interiora inflammat. Hæ quippe ſunt cauſæ, propter quas quiſq; ſcire debet, ſinè quibus nemo rectè ſapit.*

Laurent. Juſtin. de caſto connub. cap. 14.

Salonius in illa verba Eccleſiaſtæ: *vidi quòd tantùm præcederet ſapientia ſtultitiam, quantùm differt lux à tenebris*, ita ſcribit: *Quis ergo iſte ſapiens qui tantum diſtat à ſtulto, quantum lux à tenebris? nunquid ille qui Philoſophicæ tantùm diſciplinæ pollet affluentiâ, vel liberalium artium ſplendet eloquentiâ? Nonnunquam ſæcularis prudentia inimica Deo eſt, & carnalis ſapientia quamvis eloquentiæ floribus exornetur, nullum tamen in ſe ſpiritualem, nullum perpetuæ beatitudinis fructum continet. Sed ille veraciter eſt ſapiens, qui Dominum diligit, qui ejus mandata cuſtodit, & quantum poſſibile eſt humanæ fragilitati, ejus voluntatem in omnibus ſtudet implere.*

XII. Hæc eſt *prudentia juſtorum* de qua legimus in Evangelio. Hanc
Lucæ. 1. non tantùm Joannes, ſed etiam Chriſtus docuit verbo & exemplo, cujus

jus doctrina non fuit Rhetorica, non Philoſophia, non intricata multis quæſtionibus Theologia, non demum alia quævis ſcientia, ſed juſtitia. Hinc etiam in Prophetia Joelis *doctor Juſtitiæ* appellatur. *Contempſit omnes cæteras ſcientias & facultates ſapientiſſimus Rex David, contentus in hujus Magiſtri Schola ſapientiam veram didiciſſe. *Domine*, inquit, *non cognovi literaturam* humanam ſcilicet & temporalem. *Domine memorabor juſtitiæ tuæ ſolius.* Huic ſtudebo, in hac me exercebo, hanc *Deus docuiſti me à juventute mea.* Paucos tamen hodie divinus hic Magiſter invenit diſcipulos, plures mundanæ ſapientiæ ſtramina, quàm panem divinæ ac ſalutaris doctrinæ concupiſcunt. Hinc illum in revelationibus S. Brigittæ legimus ità loquentem: *Amici mei aliqui ſunt quaſi ſcholares mei, qui habent tria. 1. Conſcientiam intelligentem ſupra naturam cerebri. 2. Sapientiam ſinè homine, quia perſonaliter doceo eos intus. 3. Pleni ſunt dulcedine & divinâ dilectione, quâ vincent diabolum. Sed è contrario nunc addiſcunt homines. 1. Volunt eſſe ſcientes propter jactantiam, ut dicantur boni Clerici. 2. Volunt eſſe ſcientes, ut habeant & obtineant divitias. 3. Volunt eſſe ſcientes, ut obtineant honores & dignitates. Propterea cùm adeunt ſcholas ſuas & ingrediuntur, ego exeo ab eis, quia ipſi addiſcunt propter ſuperbiam, & ego eos docui humilitatem. Ipſi ingrediuntur propter cupiditatem, & ego non habui ubi caput meum reclinarem. Ipſi ingrediuntur ut habeant dignitates, invidentes aliis ſe eſſe Superiores, & ego judicabar à Pilato, & ab Herode deridebar. Ideo ego exeo ab eis, quia non addiſcunt doctrinam meam; ſed tamen quia mitis ſum & bonus, do unicuiq; quod petit. Qui enim petit à me panem, ipſe habebit; qui autem ſtramen, dabitur ei. Amici autem mei ipſi petunt panem, qui ſapientiam divinam, in qua eſt charitas mea, quærunt & addiſcunt. Sed alij petunt ſtramen, id eſt mundialem ſapientiam. Quia ſicut in ſtramine nulla eſt utilitas, ſed & cibus animalium irrationabilium eſt. Sic in mundi ſapientia, quam ipſi quærunt, nulla eſt utilitas, nulla animæ refectio, niſi tantùm nomen modicum, & labor vacuus. Quia cùm homo moritur, omnis ſapientia ejus annihilatur, & à quibus laudatur, non poteſt videri. Unde ego ſum quaſi magnus Dominus, multos habens ſervos, qui diſpenſant ex parte Domini, quæ omnibus neceſſaria ſunt. Sic Angeli boni & mali ſtant ad Imperium meum. Qui autem ſapientiam meam, id eſt ſervire mihi addiſcunt, his adminiſtrant boni Angeli,*

Joel. 2.

Pſal. 70.

Revelat. S. Brigit. lib. 1. cap. 33.

 reſi-

reficientes eos conſolatione, & delectabili labore. Sapientibus autem mundi aſſiſtunt Angeli mali, qui eis quod volunt inſpirant, & informant eos juxta voluntatem eorum, & inſpirant cogitationes cum labore magno. Verumtamen ſi ad me reſpicerent, ego ſufficerem eis dare panem abſq; labore, & mundum ad ſatietatem, de quo nunquam ſatiantur, quia dulce vertunt ſibi in amarum.

Rurſus idem mundi Dominus & Juſtitiæ Doctor, in iisdem S. Brigittæ revelationibus, veram divinámq; ſapientiam ſequentibus verbis demonſtrat: *divina ſapientia non eſt præcisè in literatura, ſed in corde, & bona vita. Quicunq; cogitat ſedulè viam ad mortem, qualitatem ipſius mortis, & judicium poſt mortem, hic ſapiens eſt. Quicunq; abjicit à ſe vanitatem mundi & ſuperflua. Quicunq; contentatur de ſolis neceſſariis, & laborat in amore Dei quantùm poteſt, hic habet edulium ſapientiæ, quo voluntas bona, & divina meditatio ſapiunt meliùs; Quando enim homo cogitat mortem, & in morte nuditatem; Quando homo perpendit judicium Dei terribile, ubi nihil occultatur, nihil dimittitur impunitum; Quando & cogitat mundi inſtabilitatem, & vanitatem, nunquid non tunc gaudet, & dulciter ſapit in corde reliquiſſe voluntatem ſuam Deo, & abſtinuiſſe ſe à peccatis? Nunquid non tunc confortatur caro, & ſanguis melioratur, id eſt omnis infirmitas animæ, ſcilicet acedia, & morum diſſolutio propellitur? ſanguis divinæ charitatis fit recentior; quia conſiderat rationabilius fore, diligenda ea, quæ æterna ſunt, quàm quæ caſura. Ergo divina ſapientia non eſt præcisè in literatura, ſed in bono opere; quia multi ſapientes ſunt ſecundùm mundum, & ad deſideria ſua, ſed omnino inſipientes ſunt ad Dei mandata, & voluntatem ejus, & refrænationem corporis ſui. Et hi non ſunt ſapientes, ſed inſipientes & cæci, quia ſciunt ea, quæ caſura ſunt, & ad momentum utilia, æterna verò deſpiciunt, & obliviſcuntur. * Alij ſunt inſipientes ad mundi delectabilia & honorem ejus, & ſapientes ad conſiderandum quæ Dei ſunt, ferventes in obſequio ejus. Hi veraciter ſapientes ſunt, quia ſapit eis præceptum Dei, & voluntas ejus; iſti veraciter illuminati ſunt, & apertos habent oculos, quia ſemper conſiderant quomodo veniant ad veram vitam, & veram lucem. Alij verò ambulant in tenebris, & delectabilius eis videtur eſſe in tenebris, quàm viam inquirere, per quam venire poſſent ad lucem.*

Revel. S. Brigit. lib. 2. c. 25.

XIII. In hujus divini Magiſtri ſchola veram ſe tandem Philoſophiam didiciſſe

diciſſe ſcribit Juſtinus Martyr, quam diu apud alios hujus mundi Philoſophos fruſtra quæſiêrat. *Cùm primùm*, inquit, *vitâ cum his agere cuperem, uni eorum me ſtoico cuidam dedi, atq; cum hoc longo verſatus tempore, quia nihil amplius de Deo didiceram (nam nec ipſe quidem ſciebat, neq; diſciplinam hanc adeo neceſſariam eſſe dicebat) ab eo deſcivi, & ad alium me contuli Peripateticum vocitatum, hominem, ut ipſe exiſtimabat acutum. Hic me primis diebus ſecum eſt paſſus, poſtea mercedem à me ſibi deſignari petijt, ne infructuoſa cum eo mihi eſſet conſuetudo. Ego verò illum, hanc ipſam ob cauſam reliqui, ne Philoſophum quidem hunc eſſe opinatus. Porrò cùm impenſiùs adhuc animus meus audire, quid Philoſophiæ proprium atq; præcipuum eſt, expeteret, ad Pythagoricum quendam magni nominis, multiq; in ſapientia ſupercilij virum acceſſi, & cum eo Auditor ejus & familiaris eſſe volens egi ibi. Quid inquit, verſatúſne es in Muſica, & Aſtronomia, & Geometria? an exiſtimas quicquam te perſpicere eorum poſſe, quæ ad beatitudinem conducunt? niſi hæc priùs cognoveris, quæ animum à ſenſibilibus ad intelligibilia perſpicienda aptum commodúmq; reddunt, ut ipſum quoq; pulchrum, & quod bonum eſt contemplari queas. Et cùm ſtudia ea magnopere laudâſſet, neceſſariáq; eſſe dixiſſet, me ità à ſe dimiſit, nam me neſcire confeſſus ſum. Ægrè igitur hoc tuli ſicut par erat, quòd ſpe excidiſſem, idq; eò magis quòd ſcire illum aliquid putarem. Ac rurſum tempus ipſum mecum conſiderans, quod in diſciplinis ijs conterendum erat, rem longiùs differre non ſuſtinui. In hujuſmodi ergo conſilij inopia placitum mihi eſt cum Platonicis quoq; converſari. Itaq; in urbe noſtra cum viro prudente, atq; inter platonicos excellente, qui non ità pridem eò venerat, plurimùm fui, promovi, & maximè quidem crevi. Valde me delectabat incorporeorum notio, & idearum contemplatio, mentem meam quaſi alis quibuſdam altiùs evehebat, atq; intrà breve tempus ſapientem me eſſe factum rebar. Illico Deum perſpecturum eſſe per ſtultam perſuaſionem ſperabam, nam hic Platonis Philoſophiæ finis eſt. In hunc modum affecto mihi, viſum aliquando eſt ſolitudine prolixiùs uti, & vitare hominum veſtigia. Proinde locum quendam mari proximum petij, à quo cùm non multùm abeſſem, ut ſolus mecum ipſe agerem, vetulus quidam ſenex aſpectu minimè contemnendus, lenes ſimul & graves præſeferens mores, modico me intervallo aſſectabatur; atq; ubi converſus ſubſtiti, & hominem ſum acriùs intuitus, ille, nôſti me, ait? negavi ego. Quid ergo in-*

Ex ipſius Juſt dial. cũ Tryph. Bar. Tom. 3. añ. Eccl. ann. Dom. 130.

inquit ille, me ità contemplaris? miror inquam, te hîc unà mecum eſſe; non enim in expectatione mihi fuit, ut hoc loco virum quempiam conſpicerem. Et ille: cura me ait, de quibuſdam familiaribus meis, qui peregre ſunt profecti, exercet; quapropter & ipſe de eis inveſtigaturus, ſi aliunde forſan appareant, huc venio. Tu verò quid rerum hîc? At ego: deambulationibus inquam ejuſmodi gaudeo, cùm nihil intercedit ſolitariis meis collocutionibus impedimenti, nihil videlicet diverſi afferentibus, ad rationis & ſermonis excolendi ſtudium perficiendum plurimùm loca talia conferunt. Sermonis ergo amator quiſpiam inquit, tu es, operis autem amator haudquaquam, neq; veri ſtudioſus; neq; enim potiùs operoſus, quàm ſophiſta verboſus eſſe contendis. Sic igitur invicem de vera Philoſophia diſceptantibus, cùm ille ſenex oſtendiſſet, impoſſibile eſſe, ut quod tam anxiè quærerem penes Philoſophos reperirem, ultimis verbis, non niſi in ſchola Chriſti id fas eſſe reperiri, hæc effatus ait: At tu votis & precibus tibi ante omnia lucis portas aperiri opta; neq; enim ab aliquibus perſpiciuntur, aut intelliguntur, præterquam ſi Deus & Chriſtus eis conceſſerint intelligentiam. Hæc, atq; his longè plura alia cùm ille diſſeruiſſet, & perſequi ea juſſiſſet, quæ nunc commemorare tempus non eſt, abij, eúmq; poſtea non vidi. Confeſtim verò in animo meo ardor excitatus eſt, & amor me invaſit Prophetarum, & virorum illorum, qui Chriſto chari ſunt & amici, ac revolvens ipſe mecum diſputationem illius, hanc ipſam ſolam comperi eſſe certam, atq; utilem Philoſophiam, atq; ad hunc modum, & per hæc ipſa ego Philoſophus prodij. Vervelim profectò omnes eandem mecum ineuntes animi rationem, non alienos eſſe à Salvatoris doctrina, &c. Pergit Juſtinus enarrare, quomodò pedetentim mente divinitus illuſtratus, veram Philoſophiam quæ ex Chriſti doctrina eſt, didicerit, ac proinde perfectus Philoſophus eſſe cœperit. Quo in genere præſtare ait, externis Philoſophis omnibus, Chriſtianæ fidei ſectatores, manuarios artifices, idiotas, ac rudes, non multa ſcientes & blaterantes, ſed vitam virtuoſam ducentes, quam Chriſtus ſuos docuit verbo & exemplo.

Audiamus hîc S. Gregorium, qui inter prudentiam carnis & prudentiam ſpiritûs; ſive inter ſapientiam hujus mundi, & ſapientiam juſtorum, ſecundùm utriuſq; proprietates pulchrè diſcernit, dum ità ſcribit: *deridetur juſti ſimplicitas. Hujus mundi ſapientia eſt cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt vera oſtendere,* *In Moral.*

quæ

quæ vera ſunt falſa demonſtrare. Hæc nimirum prudentia uſu à juvenibus ſcitur, hæc à pueris pretio diſcitur, hanc qui ſciunt cæteros deſpiciendo ſuperbiunt; hanc qui neſciunt, ſubjecti & timidi in aliis mirantur, quia ab eis hæc eadē duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur, dum mentis perverſitas urbanitas vocatur. Hæc ſibi obſequentibus præcipit honorum culmina quærere, adeptâ temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multipliciùs reddere, cùm vires ſuppetunt nullis reſiſtentibus cedere, cùm virtutis poſſibilitas deeſt, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate ſimulare. At contra ſapientia juſtorum eſt, nil per oſtenſionem fingere, ſenſum verbis aperire, vera ut ſunt diligere, falſa devitare, bona gratìs exhibere, mala libentiùs tolerare quàm facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc juſtorum ſimplicitas deridetur, quia ab hujus mundi ſapientibus puritatis virtus fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur ab eis, proculdubio ſtultum putatur; & quidquid in opere veritas approbat, carnali ſapientiæ fatuum ſonat. Quid namq; ſtultius videtur mundo, quàm mentem verbis oſtendere, nil callidâ machinatione ſimulare, nullas injuriis contumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem quærere, poſſeſſa relinquere, rapienti non reſiſtere, percutienti alteram maxillam præbere?

Conſiſtit igitur vera ſapientia in bona vita, & ſancta operatione, XIV.
ſive juxta D. Bernardum, in bona conſcientia. *Sapientia*, inquit, *eſt cujus pretium neſcit homo, de occultis trahitur, &c. Manna abſconditum, nomen novum, quod nemo ſcit niſi qui accipit. Non illud eruditio, ſed unctio docet; non ſcientia, ſed conſcientia comprehendit.* * *Multi quærunt ſcientiam, pauci verò conſcientiam. Si verò tanto ſtudio & ſolicitudine quæreretur conſcientia, quanto quæritur ſæcularis & vana ſcientia, & citiùs apprehenderetur, & utiliùs retineretur. Cogitare namq; de conſcientia ſenſus eſt conſummatus, & qui cuſtodit illam, ſemper erit ſecurus.* Illa eſt ergo vera ſapientia, quam bona conſcientia comitatur. Conſcientia ſi bona eſt ſcientiam commendat; ſi mala commaculat. S. Laurentius Juſtinianus de hoc ſcientiæ & conſcientiæ conjugio ità ſermocinatur: *Beatus qui ſano cuncta facit conſilio, qui nec obliquâ affectione trahitur, neq; corruptâ intentione ſeducitur; qui non quod libet, ſed quod ſibi licere novit, opere perficit. Hoc autem, ut arbitror, nemo implere valet ſufficienter, qui tam ſcientia quàm conſcientia*

Bernard. lib. de convers.

Idē de inter. domo. cap. 21.

Laurent. Juſtin. de contempt. mun. c. 2.

entia caret dono. Verùm ſi duo hæc in uno conſentiant rationis judicio, in omni negotio ſuo Deo placebunt, quoniam ſcientiæ & conſcientiæ eſt ipſe largitor. Utraq; uno ex fonte emanant, dummodo in ſua naturali puritate ſubſiſtant. Viciſſim ſibi famulantur ſcientia & conſcientia, & in uno charitatis connexa ſunt vinculo, adeo ut ſinè alterutrius diſpendio ab invicem ſeparari nequeant. Conſcientiam optimè erudit ſcientia, quam ne præcipitet, & à veritatis tramite deviet, conſcientia dirigit. Porro ubi abſq; conſcientia adeſt ſcientia, fiunt fraudes, obſcæna meditantur, ſuperbia præſidet, dominatur cupiditas, veritas agnita impugnatur, ſubvertuntur judicia, doloſè leges interpretantur, fucata abundant eloquia, & graviſſima multifariè facinora perpetrantur. At verò ubi ſola eſt conſcientia, frequentiſſimè error præcipitat, tentationes prævalent, ſeducit caro, immittuntur phantaſmata, confundit dubietas, & in Angelum ſe jugiter lucis Dæmon transfigurat, ut evertat ſenſum, & ſimplicitatis invadat ſemitas. Utrumq; quemadmodum innumeris claret exemplis, ità ſanctarum ſcripturarum teſtimoniis comprobatur. Quis, oro, ſcientiâ ac conſcientiâ ornatus damnabiliter cecidit? Quiſve ſeductus gratiam Dei amiſit? Equidem hinc inde vallatus peregrinationis hujus viam pergit intrepidus, hoſtium ſpiritualium caſtra ſecurus ingreditur, multóſq; viriliter ſternit, quiſquis ſcientiæ ac conſcientiæ accinctus eſt armis. Arma, inquit Apoſtolus, militiæ noſtræ non ſunt carnalia ſed ſpiritualia, & potentia Deo ad deſtructionem munitionum, evacuantes per conſcientiæ rectitudinem omnem altitudinem, extollentem ſe adversùs charitatem Dei, & redigentes per ſcientiæ lumen omnem intellectum in obſequium Chriſti. Nullus ergo Chriſtianæ religionis campum pugnaturus introeat, qui horum caret munimine. Adversùs ſpirituum immundorum ſævitiam, & contra impiorum hominum fraudes, quonam modo prævalere poterit, qui ſcientiæ privatus eſt lumine? verùm ad debellandum concupiſcentias carnis, ad reluctandum vitiis, ſæculíq; blanditiis, evaginatus ſemper conſcientiæ tenendus eſt gladius. Non qualiſcunq; conſcientiæ, ſed ejus quæ rectitudinis ac charitatis eſt illuſtrata fulgore. Hæc quippe ſola eſt, quæ à Deo meretur laudem.

XV. Quæris ultra ſapientiam? quære illam in toties repetitis à Theodoreto Philoſophiæ Gymnaſiis, quære illam in Religioſis Aſceteriis, à mundo inſipientiæ ac ſtultitiæ pleno quàm remotiſſimis. Talem ſapientiam & Philoſophiam in Monachis quarti poſt Chriſtum ſæculi deſcribit

bit Sozomenus ſequentibus verbis: *Tum ij qui Monaſticum vitæ genus excolebant præ omnibus Eccleſiam illuſtrare, Religionémq; Chriſtianam pijs ſuis vivendi inſtitutis magnopere dilatare viſi ſunt. Talis ſiquidem Philoſophia à Deo nobis conceſſa res ſanè perquàm utilis eſt. Nihil illi curæ ſcientiarum varietas, ut inanes negligit Dialecticorum ſtrophas, & argutias, utpote melioribus occupata, à quibus per has facilè impediretur, vel certè nihil juvaretur. Itaq; ſolâ naturali, & minimè curioſâ prudentiâ contenta, docet vitia vel omnino tollere, vel ſaltem minuere. Eum ſolum recipit, qui bona amplectitur; inertem contra & pravum, tametſi malum fugiat, ſi bonum non facit averſatur. Omnem gloriam humanam deſpicit, mentis paſſionibus fortiſſimè reſiſtit, neceſſitates corporales infractè contemnit, ſic ut infirmitates nec etiam curet. Quippe divinæ mentis virtutem adepta, ad omnium rerum Conditorem interdiu noctúq; intendit, eum colit ac veneratur, nec unquam ceſſat eundem precibus & obſecratione placare. Et cùm ſemel animi puritate piiſq; vitæ actionibus Deum colere ſit exorta, non immeritò profanas expiationes ac luſtrationes aſpernatur, rata veriſſimè ſolo ſe peccato contaminari. Quin imò cunctis eventibus exterioribus altior, nec ullis perturbationibus, aut neceſſitatibus hujus vitæ à propoſito recedit. Injuriis nec demittitur, nec ad ultionem erigitur; non morbi, non inopia neceſſariorum eam deijciunt, quin in his ſibi placet, ſummúmq; ſtudium ponit, ut in vita ſe exerceat in omni manſuetudine ac tolerantia, quo immortali Deo, quantum poſſibile eſt mortali homini, quàm proximè accedat. Præſenti inſuper vitâ tanquam per tranſitum utens, neq; angitur deſiderio rerum acquirendarum, neq; eas ultra neceſſitatem procurat, ſed vitam ſimplicem tenuémq; commendans, aſpirat & anhelat indeſinenter ad futuram felicitatem ac beatitudinem. Itaq; dum incunctanter ad pietatem extenditur, fit ut execretur omnem turpitudinis notam, ut nec ad obſcæna quidem verba prorumpat, utpote propoſito ſuo contraria. Porro neceſſitates naturæ in arctum contrahens, cogénſq; corpus paucis eſſe contentum, temperantiâ libidinem, juſtitiâ vincit injuſtitiam, veritate mendacium, rectóq; ordine & ſtabili diſpoſitione medium in cunctis tangit. In concordia quoq; & communione erga proximum adeo piè ſe gerit, ut omnibus provideat tam amicis quàm peregrinis. Indigentibus omnia facit communia, ſingulis exhibet neceſſaria, nec hilaritate creat moleſtiam, nec triſtitiâ confundit miſericordiam. Paucis, hoc eſt omne ejus ſtudium,*

ut

Digitized by Google

ut ad curam veri boni ſe extendat, ſapienter dictis & prudenter excogitatis alios inſtruat, & tanquam medicamentis auditorum animos ſanet, verba faciens debito cum honore ac verecundia, excluſâ omni adulatione, irâ, & contentione. Nam cùm rationalis tota ſit, fit ut omnem motum irrationalem abſcindat, paſſionéſq; ſive in corpore, ſive in animo reprimat. Initium hujus optimæ Philoſophiæ, quorundam opinione ab Helia Propheta & Joanne Baptiſta fuit.

Hujuſmodi Philoſophorum apud Chriſtianos eſſe multa millia utriuſq; Sexûs, per univerſum pene mundum, ait S. Gregorius Nazianzenus: *non modo de obſcuro, ſed etiam de Illuſtri genere hominum olim in ſubſtantia, natalibus ac dignitatibus ſæculi, qui præbeant longè majora virtutum exempla, quàm unquam Philoſophi Ethnici ediderunt.* Ejuſmodi Philoſophiæ Alphabetum, ſive prima rudimenta Climacus ità deſcribit, dum nos ſimul ad veræ ſapientiæ fervens ſtudium invitat: *Intendamus*, inquit, *toto animo, videamúſq; ne fortè in diſcendo diutius remorati, in inſtitutis rudium inveniamur. Optimum in omnibus ac ſalubre alphabetum, obedientia, jejunium, cilicium, cinis, lacryma, confeſſio, ſilentium, humilitas, vigilia, fortitudo, frigus, labor, ærumna, contemptus, contritio, oblivio illata contumeliæ, fraternitatis amor, manſuetudo, fides ſimplex, omníq; curioſitate carens, curarum ſæcularium abjectio, amabile parentum odium, totius rei mortalis repudiatio, ſimplicitas innocentiæ conjuncta, ſpontanea vilitas.*

Orat. 3.

de diſcret. gr. 26.

O aureum alphabetum! â te diſcere incipiant mundi ſapientes, qui ſibi jam videntur ſcientiam hujus mundi totam exhauſiſſe. Extra hoc alphabetum, non eſt Religioſo neceſſarium, aliis ſcientiis animum applicare. B. Ægidius S. Franciſci comes ajebat: *ſufficit ſcientia bene beatéq; vivendi.* Quod ſi tamen etiam aliis ſcientiis, imò & ſæcularibus literis Religioſum applicari contingat, non perdit per hoc, imò perficit Religioſam ſuam ſapientiam, ſi modò non deſerat bonam & Religioſam vitam. Quamvis plerumq; mundana illa ſapientia, veram Chriſti ſapientiam deprimere ſoleat, & ſuffocare. Si Religioſus ſcientiâ ſtudio literarum acquiſitâ bene utatur, erit ſcientia qualis apud Lezanam deſcribitur â viro quodam gravi, pio, ac Religioſo: *ſcientia modeſta, & humilis, quæ ſui contemptum, proximorum converſionem, & Dei laudem concupiſcit, diligenter ſtudet, ità ut ſuo tempore valeat poni ſuper candelabrum; ſed ipſa, ſi Deo ità viſum fuerit, magis cupit latere, & eſſe*

vide Lezanam de reſor. Regul. c. 11.

eſſe ſub modio. Scientia charitatis plena, quæ de profectu Condiſcipulorum gaudet, illos amat, illos reputat, illos laudat, etſi doctiores aut ingenioſiores habeantur, non mæret, ſed vehementer exultat. Scientia ſapiens, diſcreta, & plena prudentia, non violenta temporis deprædatrix, ſed ſuis horis contenta, alias libentiſſimè orationi, & muneribus obedientiæ concedit. Scientia ingenua, verecunda, & circumſpecta, quæ non libertatem ac privilegia, non exemptiones affectat, ſed in id ſemper tendit, ut regulam diligenter ſervet, & teneat diſciplinæ cenſuram. Si è contra Religioſus ſcientiâ ſuâ malè utatur, eſt ipſius ſcientia *arrogans, & procax, & inverecunda, ſe ipſam exaggerans, novitates conſectans, Magiſtros ac Præceptores parvipendens, & aut minùs ſubtiles, aut nimiùs ſcrupuloſos accuſans. Eſt ſcientia libertatis amans, obſervantiæ inimica, relaxationis cupida, quæ diſciplinam fugit, mortificationes timet, ſeniorum monitiones averſatur, Regulas, ut non ſervet, interpretatur. Eſt tandem non ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, & diabolica.* Et rurſum: *Eſt ſcientia ſuperba & ambitioſa, quæ in teneris annis, & in principio Religioſæ vitæ jam ad primas ſedes, cathedras, ad pulpita, & ad elationes aſpirat. Eſt ſcientia invida laudis alienæ, ac condiſcipulorum ingenio & profectibus mærens, quæ opinioni ac laudi provectiorum invidet, ſubtilitatem & diligentiam æqualium contemnit, minorum imperitiam, & ruditatem irridet, & ſola ab omnibus laudari, & in univerſorum ore verſari ſtudet. Eſt ſcientia curioſa nimis, nihil quærens niſi quæ intellectûs intemperantiæ ſatisfaciant, & oſtentationi ac plauſui deſerviant; non quæ fratrum ſaluti proficiant.* *Idem cap. eodem.*

Hæc pſeudoſcientia omnem ſcientiam ſanctorum deſtruit, & evertit, nec eſt hæc ſapientia deſurſum deſcendens, ſed â ſpiritu maligno inſpirata, deprimens hominem in profundum abyſſi. Vera ſapientia, ut vidimus, ſinè periculoſa mundi hujus ſcientia bene ac ſalubriter poteſt conſiſtere, imò qui ſapiens videtur in oculis hujus mundi, minimùm plerumq; ſapit. Si veram ſapientiam quærimus, quærere illam debemus in ædibus, & hominibus mundo deſpectis, quibus titulus ſtultitiæ â mundo inſcriptus eſt; *verbum videlicet crucis* Religioſæ humilitatis & mortificationis, quod pereuntibus ſtultitiam eſſe ſcribit Apoſtolus, ſed ſtultitiam in Dei oculis ſapientem. Hic *qui vult ſapiens eſſe, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens. Sapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum*, & plurimi *dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* In quæ verba *1. Cor. 3.*

ait

Digitized by Google

ſerm. 8. de verb. Domini. ait D. Auguſtinus, *ſi dicendo te eſſe ſapientem ſtultus factus es, dic te eſſe ſtultum, & ſapiens eris.*

lib. 4. de vera ſap. c. 2. *Quamobrem* ut cum Lactantio loquar, *quid putamus fuiſſe cauſæ, cur tot ingeniis, tótq; temporibus, ſummo ſtudio, & labore quæſita ſapientia non reperiretur, niſi quod eam Philoſophi extra fines ſuos quæſierunt? qui quoniam peragratis & exploratis omnibus, nuſquam ſapientiam comprehenderunt, & alicubi eſſe illam neceſſe eſt; apparet illic potiſſimùm eſſe quærendam, ubi ſtultitiæ titulus apparet, cujus velamento Deus, ne arcanum divini ſui operis in propatulo eſſet, theſaurum ſapientiæ ac veritatis abſcondit.* *In Epitome div. inſtit. c. 1.* *Teneamus igitur innocentiam*, ait idem Lactantius, *teneamus juſtitiam, teneamus imaginem ſtultitiæ, ut veram ſapientiam tenere poſſimus.*

XVI. Satìs hucuſq; demonſtratum arbitror, quænam ſit vera ſapientia mortalibus exquirenda. *Did. Stell. de contem. vanit. par. 1. c. 86.* *Felix anima, quæ Dei ſapientiâ plena eſt. Felix ille, qui coram Deo ſtudet eſſe ſapiens. Pluris eſt una guttula ſapientiæ divinæ, quàm vaſtiſſimum quodvis pelagus ſapientiæ hujus Mundi.* * At ô tempora! ô mores! *Kemp. l. 3. de imit. Chr. c. 29.* * *Valde vilis & parva, ac pene oblivioni tradita videtur vera cæleſtis ſapientia.* *S. Ber. ſer. 6. de Aſc.* * *In Mundo hujus ſapientiæ modicum, ſi tamen vel modicum reperitur.* *In Confeſſ.* * *Vide*, Domine Deus, ut cum Auguſtino tuo te alloquar, *quomodo diligenter obſervent filij hominum pacta literarum & ſyllabarum, accepta à prioribus locutoribus, & à te accepta æterna pacta perpetuæ ſalutis negligant; ut qui illa ſanorum vetera placita teneat aut doceat, ſi contra diſciplinam Grammaticam, ſinè aſpiratione primæ ſyllabæ, ominem dixerit, magìs diſpliceat hominibus, quàm ſi contra tua præcepta hominem oderit, cùm ſit homo.* Et ut idem Sanctus ait infra: *Cùm homo eloquentiæ famam quærit, aſtans ante hominem Judicem, circumſtante hominum multitudine, inimicum ſuum odio immaniſſimo inſectans, vigilantiſſimè cavet, ne per linguæ errorem dicat inter hominibus, & ne per mentis furorem hominem auferat ex hominibus non cavet.* Hæc D. Auguſtinus. Quò etiam ſpectare videtur illud Richardi Victorini: *Multi ſunt, quos magìs puderet in oratione feciſſe barbariſmum contra regulam Priſciani; quàm protuliſſe mendacium in ſuo ſermone, contra regulam Chriſti.*

Pauci hodie illorum etiam, qui ſe putant eſſe Cathedrarum ornamenta, & pro doctiſſimis volunt reputari, docti ac prudentes ſunt ſecundùm ſpiritum; plures terrena ſapiunt, prudentes ſecundùm carnem.

Duces

Digitized by Google

Duces *cæcorum*, lumina *eorum*, *qui in tenebris ſunt*, eruditores *inſipientium*, Magiſtri *Infantium*, habentes *formam ſcientiæ & veritatis*, veram autem ſcientiam & ſapientiam non habentes. *Filij inſipientes ſunt & vecordes, ſapientes ſunt ut faciant mala* Multos quidem noſtro ſæculo habemus *eruditos corde*, ſed non *in ſapientia*. Ut illud D. Hieronymi liceat uſurpare: *philoſophi multi, philoſophi pauci.* Sapientes multi eſſe videntur, pauci verò ſunt verè ſapientes. *Quantos*, ut ait D. Bernardus, *ſupplantat ſapientia maledicta, ſapientia mundi, terrena, animalis, diabolica, inimica ſalutis, ſuffocatrix vitæ, Mater tepiditatis ejus, quæ ſolet Deo vomitum provocare; quæ quidem inebriat, ſed curioſitate, non charitate; implens, non nutriens; inflans non ædificans; ingurgitans, non confortans.* * *Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite.*

Rom. 2. Jerem. 4. Super Evang. Ecce nos. hom. 12. in Cant. XVII. Eccli. 50.

Duas gentes odivit anima mea, inquit Eccleſiaſticus, *Tertia autem non eſt gens quam oderim. Qui ſedent in monte Seir, & Philiſtijm, & ſtultus populus qui habitat in Sichimis.* Per ſtultum hunc populum, docti ſcientiâ ſuâ inflati judicio meo repræſentari videntur. Habitant enim in *Sichimis*, hoc eſt, in *humeris*; *Sichem* namq; humerus interpretatur; morantur in altis, aliíſq; ſupereminent, & illos deprimere conantur, ſive quòd ſemper ſint in humeris occupati, hoc eſt diverſis ſcribendorum & volvendorum librorum ſtudiis incumbant, ità ut etiam ſtulto labore frequenter conſumantur. Contempſerunt olim Sichimitæ templum Jeroſolymis, & ad ſimilitudinem illius aliud ſibi erexerunt circa Eccleſiaſtici tempora in monte *Garizim*; & jam olim perſecuti ſunt progeniem *Jerobaal*, quod interpretatur *impugnans idolum.* Sic etiam docti perſeqvuntur ſimplices, qui ſcientiæ idolum contemnunt & impugnant, quod ipſi adorant. Extruunt quoq; ſibi templa ſimilia templo ſapientiæ, cùm tamen ſapientia ipſorum non ſit vera, ſed falſa. Præterea populus Sichimitarum fuit commixtus ex Babyloniis, Cuthæis, Avathæis, Evathæis, Sepharnaimitis, ità ut illum nomine gentis indignum judicaverit Eccleſiaſticus, utpote ex plurimis ac diverſiſſimis gentibus commixtum. Populus quoq; ſapientûm hujus mundi ex diverſiſſimis capitibus & ingeniis conflatur, nec tantùm diverſis, ſed etiam inter ſe pugnantibus. Tandem ideo ſtultus dicitur hic populus, quia cum vero Deo etiam idola colebat, ut conſtat ex ultimo Regum libro. Ità etiam docti, cùm ſe verum Deum colere, ejúſq; fidem ac religionem

illuſtrare glorientur, colunt tamen ſimul Idola vitiorum, idola ſuperbiæ ac vanitatis. Hinc pluribus titulis in ſtultitiam recidit omnis Religio & ſapientia illorum.

Habes igitur jam ſtudioſe ſcientiarum cultor veram ſapientiam tibi demonſtratam, quam toto corde inquiras, cui diebus noctibúſq; incumbas. Faceſſant cuncti ſapientes Babylonis, quorum Deus ſtultam fecit ſapientiam, qui ſcientiâ vanâ tumidi, eâdémq; alios tumefacientes, ſuper eos qui ſtulti propter Chriſtum facti ſunt, faſtuoſo ſupercilio extolluntur, quorum inſipiens cor obſcuratum eſt, quíq; dicentes ſe eſſe
Luca. 11. ſapientes, ſtulti facti ſunt. *Væ vobis Legisperitis! quia tuliſtis clavem ſcientiæ; ipſi non introiíſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis.* Clavem veræ ſcientiæ tuliſtis, quia ejus adyta, quæ nunquam introſpexiſtis, penetrare volentes, malo vitæ veſtræ exemplo avertitis, & hominum corda paſcitis vanitatibus & inſaniis falſis.

XVIII. Ad vos me nunc converto, quos Cæleſtis nutrit ſapientia, in quibus humani generis typhus nil vacuum, nil inane â cæleſti reperit doctrina. Sinite prudentiores eſſe ſuâ prudentiâ filios hujus ſæculi filiis lucis,
Jerem. 4. ſinite eos ſapiendo deſipere; ad hoc enim *ſapientes* ſunt *ut faciant mala.* Exiſtimate hæc omnia, propter quæ ſuper vos ipſi extolluntur, detrimentum eſſe *propter eminentem ſcientiam JESU Chriſti* Domini veſtri,
Philip. 3. *propter quem omnia detrimentum feciſtis, & arbitramini ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciatis.*

S. Bernar. de vita ſolit. *Studia veſtra etſi literis aliquando juvantur, & utuntur, non tamen literatoria ſunt, non cavillantia, non diſputantia, non garrula; ſed ſpiritualia, pacifica, humilia, humilibus conſentientia. Studia hæc ſilentium amant, quietem deſiderant cordis in labore corporis, paupertatem ſpiritûs & pacem in omnibus preſſuris, bonam conſcientiam in omni puritate cordis & corporis. Hæc ſanctificant animum, qui ea habet. Vana verò illa, nugigerula, verboſa, contentioſa, curioſa, ambitioſa, etiam*
S. Bernar. Ibidem. *ſanctum animum, vel jam perfectum diſſipant & corrumpunt. Studia veſtra non tã ſcrutantur virtutum flores quàm radices; non ut luceant, ſed ut ſint; non ut ſciantur, ſed ut habeantur. Sapientia demum veſtra non curioſitatem acuit, ſed charitatem accendit.* Sinite Sapientes
Idem de ſcala clauſtrali. hujus mundi typho ſuo turgentes. *Evanuerunt omnes in cogitationibus ſuis, & ſapientia eorum devorata eſt, quam eis contulerat humana ſtudium diſciplina, non ſpiritus ſapientia, qui ſolus dat veram ſapientiam, ſapi-*

ſapidam ſcilicet ſcientiam, quæ animam cui inhæſit, inæſtimabili ſapore jucundat & reficit. Hæc eſt fideliſſima, hæc eſt vera ſapientia, hæc perfecta juſtitia: declinare à malo & facere bonum. * *Nihil ad nos attinet quid judicent ſtulti, quid homunculi ſentiant, nos judicium Dei expectare debemus, ut eos poſtmodum qui de nobis judicaverint, judicemus.* * *Sciant igitur errare ſe*, inquit Lactantius, *qui profanam Philoſophiam* (idem eſt de aliis hominum ſcientiis) *putant eſſe ſapientiam; non trahantur authoritate cujuſquam; ſed veritati potiùs faveant ac cedant. Nullus hîc temeritati locus eſt, in æternum ſtultitiæ pœna ſubeunda eſt, ſi aut perſona inanis, aut opinio falſa deceperit.* Aut ſi ſuum errorem neſciunt, & quia ignis ſuperbiæ ac vanitatis ſupercecidit, non vident ſolem, ac pſevdoſophiæ ſuæ caligine obcæcati delectantur, & ſapienter per viæ ſuæ noviſſima ruunt in infernum, melioribus ſaltem non detrahant, non ſibi judicium adaugeant blaſphemando agmina ſapientiæ viventis, aut ſi non deſinunt, Judica illos DEUS, confundantur omnes qui ſapientiam tuam perſeqvuntur, quam te Magiſtro didicimus, qui vias tuas poſtquam in carne noſtra apparuiſti, nobis demonſtratas, plenas ſcientiæ & veritatis ſcire nolunt, vias ſcilicet manſuetudinis, patientiæ, & humilitatis. Inſtilla menti meæ Pater ſcientiarum veram illam ſapientiam mundo jam contemptam. Noverim te DEUS, amor meus, noverim te, noverim me. *A te doceri beata veritas humiliter imploro, abſq; te enim ſapere, eſt deſipere; te verò nôſſe, eſt perfectè ſcire. Erudi me divina ſapientia, & doce me legem tuam, credo namq; beatus erit quem tu erudiêris, & de lege tua docueris eum.* * *Cui tu ſapis, quid ei rectè non ſapit? & cui tu non ſapis, quid ei ad jucunditatem eſſe poterit? Sed deficiunt in ſapientia tua mundi ſapientes, & qui carnem ſapiunt, quia ibi plurima vanitas, & hîc mors reperitur.* Miſericordias tuas antiquas, amariſſimæ tuæ myſteria paſſionis, vulnera corporis tui ſacratiſſima meditari cum D. Bernardo, *dixi ſapientiam; in his juſtitiæ mihi perfectionem conſtitui, in his plenitudinem ſcientiæ, in his divitias ſalutis, in his copias meritorum. Hæc mea ſublimior interim Philoſophia, ſcire JESUM & hunc crucifixum.*

Lactant. in Epitome divin. inſtit. c. 1. Idē de fal. ſap. c. 13.

S. Auguſt. medit. c. 5

Kemp. lib. 3. c. 34.

D. Bern. hom. 44. in Cant.

Attende igitur ô homo quam ſapientiam tibi eligas. Sic ſape ne deſipias. Mundi Scientia prædicat tibi: SCI, ENTIA.

Tu verò SCI *unum* ENS, *ſic eris verè* SCIENS,
ENS *illud*, Alpha omegáq; *eſt rerum omnium.*

Scientia verò hujus mundi, ut deſumptũ ex ejus nomine anagrama teſtatur, *NESCIIT A.*

Doctus eris, ſolum cum omega noveris alpha,
Cunctorum finem, principiúmq; Deum.
Hunc tamen ignorat mundana ſcientia, primum
Neſcijt A, *Reliquum quid ſciet ergo? nihil.*

Hæc de vera & falſa ſapientia dicta ſufficiant, ex quibus abunde dignoſci
Chronoſt. poſſunt viæ, quibus ad utramq; tenditur. Nos viam, ſacræ ſcripturæ,
añ.1676. ſanctorúmq; Patrum teſtimoniis nobis demonſtratam teneamus, de qua
Iſa. 35. 8. nobis inclamat Iſaias: ErIt VobIs DIreCta VIa, Ità Vt ſtVLtI non er-
Chronoſt. rent per eaM. Niſi cum illis, â via & ſcopo, tam ſalutis, quàm veræ
ejuſdẽ añ. ſapientiæ velimus aberrare, qui ut ſcribit Propheta Baruch: VIaM Di-
Baruch 3. 27. SCIpLInæ non InVenerVnt, propterea perIerVnt.

CAPUT XXXIV.

In Cœlo conſummata ſapientia & ſcientia, nulla in inferno.

I. ESTò in terris inveniri poſſit vera ſapientia, ea tamen nimis imperfecta eſt, ſi conſummatæ illi, quam in cælis aſſequi ſperamus, comparetur. *Illic omnes,* ait Divus Gregorius, *communi claritate Deum conſpiciunt, & quid eſt quod ibi neſciant, ubi*
1. Cor. 13. *ſcientem omnia ſciunt?* ſive ut ſcribit D. Auguſtinus, *quid eſt quod ibi non videant, qui videntem omnia vident?* Nunc *ex parte quidem cognoſcimus,* ſed ex potiori *parte prophetamus; cùm autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt. Cùm eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus,* inquit Doctor gentium, *quando autem factus ſum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* Poteſt verè ſcientia noſtra, quam in via hujus vitæ, de Deo, aliíſq; rebus habemus, ſcientia parvulorum, ſeu puerilis & infantilis nominari, in comparatione virilis illius & perfectæ, quæ in cælis eſt. *Videmus ſcilicet nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem videbimus facie ad faciem. Nunc cognoſcimus ex parte, tunc autem cognoſcemus, ſicut & cogniti ſumus.* Nunc iis quæ videmus intendimus *quaſi lucernæ*
2. Petri. 1. *lucenti in caliginoſo loco,* tunc *autem dies illuceſcet, & lucifer orietur*

in cordibus noſtris. Dicet tunc doctiſſimus quiſq; Theologus, ſi tamen in ſorte filiorum Dei fuerit computatus: *apparet quod ignoraverim multa nimis.* 1. Reg. 26.

Diſce, inquit Propheta Baruch, *ubi ſit prudentia, ubi ſit virtus, ubi ſit intellectus, ut ſcias ſimul ubi ſit longiturnitas vitæ & victûs, ubi ſit lumen oculorum & pax; quis invenit locum ejus, & quis intravit in theſauros ejus?* Nullus certè intravit mortalis viator, niſi fortè ipſum rapi contigerit ad tertium cælum, & audire arcana verba, quæ non licet homini loqui. Vadimus in hac vita poſt ſapientiam *quaſi inveſtigatores*, reſpicimus *per feneſtras illius, & in jannis illius* audimus; requieſcimus *juxta domum illius, & in parietibus illius* figimus *palum.* Statuimus *caſulam ad manus illius.* In domum verò ſuam nondum nos intromittit. Poſt hanc primò vitam in ejus adyta & intima penetralia introducemur, ubi ſpeculabimur theſauros illius. Ad hanc ſtellatam ſapientiæ Regiam, oculis ad ſuperna levatis, ſuſpirans exclamat prænominatus Propheta Baruch, poſtquã ſapientiæ habitationem inveſtigâſſet: *ô Iſraël quàm magna eſt Domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus.* Quaſi diceret: Domine dilexi decorem domûs tuæ, & locum habitationis ſapientiæ tuæ. Addit poſtea: *Qui ſcit univerſa, novit eam, & adinvenit eam prudentia ſua.* O beata prudentia, quæ ad hunc feliciſſimum ſapientiæ locum deducis. *Multi quidem* prudentes *ſecundùm carnem viam diſciplinæ ignoraverunt, neq; intellexerunt ſemitas ejus, â facie ipſorum longè facta eſt; multi quoq; filij Agar, qui exquirunt prudentiam* quæ de *terra eſt, fabulatores & exquiſitores prudentiæ & intelligentiæ, viam hujus ſapientiæ neſciêrunt, neq; commemorati ſunt ſemitas ejus.* cap. 3. Eccli. 24. Baruch: ibid.

D. Bernardus poſt obitum ſuum multis gloriam ſuam manifeſtâſſe ſcribitur. Inter alios cuidam Abbati in quodam Monaſterio apparuit, & ut ſequeretur admonuit; qui cùm ſequeretur, dixit ei vir Dei: *Ecce ad montem Libani venimus, & tu hîc manebis, ego autem illuc aſcendam.* Interrogatus ab eo, ad quid vellet aſcendere? *diſcere*, inquit, *volo.* Miratus ille: *quid*, inquit, *vis diſcere Pater, cui nullum hodie in ſcientia credimus eſſe ſecundum?* Et ille: *nulla hîc ſcientia, nulla veri cognitio, ſurſum ſcientiæ plenitudo, ſurſum vera notitia veritatis.* Et in hoc verbo diſparuit. O felicem Bernardũ! quem ſancta ſua prudentia, Deo greſſus dirigente, eò deduxit, ubi jam non ponit ampliùs aurẽ ad os hominũ, ſed ſpirituale os ad fontẽ divinũ, ex quo perfectã ſapientiam affluentiſſimè bibit ſinè fine felix.

Sci-

Digitized by Google

Scientia noſtra, quam pro ſtatu viæ hujus habemus, quàm eſt incerta, quàm dubia, quàm fallax, inconſtans, & evanida; agnovit hoc Eccleſiaſtes, qui omnium maximè animum ſuum contemplandæ & indagandæ ſapientiæ, quam hìc obtinere poſſumus, applicuit, vix tamen aliquod diſcrimen inter doctos & indoctos, etiam ſpectatâ ratione ſcientiæ admittere videtur, omnéſq; pares facere intuitu ſapientiæ illius in altero ſæculo obtinendæ, in cujus comparatione ſcientia noſtra rudem inſcitiam nihilo ferè ſuperat, & penitus evaneſcit, ſicut montes altiſſimi, valléſq; profundiſſimæ Orbis terrarum evaneſcunt in comparatione totius

c. 6. univerſi. *Quid habet*, inquit Eccleſiaſtes ſupradictus, *amplius ſapiens à ſtulto, niſi ut pergat illuc, ubi eſt vita?* Tunc demum ſapienti ſuper ſtultum prærogativam concedit, ſi ſapiens pergat illuc, ubi eſt vita, ubi eſt vera conſummatáq; ſapientia, cui vitæ vita noſtra comparata, mors eſt potiùs dicenda quàm vita; cui ſapientiæ noſtra collata, ignorantia potiùs eſt vocanda, quàm ſapientia. Vides igitur quàm exiguo ſcientiæ momento doctus ſtultum vitæ hujus tempore ſuperemineat; pariter uterq; moritur, pari oblivione & illius ſcientia & alterius ſtultitia ſepelitur, utriq; pariter, niſi quòd ſtulto ſecurior ad beatam illam vitæ alterius ſapientiam patet acceſſus; quæ omnia Eccleſiaſten moverunt,

Eccle. 2. ut diceret: *dixi in corde meo, ſi unus & ſtulti & meus occaſus erit; quid mihi prodeſt quòd majorem ſapientiæ dedi operam? locutúſq; cum mente mea, animadverti quòd hoc quoq; eſſet vanitas. Non enim erit memoria ſapientis ſimiliter ut ſtulti in perpetuum, & futura tempora oblivione cuncta pariter operient. Moritur doctus ſimiliter ut indoctus. Et idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala univerſa eſſe ſub ſole, & cuncta vanitatem & afflictionem ſpiritûs.*

II. Dictum eſt hactenus & oſtenſum, perfectam conſummatámq; ſapientiam in cælo ſolùm reperiri. Nunc demonſtrandum eſt per anthitheſin, nullam eſſe in Inferno, quem ſcripturæ ſæpiùs vocant terram oblivionis. Serio unumquemq; ſcientiam hujus mundi curioſiùs &

Eccle. 9. avidiùs ſectantem admonet Eccleſiaſtes: *Quodcunq; facere poteſt manus tua, inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Ait quoq; in eodem capite: *mortui nihil noverunt ampliùs.* Veritatem hanc Poëtæ mihi adumbrâſſe videntur in fluvio ſuo lethe, quem ajunt eſſe apud Inferos, quo guſtato, animas omnium rerum oblivionem incurrere aſſeverant. Inde etiam

Digitized by Google

etiam lethum, ſeu mors videtur derivari, quoniam omnium rerum, reprobis præſertim adfert oblivionem. Exemplum hujus rei memorabile refert Cantipratanus, de Philippo Cancellario Pariſienſi, qui poſt mortem velut umbra Guilielmo Pariſienſi Epiſcopo apparuit, dixitq; ſe damnatum, & ab Epiſcopo quæſivit: *eſtne finitus mundus?* cui Epiſcopus admirans reſpondit: *miror te literatiſſimum quondam virum hoc quærere, cùm me adhuc vivum cernas, & omnes nos viventes, adhuc mori neceſſe ſit, antequam mundus inſtante judicio finiatur.* Cui iterum umbra: *non mireris*, inquit, *quia nec ſcientia, nec opus, nec ratio eſt ad inferos venienti.* Et his dictis ab oculis ſtupefacti Præſulis evanuit. *Apum lib. 1. c. 19. n. 6.*

III. In Inferno igitur, velut â tabulis abraditur omnis hîc hauſta ſcientia literatorum, & ô utinam omnis! Illarum enim rerum & objectorum, quorum mentio eſt dolorifica, oblivionem non incurrent, ſed ſemper ante mentis oculos vexantem & cruciantem patientur eorum memoriam, qui maximus damnatorum aſſeritur eſſe cruciatus; dum videlicet vivaciſſimâ apprehenſione infelicitatem ſuam æternam concipiunt, dum ſerò apprehendunt, ob quam momentaneas vanitates, & tranſitorias atq; inanes voluptates, tanta gehennæ ſupplicia, tantæq; beatitudinis, levi bonorum operum pretio ac labore in vita comparabilis, damnum & jacturam incurrerint, æternum væ cantaturi, ſinè *fine* infelices.

Tam horrificum hoc damnatis eſt tormentum, ut omnibus gehennæ ſupplicijs palmam præripiat, & multi Theologi qui ignem corporeum in animas etiam ſupernaturaliter agere poſſe negant, ſolâ ignis illius ut præſentis & dolorifici apprehenſione, ſufficientiſſimè ad pænam omnibus pænis intenſiorem animas cruciari aſſeverent. Plus tamen doctos, quàm alios, maximo hujuſcemodi gehennæ tormento cruciandos arbitror; par enim eſt, ut qui malo intellectûs ſui uſu plurimùm peccaverunt, per intellectum quoq; plurimùm puniantur.

His quæ diximus adſtipulatur S. Antoninus, qui inter inferni pænas etiam recenſet *excæcationem, ſeu obfuſcationem rationis*, quæ nihil in inferno videbit, nihil apprehendet, nihil intelliget, niſi pænale. *Tantam in pænis reprobi ſuſtinebunt anguſtiam*, inquit Innocentius, *ut nihil cogitare valeant præter pænas, ſed illuc dirigent impetum cogitationis, ubi ſentient vim doloris.* Qui etiam narrat ſequentem hiſtoriam de quodam ſcholari defuncto. Hic ſuo Magiſtro nocte quadam apparuit, ſéq; in barathrum æternæ damnationis præcipitatum eſſe dixit. *Innoc. III. ſerm. 2. in die Cin.*

Cùm

Cùm verò inter argumentantes cùm viveret facilè primus fuiſſet, interrogavit eum Magiſter, utrùm etiam in inferno diſputationes locum haberent? cui miſer: *apud inferos ſolùm quæritur quid non ſit pœna.* Cúmq; eum interrogâſſet, quomodo quæſtio ſolveretur? reſpondit: *negativè*, ſive *per nihil.* Inſinuare volens, nihil eſſe in inferno, nihil â damnatis ſentiri & cogitari niſi pœnam. Ad hunc locum pervenient docti, ſuo intellectu vanè abutentes. Quantùm ſe hîc per ſuam ſcientiam glorificaverint, tantum illic recipient tormentum & luctum. Cruciabuntur non modicâ pœnâ ſensûs, pœna verò damni, quæ reprobis eſt intolerabilior, quàm ulla ſensûs pœna; in ipſis erit longè intenſiſſima; exquiſitiùs enim & perſpicaciùs quàm cæteri videbunt, quid bonorum perdiderint, & quid malorum incurrerint.

Narratur de quodam damnato, quòd cùm bona iniquè poſſeſſa ante mortem reſtituere noluiſſet, ut filio, quem tanquam legitimam & unicam ſuam prolem valde diligebat, locupletius poſt ſe patrimonium relinqueret, eámq; ob cauſam inferno eſſet adjudicatus, Deo revelante ibidem cognoverit, filium illum ſuum putatitium, cujus amore damnationem æternam ſubire non dubitavit, non ſuum, ſed alienum, & ex conjugis ſuæ adulterio fuiſſe progenitum. Quæ res præ omnibus aliis inferni ſuppliciis illum cruciabat. Cruciabuntur etiam docti in gehenna vehementiſſimè, cùm viderint ſe propter ſcientiam damnatos, ſcientiam brevem, vanam, fallacem, adulterinam, quam tamen ipſam ſe videbunt perdidiſſe, nec niſi culpam & inſipientiam ad infernalia pœnarum loca ſecum deportâſſe.

Expergiſcimini itaq;, quotquot profundo ſcientiarum inanium ſopore demerſi ſtertitis, & de ſalute veſtra parum curatis. Hæc quæ dicta ſunt corde volvite, hæc animo ruminate, ſcientiam ſanctorum diligite, ut conſummatam illam in cælis haurire quandoq; mereamini; vanam & inanem repudiate, cujus gloria ad inſtar puncti, tempore quod velut umbra præterit, in æternam poſtea tranſire ſolet oblivionem.

Anſam hic mihi dat iterum, paucos pro fine Capitis addendi verſiculos, novum ex nomine SCIENTIA deſumptum Anagramma: IIT SCENA.

Ut clausâ ſcenâ totius forma theatri,
Rerúmq; actarum grata figura perit;

Sic

Sic cùm tranſiërit vita noſtra ultima ſcena,
Et decor & cunctus contumulatur honor.
Cum reliquis etiam mundana ſcientia tranſit,
Attamen illius pœna luenda manet.

CAPUT XXXV.

Idiotarum & ſimplicium ſors extollitur.

QUid neceſſe eſt homini majora ſe quærere, cùm ignoret, quid conducat ſibi in vita ſua, numero dierum peregrinationis ſuæ, & tempore, quod velut umbra præterit? Quæ ſcientia conducens ſit homini, imò quæ neceſſaria in vita ſua, jam ſuperiùs declaratum eſt. Multi tamen hodierno tempore aureum tempus in perituram pſeudoſcientiæ inſumunt operam, & majora ſe quærentes, humilia & potiora negligendo, typho ſuo inflati & elati terram lingunt. Vident quoſdam non tantum inanis hauſiſſe venti, nec tam ſcientiâ quàm Religione ac probitate Dei Eccleſiam magìs ædificante inſtructos. Vident, ſed rident & cavillantur, rerum curioſarum inutiliúmq; ignorantiam, inſcitiam, & inſipientiam judicantes, ignari quòd horum columbinæ ſimplicitati ſerpentina quoq; non deſit prudentia, ipſis aliiſq; in bonum ſufficiens, non venenoſa tamen, non inflans, non pungens, non carnis, ſed ſpiritûs. Quòd ſi fortè cum Maria optimam ſibi partem deligentes, ſibi Deóq; magìs vacare, quàm cum Martha circa frequens miniſterium ſatagant inveniri; Quòd ſi eruditionem ſæcularem, Philoſophiæ profanæ notitiam, artéſq; liberales vulgò dictas non tantopere ſectentur, non illico damnoſæ ignorantiæ, vel deſidis & otioſæ inertiæ damnandi ſunt. Nôrunt illi quàm optimè quæſtuoſum ſuum otium, nôrunt pericula Marthæ foris, non detrectaturi tamen ſi ità juberet neceſſitas, de ſalicibus quietis ſuæ ſuſpenſa detrahere organa, doctrinæq; inſtrumenta depromere. I. Eccle. 7.

Sed eſto nihil horum poſſet ſancta ſimplicitas, an tamen neſciunt, non omnes omnia poſſe, nec præſtare debere? & corpus non eſſe unum membrum, ſed multa? neq; oculum, cui docti tanquam plurima videntes ſe comparant, poſſe dicere manui: *operâ tuâ non indigeo*; ubi per manum libenter ferent ſe denotari humiles & ſancti Idiotæ. Nôrunt 1. Cor. 12.

enim laudabiliorem eſſe bona facientem, quàm multa bona otiosè videntem. Sint igitur alij oculus ô ſimplices, vos manus eſſe perdurate. Videant illi perſpicuè quod faciendum eſt, vos & facite. Neſciunt illi, quòd ſi fuerit oculus typho gloriæ inanis tumens, ſi pſeudoſcientiarum caligine ſuffuſus, totum ejus in corpore moderando ceſſet officium. Neſciunt, quæ videntur membra corporis infirmiora, neceſſariora eſſe ſecundùm Paulum, & quæ putamus membra ignobiliora eſſe corporis, his honorem abundantiorem tribuendũ. Neſciunt deniq; cædem Amalecitarum, non tam armis ac virtuti forìs militantium, quàm Moyſis à turba ſegregati, levatis in colle manibus attribuendam.

1. Cor. 12.

II. Notum eſt, quòd ſcientia cum ſuis ſectatoribus nihil ferè magìs oderit, quàm pia & humilia, maximè verò choralia Religionis exercitia, quibus etiam invidet tantum quotidie temporis eſſe conſecratum, quòd ſuis illa ſtudiis totum vellet impenſum, ſe magìs creſcere & inflari cupiens, quàm laudem divinam promoveri. Ambit quidem labores, ſed famoſos, & honorificos, quibus nomen ejus in populo creſcat; ſimplicia verò munia faſtidit. Utinam potiùs doctorum pulmones ad cantandas Dei laudes, quàm corda in ſuperbiam, aliorúmq; contemptum inflaret. Sed ipſa magìs cantari appetit, quàm cantare. Nec ſcio quod eidem ſcientiæ faſtidioſius poſſit imperari, quàm quod ex ejus nomine per grammatum tranſpoſitionem elicitur *I. I. cantes*. Sed veniet tempus cùm ſimplices ac devoti Choraliſtæ, qui nunc vocari ſolent *aſini chorales*, cantabunt & *laudabunt præ exultatione cordis*; vani verò ſcientiarum ſectatores, pro laudum divinarum cantu, quem nunc rident, & ſpernunt, ſempiternos dabunt ploratus, clamabunt *præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritûs* ululabunt. *Canta & lauda Deum frater Simpliciane, quoniam reliquiſti prudentiam hujus ſæculi, & fallacias diaboli cum nundinis ſuis, & curas terrenas ejus longè abjeciſti. Gratias age, quia meruiſti audire veri Salomonis ſapientiam, Domini noſtri JESU Chriſti, in ſua humilitate & manſuetudine.*

Anagr. ſcientiæ. *Iſaiæ. 65.* *Kemp. in conſolat. pauperũ, num. 8.*

Deſinant igitur, qui malè & non ad ſobrietatem ſapiunt, otia ſancta multorum ſugillare, Idiotarum & ſimplicium conditioni detrahere, acſi nihil in corporis Chriſti gaudium conferrent. Nam *qui corde mundo eſt atq; pacificus, & perſecutionem pro veritate patitur, nihilominus in commune commodum vitam inſtituit*, teſte S. Chryſoſtomo. Verum quidem etiam eſt illud D. Hieronymi: *Nec Ruſticus & ſimplex frater ideo*

Hom. 15. in Matth.

ideo ſe ſanctum putet, ſi nihil noverit; nec peritus & eloquens linguâ æſtimet ſanctitatem. Multò tamen melius eſt è duobus imperfectis ruſticitatem ſanctam habere, quàm eloquentiam peccatricem. Scio juxta eundem ſancti nominis Doctorem, *quantùm inter ſe diſtent juſta ruſticitas, & docta juſtitia.* Quia tamen rara nimis eſt juſtitia docta, frequentior ſancta ruſticitas, frequentiſſima docta injuſtitia, ſanctam, ſi velis etiam ruſticam, Deo tamen ſat moratam defendo ſimplicitatem, cui Deus cognitus & amatus ſatis eſt. Quæ id novit, ut ejuſdem D. Hieronymi verbis utar, *quod Doctus Plato neſcivit, quod Demoſthenes eloquens ignoravit,* quod ſapientes hujus ævi neſciunt, de quibus dicitur: *perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentûm reprobabo.* *S. Hieron. ad Nepotianum. Epiſt. ad Paulinū.*

Veriſſima eſt illa Kempenſis ſententia: *homo pacificus magis prodeſt quàm bene doctus.* Teneant modò ſimplices, ſecundùm quod poſſibilitas ipſorum patitur, ordinis ſui diſciplinam, & animas ſuas dum ſuperbit impius, in patientia ſalvent, & rideant dum foditur peccatori fovea, qui vanè laudatur in deſideriis animæ ſuæ, credántq; ſe in uberius domuum ſuarum emolumentum vivere, quàm ſi vano ſcientiarum quæſtu, vel ſcribendi laude famam earum millies auxiſſent. *de imit. lib. 2. c. 3.*

Solent nonnulli in deligendis Religionum Candidatis potiſſimùm ſpectare talentum ſcientiæ, ſanctámq; omnino reijcere ſimplicitatem. Quibus Jordani Magiſtri Ordinis Prædicatorum ſecundi Exemplum, ſi non imitandum, at legendum ſaltem neq; contemnendum propono. Suſcepit ille ad Ordinem Prædicatorum Pariſijs uno tempore juvenes ſexaginta, nullius penè literaturæ, ſuper quo à fratribus graviter apud generale Capitulum accuſatus, ſpiritu ſancto repletus dixit: *ſinite iſtos, ne contemnatis unum ex his puſillis; dico vobis, quòd multos, & ferè omnes Prædicatores videbitis glorioſos, & per quos Dominus ſuper multos lucidiores & literatiores in ſalutem operabitur animarum.* Quod nos, ait Cantipratanus hoc exemplum enarrans, veridico ore dictum, uſq; in hodiernum diem vidimus, & videmus.

III. Libet hîc in ſimplicium conſolationem, & literatorum præſumptionem reprimendam, ſanctiſſimi Doctoris Auguſtini dicta quædam ex Confeſſionibus ipſius depromere. *Cùm audio,* inquit, *Chriſtianum aliquem fratrem, illum, aut illum, iſta neſcientem, & aliud pro alio ſentientem; patienter intueor opinantem hominem, nec illi obeſſe video, cùm de te Domine Creator omnium non credat indigna, ſi fortè ſitum &* *Confeſſ. lib. 5. c. 5.*

Ibid. c. 4. *habitus creaturæ corporalis ignoret.* * *Nunquid Domine Deus veritatis quiſquis novit iſta jam placet tibi? infelix enim ille homo qui ſciat illa omnia, te autem neſcit. Beatus autem qui te ſcit, etiamſi illa neſciat. Qui autem & te, & illa novit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolùm beatus eſt, ſi cognoſcens te ſicut Deum glorificet, & gratias agat, & non evaneſcat in cogitationibus ſuis. Sicut enim melior eſt qui novit poſſidere arborem, & de uſu ejus tibi gratias agit, quamvis neſciat, vel quot cubitis alta ſit, vel quantâ latitudine diffuſa, quàm ille qui eam metitur, & omnes ramos ejus numerat, & neq; poſſidet eam, neq; creatorem ejus novit aut diligit; ſic fidelis homo, cujus totus mundus divitiarum eſt, & quaſi nihil habens omnia poſſidet, inhærendo tibi cui ſerviunt omnia, quamvis nec ſeptentrionum gyros noverit, dubitare ſtultum eſt, quin utiq; melior ſit, quàm menſor cœli, & numerator Siderum, & penſor elementorum, & negligens tuî, qui omnia in menſura, & numero,*

Ibid. c. 5. *& pondere diſtribuiſti.* * *Vanitas eſt mundana iſta etiam nota profiteri, pietas autem tibi confiteri.*

Ibid. * *Pereant igitur hæc omnia*, ut cum eodem D. Auguſtino exclamem, *& dimittamus hæc vana & inania, conferamus nos ad ſolam inquiſitionem veritatis. Vita hæc miſera eſt, mors incerta, ſi ſubitò obrepat quomodo hinc exibimus? & ubi nobis diſcenda ſunt quæ hîc neglexìmus? an non potiùs hujus negligentiæ ſupplicia luenda ſunt?* Volvant hæc animo docti, qui toto vitæ ſuæ tempore inanibus futilibúſq; ſe totos dedunt, de horum ſcientia vanè gloriantur, utilia ac neceſſaria penitus negligentes, aut ſterili eorum cognitione tumentes. Ille beatus, ille dicendus eſt verè ſapiens, qui divinam novit veritatem, ejúſq; juſſa ſimpliciter & fideliter exequitur, quod etiam Alvarez atteſtatur, in confuſionem nonnullorum pſeudoſapientûm ità ſcribens: *ô*

Alvarez vita ſpirit. lib. 4. par. 1. cap. 1. *homo tu ſapientem putas magnum Theologum, qui acutè res divinas explicat, ingenioſè diſputat, ſubtiliter contrariorum rationes diſſolvit, licèt videas eum ſuperbum, indignabundum, vanis honoribus inhærentem, & divitias ac dignitates & mundanum ſplendorem aucupantem; Ego verò ſapientiorem fuiſſe exiſtimo pauperem Franciſcum, aut Laicum Religioſum, qui nec diſputare, nec profunda exponere, nec ſyllabas jungere novit, cùm videam illum humilem, manſuetum, & res divinas non ſicut picam loquacem ad arrogantiam effundentem, ſed eas ſimplici corde intelligentem, & profundiſſimo affectu venerantem. Qui profectò poſſit alteri dicere: Tu ſcientiam habes, & ego opera virtutis habeo; oſtende*

mihi

mihi ſapientiam tuam ſinè operibus, & ego oſtendam tibi ex operibus ſa- Jacobi. 2.
pientiam meam. Si ergo magìs operibus, quàm verbis credendum eſt, hunc alteri ſapientiâ præſtare credamus, quem ſapientiæ opera ſapientem demonſtrant, non argutiæ verba ſciolum & arrogantem declarant.

D. Bernardus hom. 44. in Cant. ſuper illud: *collũ tuum ſicut monilia*, dicit: *ſolet ornari collum monilibus, non ipſis comparari. Sed hoc illæ faciant, quibus quoniam de proprio non ineſt decor, aliunde neceſſe eſt ut mendicent, unde ſe ſpecioſas mentiantur. Nam ſponſæ collum ità in ſe ipſo formoſum, & tam decenter quaſi naturâ formatum eſt, ut extrinſecus non requirat ornatum. Quid enim opus eſt peregrinorum fucos adhibere colorum, cui propria tanquam innata ſufficit pulchritudo, in tantum, ut ipſorum quoq; quæ ad ornandum quæruntur monilia, poſſit adæquare nitorem?* ait infra, ipſum animæ intellectum colli nomine deſignari, per quem ſcilicet anima traijcit in ſe ſpiritûs vitalia alimenta, & ſubdit: *Hoc igitur ſponſæ collum, id eſt purus & ſimplex intellectus, cùm nudâ & apertâ veritate ſatìs per ſe ipſum reniteat, non indiget ornamento, ſed ipſum magìs tanquam pretioſum monile animam decenter exornat, ac proinde ſimile monilibus ipſis deſcribitur. Bonum monile veritas, bonum puritas ſive ſimplicitas, bonum planè monile ſapere ad ſobrietatem. Philoſophorum vel hæreticorum intellectus non habet hunc in ſe puritatis veritatiſq; nitorem, & ideo multam curam gerunt ipſum colorare & fucare phaleris verborum & verſutiis Syllogiſmorum, ne ſi nudus appareat, falſi etiam appareat turpitudo.*

Quærendum exiſtimo, inquit alibi idem D. Bernardus, *ſitne igno-* IV.
rantia omnis damnabilis; & mihi quidem videtur non eſſe, neq; enim hom. 39.
omnis ignorantia damnat, ſed multa & innumera eſſe quæ neſcire liceat in Cant.
abſq; diminutione ſalutis. V.G. ſi quis ignorat fabrilem artem, ſeu carpentariam, aut cæmentariam, & quaſcunq; iſtiuſmodi artes, quæ ad uſum vitæ præſentis ab hominibus exercentur, nunquid impedit ad ſalutem? Etiam abſq; omnibus illis artibus quæ liberales dicuntur, quamvis honeſtioribus utilioribúſq; ſtudiis & diſcantur & exerceantur, quàm plurimi hominum ſalvi facti ſunt, placentes moribus atq; operibus. Quantos enumerat Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos, factos dilectos, non in ſcientia literarum, ſed in conſcientia pura & fide non ficta? omnes placuerunt Deo in vita ſua, vitæ meritis, non ſcientia. Petrus, & Andreas,

Digitized by Google

dreas, & filij Zebedæi, cæteríq; condiſcipuli, omnes, non de ſchola Rhetorum aut Philoſophorum aſſumpti ſunt, & nihilominus tamen Salvator per ipſos operatus eſt ſalutem in medio terræ, non in ſapientia, quæ in ipſis eſſet pluſquam in cunctis viventibus, quemadmodum ſanctus aliquis de ſemetipſo confeſſus eſt, ſed in fide & lenitate ipſorum ſanctos fecit illos, etiam & ſanctos & Magiſtros. Deniq; notas fecerunt mundo vias vitæ, & non in ſublimitate ſermonis, aut in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed ſicut placuit Deo, per ſtultitiam prædicationis eorum ſalvos facere credentes, quoniam mundus eum in ſua ſapientia non cognovit.

Bene itaq; advertendum eſt, quod in principio textûs allegati inſinuatur, non omnem ignorantiam eſſe damnabilem. At quænam illa damnabilis ignorantia? Audi eundem D. Bernardum, hom. 38. in Cant: *maledicetur homo, qui ignorantiam Dei habere inventus fuerit. Dei dicam, an ſui? utrumq; ſinè dubio, utraq; ignorantia damnabilis eſt, utraq; ſufficit ad perditionem.* Et hom: 40. in Cant: *Quòd ſi ignoras Deum, poterítne ſpes eſſe ſalutis cum Dei ignorantia? ne hoc quidem. Nec enim potes aut amare quod neſcias, aut habere quem non amaveris. Noveris proinde, te ut Deum timeas, noveris ipſum, ut æquè ipſum diligas; in altero initiaris ad ſapientiam, in altero & conſummaris. Quoniam initium ſapientiæ timor Domini, & plenitudo legis eſt charitas. Tam ergo utraq; ignorantia cavenda eſt tibi, quia ſinè timore & amore Dei ſalvus eſſe non potes.*

Noverim proinde te DEUS, noverim me, ne damnabiliter aliquid ignorem; noverim ad ſalutem meam mihíq; commiſſorum neceſſaria. Pereant cæteræ vanitates, nugæ nugarum, & curæ non ædificantes; ſit ſimplex & rectus coram te mentis meæ oculus Deus æternæ ſimplicitatis, grata ſit ſapientiæ tuæ inſipientia mea, exiſtimans omnia detrimentum
Epheſ. 3. *propter ſupereminentem ſcientiam charitatis.*

V. Dominicus Idiota, in Eccleſia Nazarethana vir ſanctiſſimus, cùm ipſi aliquando Gerardus quidam à Nazareth ſuum offerret ſtudium, ut illum literarum elementa, pſalmóſq; doceret, reſpuit omnino, dicens: ſe Deo magìs placere poſſe juſtè vivendo, quàm tempus perdere inutiliter aliquid ejus rei addiſcendo. *Magno impendio temporum*, inquit Se-
Epiſt. 88. neca, *magnâ alienarum aurium moleſtiâ laudatio hæc conſtat: ô hominem literatum! ſimus hoc titulo ruſticiore contenti: ô virum bonum!*

Scribit Athanaſius in vita S. Antonij, quòd cùm aliquando mundi ſapi-

ſapientes eum irriderent, quòd literas ignoraret, tali diſputatione eos confutaverit dicens: *reſpondete mihi, quid priùs, ſenſus, an litera? & quid cujuſvis exordium, ſensúſne ex literis, an literæ oriantur ex ſenſu?* illis aſſerentibus quòd ſenſus eſſet author atq; inventor literarum, ait: *Igitur cui ſenſus incolumis eſt, hic literas non requirit.* Inſinuâſſe hoc reſponſo mihi videtur Antonius, Idiotis non eſſe dolendum, ſi ſenſum ſuum ſeu intellectum non multis ſcientiarum ornamentis inſtructum habeant, quin potiùs gaudendum eſſe, ſi ab inanibus in hoc vitæ curriculo ſtudiis abſtinentes, ſolíq; virtutum labori & exercitio ſe addicentes, uberrimo illi æternæ beatitudinis fonti ſuum reſervaverint intellectum, qui plus ſcientiarum pauculis minutis in cælo capiet, quàm toto vitæ hujus tenebroſæ ſpatio capere potuiſſet. Neminem itaq; torqueat indoctum vivere, quamdiu ſenſus literarum inventor incolumis ei ſupereſt, quem in beata vita cæleſtis illa ſapientia tantò copioſiùs implebit, quantò inaniorem ab omni vana eruditione repererit; nec dabitur cuiquam ſecundùm menſuram hauſtæ literarum notitiæ, ſed ſecundùm copiam & qualitatem meritorum. D. Bernardus, dum Gerhardi fratris ſui Religioſiſſimi deplorat exitum, ait de illo: *non cognovit literaturam, ſed habuit literarum inventorem ſenſum, habuit & illuminantem ſpiritum.* *hom. 39. in Cant.* Felices illi, quorum ſenſus à literarum externarum ſtudiis alieni, ſpiritu interiùs inſpirante & illuminante merentur erudiri, donec eò perveniant, ubi videant infinitum illud lumen divinitatis. Sed de ſpiritu ſimplices & pios idiotas illuminante plura inferius.

Glorietur itaq; frater ſimplex & humilis in ſimplicitate ſua, nec hujus mundi ſapientiam exambiat; Sufficiat illi ſcientia ſanctorum. Sint alij diverſis ſcientiis excultiſſimi, ſi ſortis ſuæ felicitatem ſapiens Idiota conſideraverit, illis haudquaquam invidebit.

Inter opuſcula S. Petri Damiani, reperitur quædam Epiſtola ſcripta ad Ariprandum Monachum, minùs literatum, & dolentem quòd liberalibus diſciplinis ingenium ſuum in ſæculo non excoluiſſet. Hunc Sanctus conſolatur, oſtenditq; ſciendi cupiditatem originem eſſe malorum omnium, & ſcientiam à Chriſtianis virtutibus ſeparatam, non tantùm eſſe inutilem, ſed etiam pernicioſam; contra verò ſanctam ſimplicitatem ſecuram eſſe ac perutilem. Proinde illum hortatur, ut ſi velit utiliter ſapere, ad Deum per contemplationem rerum divinarum accedat. Cujus Epiſtolæ duo ſaltem fragmenta hîc pro coronide ſubijciam. VI.

Petrus Damianus opuſc. 45. ad Ariprandum.

B. Benedictus ad literarum ſtudia mittitur, ſed mox ad ſapientem Chriſti ſtultitiam revocatur; & quia ſcholam piâ ruſticitate mutavit, hoc deſcriptum reliquit in capiſterio muliercula, quod de ſe mundi ſapientes exprimere nequeunt in menſa Geometrica, vel Aſtronomica diſciplina. Literas & Martinus ignorat, ſed & hic fatuus & imperitus perditas trium mortuorum animas ab inferis revocat. Antonius non rhetoricatur, ſed toto conſpicuus orbe, literis, ut ità loquar, vitalibus legitur; Hilarion, Platones, & Pythagoras projicit, unóq; contentus Evangelio in ſepulchrali ſe cellulæ antro concludit. Sed ecce Dæmonibus imperat, quem Philoſophorum ſtudia non exornant. Quæ ſi tu quoq; apud ſæculum, ut efflagitas, didiciſſes, fortaſſis hodie Dominus intrà ſortis ſuæ te funiculum non haberet. Eſt enim ſapientia, de qua ſcriptum eſt: nam per ſapientiam ſanati ſunt quicunq; placuerunt tibi Domine ab initio. Et eſt ſapientia, de qua dicitur: non eſt hæc ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica. Et ô quantis hæc ipſa terrena & animalis ſapientia conceſſit non iter proſperum, ut videlicet ante corruerent in periculum mortis, quàm fruerentur optatis. Quoniam igitur fili chariſſime temetipſum velut agnum tenerrimum obtuliſti, & ob hoc dæmones per aëra volitantes incurſant, ut vel ex manibus tuis oblata diripiant, vel injectâ pravæ cogitationis illuvione corrumpant, tu cum Abraham imminentes ad impetum volucres abige, ut holocauſtum tuum immaculatum & integrum valeas cuſtodire. Ex eorum quippe pharetra proculdubio toxicata cogitationis hujus ſagitta depromitur, ut literarum ſtudia remanentibus in ſæculo coævis tuis invideas, & in hoc eos cautos ac providos, te verò deceptum & fatuum credas; utpote ſi hoc & ipſe feciſſes, quaſi gratiorem tunc hoſtiam Deo tuæ converſionis offerres; ſed hoc totum Deo veraciter obtuliſti, quidquid ad meliorem ac manentem ſubſtantiam properans, pro amore illius acquirere contempſiſti. Melius eſt autem totum ſimul offerre, quàm particulariter diſpenſare. Sicut enim melius eſt ovem dare, quàm fructus ovis; ità laudabilius eſt totam artem Deo ſimul offerre, quàm fructus artis. Julianus Cæſar, & Donatus Martyr uno tempore didicerunt; Et ille quidem permanſit in ſtudijs, hic ſecutus eſt veſtigia veritatis. Sed ille in ſapientia ſua tam feliciter floruit, ut octo libros contra Galilæos (ſic enim Chriſtianos vel Apoſtolos vocat) & Evangelium ſcriberet. Donatus autem deſipuit, ut cæleſte faſtigium cum triumphalis martyrij gloria penetraret. Joannes Evangeliſta apud ſæculum

pene

penè nihil didicit, ſed ſpretis oratorum dialecticorúmq; verſutiis, ad ſimplicem JESU ſtultitiam puerulus commigravit. Hic tamen dum per libri ſui principium ſummæ lucis myſterium terribiliter intonat, illico Philoſophorum cæca ſubtilitas in tenebroſa ſtudiorum ſuorum profunditate caligat. Præterea beatus Papa Gregorius artis grammaticæ diſciplinam eotenus in ſuis laudat Epiſtolis, ut eam congruere deneget Chriſtianis. Hieronymus ad tribunalia tremenda pertrahitur, flagris atrocioribus verberatur, cui tamen non aliud, quàm Ciceroniani nominis crimen impingitur. Denotatur ille hâc ſe prorſus ultione plectendum, ſi ſæculares libros ulteriùs legeret, acſi Chriſtum per Apoſtolicæ perfidiæ ſacrilegium denegaret. Dicebatur enim illi: Ciceronianus es, non Chriſtianus. Et ille: Si ſæculares, inquit, codices ulteriùs legero, te negavi. Honeſta ſatis & utilis ſapientia, nimirum quæ cum Chriſti negatione confertur, quæ hæreticæ perfidiæ comparatur, ut idem valeat eam legere, quod Deum negare. Si ergo is qui terrenum illud dogma didicerat, ab ejus compeſcitur uſu, quantò magis qui necdum expertus eſt, ab ejus prohibetur acceſſu? ſi ille cohibetur à notis, quantò cautiùs iſte reprimendus eſt à diſcendis. Diſcumbis frater ad menſam Dei, ſufficiant tibi dapes cæleſtis eloquij, abjice lolium, quod in veſaniam comedentium mentes inebriat; ſuſcipe frumentum, quod eſurientium animas ſobriâ refectione confirmat; Nec fauces animæ tuæ vitalis eſcæ faſtidiant alimentum, ſed procul abjiciant falſitatis ineptias, & quiſquilias vanitatum. Omnipotens Deus, dulciſſime fili, doctrinâ te ſuæ legis erudiat, & cor tuum veræ ſapientiæ luce perfundat, te de manibus tuis viventis hoſtiæ ſuſcipiat holocauſtum, & ad ſpiritualium provehat incrementa virtutum, te ſemper in ſe manere concedat, & invicem ipſe in tuis viſceribus delectabiliter requieſcat; ut ſicut eſt ipſe pollicitus, tanquam palmes in vite, nunquam deſinas pij operis germina pullulare.

Magna videtur gloria doctis,
Oculo mentis cernere multa.
Spernitur hodie riſúmq; parit,
Oculus ſimplex & pauca videns.
Vixit felix genus humanum,
Cùm pauca videns, optima vidit;
At quando oculis vidit apertis,

Se probitatis tegmine nudum,
Et mille malis vidit opertum.
Oculos doctus jactat apertos,
Nondum ille tamen ſua damna videt.

CAPUT XXXVI.

Simplices in prædicatione, & hæreticorum aliorúmq; pravorum hominum converſione, plùs doctis proficiunt.

I. VIſum eſt ſuperiùs, quàm inefficacia ſint eorum verba & exhortationes, qui licet ſcientiâ literarum ſint inſtructiſſimi, & omni ornatûs Rhetorici genere phaleratas nectant ſententias, operibus tamen contrarijs doctrinam ſuam confundunt; dicunt, & non faciunt. Hìc è contrario nobis eſt oſtendendum, quantos in Eccleſia fructus præſtare ſoleant, nec inanibus verbis aërem ſolummodo verberare, ſed corda hominum (quod ars nuda nunquam poterit) quò voluerint inflectere ac permovere, rudes ſimplicéſq; Idiotæ, quorum vita orationi concordat, quorum labori licet illiterato favens divinæ gratiæ favonius aſpirat, & maxima plerumq; reſpondent in audientium animis virtutum incrementa. Hæ ſunt nubes, non inani ſuperbiæ typho ſed ſucco cæleſti repletæ, quæ ſalubres Auditoribus aquas copioſè depluere poſſunt, quorum oris verba, ut pſalmiſtæ verbis utar, terra audit; quorum doctrina ut pluvia concreſcit, fluit ut ros eloquium, quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina; qui non ſunt nubes illæ inanes & evanidæ, quæ ut ait Judas Apoſtolus, â ventis circumferuntur. Qui deniq; non in ſapientia verbi crucem Chriſti eva-
1. Cor. 1. cuant, qui non ſemetipſos prædicant, ſed Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Non illi prædicationibus intellectu difficillimis, non ſupervacaneis argutiis & ſpeculationibus, perturbant potiùs, quàm inſtruunt
Eccli. 4. Auditores; non illi contra monitum Eccleſiaſtici abſcondunt ſapientiam in doctrina ejus, ſed Dominum potiùs audiunt per Moyſen in Libro
Cap. 10. Numeri præcipientem: *quando congregandus eſt populus ſimplex erit tu-*
Prov. 24. *barum clangor.* Et Salomonem dicentem: *doctrina prudentûm facilis.*

Hinc

Hinc potiùs, quod olim Iſaias Propheta de ijs vaticinatus eſt, conflant gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Quid per gladios, inquit Cantipratanus, niſi acutæ quæſtiones in diſputationibus intelliguntur? & quid per lanceas niſi verba prædicantium in ſublimitate ſermonis? quæ quidẽ in vomeres & falces bene conflamus, quando ad aptitudinem intelligentiæ audientium, eorúmq; profectum, diſputationes vel prædicationes ſalubriter ordinamus. Tali vomere, ſicut dicitur in libro Judicum, percuſſit Samgar ſexcentos; & Samſon in mandibula aſinæ Philiſtinorum mille proſtravit. Paulus in lege doctiſſimus præcepit prædicare, *non in ſapientia verbi, ut non evacuetur crux Chriſti*, id eſt, ut ait Cornelius à Lapide in hunc locum, ne inanis reddatur, neq; detur illi gloria, dum putant homines ſe ſalutem aſſecutos, & ſibi fidem perſuaſam eſſe vi humanæ eloquentiæ, non vi paſſionis Chriſti. Hæc ipſa fuit origo ſchiſmatis dicentium: *Ego ſum Pauli, ego Apollo.* Quòd ſcilicet Apollo eloquens placeret nonnullis Corynthijs, delicatis & eloquentiæ ſtudioſis; aliis verò ſpiritum magìs, quàm verba quærentibus placeret Paulus *imperitus quidem ſermone, ſed non ſcientiâ.* Audiamus hunc gentium Apoſtolum ità ſcribentem Corynthijs: *ſcriptum eſt*, inquit, *perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentûm reprobabo. Ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi conquiſitor hujus ſæculi? nónne ſtultam fecit Deus Sapientiam hujus mundi? nam quia in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Quoniam & Judæi ſigna petunt, & græci ſapientiam quærunt; nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam; ipſis autem vocatis Judæis atq; Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.* Ut videlicet nullus homo glorietur, vel typho ſuperbiæ intumeſcat, quòd ob ſapientiam ſuam, intellectûs vel ingenij nobilitatem, â Deo electus ſit ad prædicandum, & animas convertendas.

[Margin: Apū lib. 2. c. 48. — Judic. 3. — Jud. 15. — 1. Cor. 1. — Ibid. — 2. Cor. 11. — 1. Cor. 1.]

II. *Stultam ergo fecit DEUS ſapientiam hujus mundi, quando*, ùt ait Ambroſius: *ſcientia piſcatorum, ſtultam fecit ſcientiam Philoſophorum.* Audi quod idem S. Doctor ait in illud Lucæ: *Elegit duodecim ex eis.* * *Adverte*, inquit, *cœleſte conſilium; non ſapientes aliquos, non divites, non nobiles, ſed piſcatores & publicanos quos dirigeret elegit; ne tradu-*

[Margin: * lib. 5. in Lucam.]

xiſſe prudentiâ, ne redemiſſe divitijs, ne potentia nobilitatiſq; authoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam videretur; ut veritatis ratio, non diſputationis gratia prævaleret. * *Ineruditos liberalibus diſciplinis*, inquit S. Auguſtinus, *& omnino quantum ad Philoſophorum doctrinas attinet impolitos, non peritos grammaticâ, non armatos dialecticâ, non Rhetoricâ inflatos piſcatores, Chriſtus cum retibus fidei ad mare hujus ſæculi pauciſſimos miſit, atq; ita ex omni genere tam multos piſces, & tantò mirabiliores, quantò rariores, etiam ipſos Philoſophos cepit.* * *Sciebat enim quòd ſi eligeret ſenatorem, diceret ſenator: dignitas mea electa eſt; Si eligeret divitem, diceret dives: opulentia mea electa eſt; ſi Regem, diceret Rex: poteſtas mea; ſi oratorem: eloquentia mea; ſi Philoſophum; ſapientia mea electa eſt. Interim inquit Dominus, differuntur ſuperbi iſti, multùm tument. Da mihi priùs iſtum piſcatorem, veni tu pauper, nihil habes, nihil nôſti, ſequere me. Tam largo fonti vas inane admovendum eſt. Dimiſit retia piſcator, accepit gratiam, & factus eſt divinus orator. Leguntur modò verba piſcatorum, & ſubduntur colla oratorum.*

de Civit. lib. 22. cap. 5.

de verb. Domini ſerm. 59.

S. Chryſoſtomus explicans illa Evangelij verba: *Ecce ego mitto ad vos ſapientes & ſcribas &c.* ait: *verè miſſi ſunt ſapientes, adversùs hæreticos ſcilicet Patres veſtros; ſapientes autem, non literati, quorum ſapientia non eſt in ſenſibus carnalibus poſita, & in lingua acquiſita per exercitationem carnalem, ſed ſapientes circa Dei timorem, ſapientes animo non corpore, corde non ore, fide non verbis, de quibus dicit Regius Propheta: dexteram tuam ſic notam fac, & eruditos corde in ſapientia.*

hom. 49. in imperf. Matt. 23.

III. Apoſtolus Corynthiis ità ſcribit: *Ego cùm veniſſem ad vos fratres, veni non in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ, annuntians vobis teſtimonium Chriſti; non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum & hunc crucifixum; & ſermo meus, & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritûs & virtutis, ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* * *Diſciplina noſtra*, inquit Origenes, *propriam quandam habet demonſtrationem, diviniorem, quàm ſint græcorum demonſtrationes, quàm Apoſtolus nominat demonſtrationem ſpiritûs & virtutis.* Et iterum, citans eundem Apoſtoli textum: *hæc verba*, inquit, *quid aliud ſibi volunt, quàm non ſatis eſſe, ut verum ſit, & natum ad movendos ani-*

1. Cor. 2.

lib. 1. contra Celſū.

animos hominum, quod dicimus, niſi Doctori divinitùs conceſſa ſit vis quædam, & dictis ejus adſit gratiæ cæleſtis energia. Et hoc eſt quod ait David: Dominus dabit verbum Evangelizantibus virtute multâ. * *Converſio* animarum, ut ait D. Bernardus, *divinæ vocis eſt, non humanæ. Simon Joannis piſcator hominum in hoc ipſum vocatus eſt, & conſtitutus â Domino; incaſſum tamen & ipſe laborans, totâ nocte nil capiens, donec in verbo Domini rete jactans, comprehendere poſſit multitudinem copioſam. Utinam jactemus & nos in hoc verbo hodie rete verbi, & experiamur quod ſcriptum eſt: ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis. Noſtra judicabitur vox eſſe, non Domini, ſi quæramus quæ noſtra ſunt, non quæ JESU Chriſti.* *de cõverſ. ad ſcholar.*

IV. S. Laurentius Juſtinianus, poſtquam alicubi vanam ſcientiæ & eloquentiæ oſtentationem in Concionatoribus reprehendiſſet, ac docuiſſet diſtribuendum ſingulis verbi divini pabulum, juxta perſonarum ac temporum qualitatem, ſubdit: *Non enim tam compoſita verba, & humanæ ſcientiæ eloquentiâ ornata, quàm ignita & puro prolata corde approbat Dominus. Sicut duo viduæ pauperculæ minuta grata effecit Salvator; ità virtutem tribuet evangelizanti ſimpliciter. Abſq; ſpirituali namq; fructu eſſe non poteſt, quidquid de fonte producitur charitatis; quia non ſcientem, ſed amantem diligit omnipotens.* *de diſcipl. Monaſt. conv.*

Cornelius â Lapide ſpiritum â Paulo inſinuatum explicat per magnum zelum, eructantem ſapientia & arcana; non humana, ſed divina; ità ut manifeſtè cernant Auditores ſpiritum ſanctum per os alicujus loqui. Non replentur hoc ſpiritu qui typho ſuperbiæ tument, qui ſe magìs quàm JESUM Chriſtum prædicant, qui dicunt: *linguam noſtram magnificabimus.* In quæ pſalmiſtæ verba S. Bernardinus ità ſcribit: *illi linguam ſuam magnificant, qui ſubtilia & inutilia verba prædicant, ut aliis videantur Doctores.* * *Qui adducto ſupercilio grandia verba loquuntur. Contra quos etiam Dominus per Iſaiam ait: confundantur qui operantur linum, plectentes & texentes ſubtilia. Nolite multiplicare loqui ſublimia gloriantes. Qui docet ea, quæ ab Auditoribus intelligi non valent, non ad eorum utilitatem, ſed ad ſui oſtentationem facit*, teſte S. Hieronymo. *Pſal. 11. S. Hieron. diſt. 45.*

Paulus in paradiſum raptus tametſi audiêrit arcana verba, & admiſſus fuerit in illud Gazophilacium, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei*, nihilominus, ut ſupra vidimus, non in ſublimitate ſermo-

Digitized by Google

ſermonis, aut perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis prædicabat; non alta ſapiens, ſed humilibus conſentiens. Quod ſi aliquando loqui oportet ſapientiam, id eſt de divinis myſteriis altiùs diſſerere, loquamur illam cum Apoſtolo *inter perfectos*, viros ſcilicet intelligentes & doctos, non inter homines rudes & plebanos.

Narrat Baronius, S. Chryſoſtomum, aureum illud eloquentiæ flumen, cùm ſe concionatorio muneri accinxiſſet, diſcurſus doctrinâ, eloquentiâ, & ſapientiâ plenos contexuiſſe, ità ut â populo non potuerit intelligi. Qua de re vetula quædam lamentans, eidem vice quadam improperavit, quòd ſermones ejus eſſent omnis fructûs expertes. Hoc ille audiens ſtylum confeſtim mutavit, & ità deinceps concionatus eſt, ut unuſquiſq; licet rudis & idiota ipſum poſſet intelligere.

lib. 17. moral. c. 14. Acutè D. Gregorius explicans illum Job textum: *qui ligat aquas in nubibus ſuis, ut non erumpant pariter deorſum.* Per aquas ſapientiam & ſcientiam ſacram intelligit, per nubes verò prædicatores, qui ſcientiam ſuam debent continere, ſi copiâ ejus abundant, ne illius immenſitate Auditores magìs opprimant quàm reficiant. Adducit etiam exemplum Pauli, qui *religatâ intrinſecus ſcientiâ, ut non pariter deorſum erumperet, Auditores ſuos deſtillatione verborum nutriens, ait: non potui loqui vobis quaſi ſpiritualibus ſed quaſi carnalibus, tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non eſcam. Quis enim ferre potuiſſet, ſi raptus ad tertium cœlum, raptus in paradiſum, etiam arcana verba audiens quæ loqui homini non liceret, tam immenſos ſupernæ ſcientiæ ſinus aperiret.*

V. Hæc igitur inter cæteras una eſt cauſa, ob quam docti ſuâ prædicatione parvum ſæpe fructum in Auditoribus excitant. Aſcendant millies cathedras, voce ſtentoreâ ibidem clamitent, mille verborum atq; ſententiarum phaleris dictionem exornent, & vanis curioſiſq; auribus delectabiliter influant, ſi animarum utilitatem ſpectes, verberant ſolummodo pavimentum; quia in ſua ſcientia & eloquentia confidunt, eámq; populo cupiunt oſtentare, & quod potiſſimùm vitare debebant, ſermonem quem proferunt, opere confundunt. Aſcendat è contra ſuggeſtum ſimplex aliquis & ſermone imperitus Eccleſiaſtes, cujus vita verbis concordat, cujus mores dictionem non confundunt, rudi ſtylo peroret, efficaciùs tamen loquitur, quàm alter Demoſtheneâ inſtructus facundiâ, illo ſcilicet intus verba ſuggerente ſpiritu, qui ubi flaverit, fluent aquæ,

qui

Digitized by Google

qui ad labores Divinis ſub auſpiciis rigantium, frugibus dat incrementa; qui linguas infantium facit eſſe diſertas. Talium ſermo & prædicatio non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritûs & virtutis. Per tales multi Eccleſiæ filij aggregantur, ut cum veritate dici poſſit illud ex Annæ Cantico: *ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt.*

Quærit gentilis Epictetus apud Arrianum: *quare indocti in ſermonibus & perſuaſione efficaciores ſæpe ſunt, quàm vos ô Philoſophi?* Et *reſpondet: quoniam illi ſordentia ſua ex decreto & animi ſenſu proferunt, vos autem iſta elegantia à labiis, ideoq; infirma ſunt & mortua.* Ait vates Apocalypticus, *converſus ſum, ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum.* Nunquid vox poteſt videri? ita eſt. Non audiri ſolummodo debet vox prædicatoris in aëre per os formato & emiſſo, ſed etiam videri in operibus ipſius & exemplis. *Altiùs hæret viſa, quàm audita perfectio,* teſte S. Thoma Villanovano. *Quis dicere ſufficiat, quantùm ſuo tempore quilibet ſanctorum hominibus profuit? plus utiq; unius ſancti exemplum & vita, quàm congeries numeroſa librorum contulit orbi. Multitudo enim non librorum ſed ſapientûm ſanitas eſt orbis terrarum.* Dicebat S. Franciſcus, ut refert S. Bonaventura: *laboretur magìs exemplo, quàm verbo; magìs lacrymis & prece, quàm loquaci ſermone.* Stella illa quæ Magos ad Chriſti præſepe perduxit nullum ſonum edidit, ſed lumine ſuo fuit locuta, luxit, & ſiluit. *Quid per ſtellam,* inquit Petrus Damianus, *niſi ſimplex quilibet Sacerdos honeſta vita innuitur, qui licet affluentis eloquij facultate non polleat, claris tamen operibus velut quibuſdam laudabilis vitæ radiis micat.* * *Habeat ergo vita tua claram vocem,* ait S. Chryſoſtomus, *& licet os tuum obſtruxeris, vel tubâ clariùs perſonabis.*

lib. 3. diſſert. 16.

Apocal. 1.

Conc. de S. Nicolao.

lib. 8. Epiſt. 1.

in pſal. 49.

VI. Si ergo Eccleſiam numeroſâ prole volumus augere, & gignere Deo populum acceptabilem, veræ fidei bonorumq; operum ſectatorem, plus operibus quàm verbis inſudare debemus. Quod maximè Religioſis quibuſdam eſt inculcandum, qui cæco ſtudendi deſiderio flagrant, & cùm aliquid ſe in altioribus literis profeciſſe putaverint, cathedras ambire incipiunt, zelo (ut ajunt) animarum lucrandarum. Indignum putant latere ſub modio, lumine ſuo aliis prodeſſe quærunt, neſcientes quòd lumen Religioſi, quo alios illuminare debet, ſit potiſſimùm humilitas, & puritas vitæ. Lumen verò etiam pulcherrimæ prædicationis,

Digitized by Google

per animi arrogantiam, & malam vitam magìs obſcuretur, quàm ſi ſub tenebroſo modio conſtringeretur.

Hugo Victorinus in ejuſmodi Monachum, plùs literarum, quàm virtutis ſtudiis inhiantem ità invehitur: *tu Monache ſemper jejuniis & fletibus inſiſtere debes, & tu philoſophari quæris? ſimplicitas Monachi philoſophia ejus eſt. Si doctus eſſe deſideras, audi quod facias. Vilitas habitûs tui, & ſimplicitas vultûs, innocentia vitæ, & ſanctitas converſationis tuæ docere habent homines.* Similiter Petrus Damiani conatur à vano ſciendi deſiderio avertere Ariprandum Monachum, animarum pariter lucrandarum commoda prætexentem, dum illi ad lucrandas animas, omni ſcientiâ & facundiâ potentius medium ſuggerit, vitam bonam & virtuoſam. *Fortè dicas*, inquit, *multos lucrifacerem, ſi gratiâ prædicationis affluerem, ſi copiam ſcientiæ literalis haberem. Et ego reſpondeo, quoniam & Eleazarus multos potuiſſet ab Idololatria revocare ſi viveret; Machabæi, & innumerabiles Chriſti Martyres plurimos ad agonem fidei firmare potuiſſent, ſi perſecutionis illatæ differre ſupplicia decreviſſent; ſed quoniam ad pænarum perferenda tormenta efficacius ædificaverunt martyrizando, quàm prædicando, poſtponentes verbum, reliquère ſequentibus imitationis exemplum. Tu quoq; valentiùs provocas videntes te properare poſt Chriſtum, quàm promovere potueras audientes qualibet multiplicitate verborum. Nec enim Deus omnipotens noſtrâ grammaticâ indiget, ut poſt ſe homines trahat, cùm in ipſo humanæ redemptionis exordio, cùm magìs videretur utiq; neceſſarium ad conſpergenda novæ fidei ſemina, non miſerit Philoſophos & Oratores, ſed ſimplices potiùs ac piſcatores.*

Opuſc. 45. cap. 7.

VII. Ipſe Salvator in ligno crucis, quod S. Auguſtinus ait, non minùs fuiſſe cathedram docentis, quàm lectulum morientis, patiendo magìs, quàm verbaliter concionando ad ſe omnia traxit ſæcula. Imò ſtatim à Nativitate ſua, cùm linguam tenellulam in verba nondum poſſet exerere, ipſo nobis opere, patientiâ ſcilicet, humilitate ac paupertate in præſepis cathedra prædicavit. *Neq;* enim *caſu putandum eſt accidiſſe, quòd puer JESUS poneretur in præſepio*, ut obſervat S. Thomas de Villa nova, *non deerant Virgini vires ad ſuſtinendum puerum, neq; eum in tali loco poſuiſſet, nî magnum aliquod in eo myſterium ageretur; altiſſima namq; inde nobis eruditio paratur. Magna Cathedra præſepe illud, ex quo cunctis mortalibus Dei loquitur ſapientia, cæleſtis in ſtabulo Magiſter legit.*

Conc. 1. in Nativ.

Digitized by Google

git. * *O magna Cathedra Præſepe illud, in quo reſidet divina ſapientia, Magiſter Orbis. Totum ibi legitur Evangelium. Quidquid enim ô bone JESU poſtea verbo docuiſti, hîc ſtatim ortûs tempore demonſtrâſti.* Hoc idem eſt quod ait Apoſtolus: *apparuit gratia Dei omnibus hominibus erudiens nos. Infans quidem eſt*, ait S. Bernardus, *ſed verbum infans, cujus ne ipſa quidem infantia tacet. Clamat ſtabulum, clamat Præſepe, clamant lacrymæ, clamant panni.* *Ibid. conc. 2.*

Non igitur eſt nobis mirandum, ſi rudes quidam & ſimplices magnum in Dei populo fructum quandoq; faciunt, Magiſtri hujus exemplum imitando, & plùs bonis operibus, quàm verbis prædicando. Tales eſto Syllogiſmorum regulas non noverint, aliáſq; dialecticas fallacias & ſubtilitates, neq; ſophiſmatum gryphos altercando refutare didicerint, aut demonſtrationibus artificioſis ſua dogmata ſolidare, plures tamen hæreticos convincunt, quàm alij ſcientiâ excultiſſimi. Noverunt enim demonſtrationem per opera & ſigna, quæ juxta OEcumenium, *firmior eſt eâ, quæ ex verbis producitur.*

Quid cauſæ eſt, quòd tam inaniter & infructuosè, noviſſimis hiſce ſæculis, in hæreticorum converſione laboremus? non alia, quàm quòd omnis armatura, quam contra eoſdem proferimus, in intellectu nobis ſit poſita; quòd magis ſcientiâ, quàm bonâ vitâ adversùm ipſos inſtruamur, & authoritatem dogmatum noſtrorum operibus malis imminuamus, ejúſq; auſpicio, qui ſolus etiam ſinè nobis movere poteſt corda hominum, & ſinè quo nec Orpheus cytharâ ſuâ ſylvas & ſaxa trahet, nec Mercurius virgâ ſuâ ullum ex orco revocabit, raro aliquid aggrediamur. Non ſic Patres noſtri, non ſic. Ubi in primitiva Eccleſia tot Theologiæ Doctores? tam enucleatè expoſita fidei noſtræ ratio? tot controverſiarum libri? quotidie tamen millia hominum è Judæis & Paganis Eccleſiæ acceſſerunt, non in ſapientia verbi, ſed vitæ perorantis exemplo. Si quiſpiam tamen mecum pertinaciùs contenderit, neceſſariam eſſe hoc ſæculo ſcientiam & eruditionem, ad Eccleſiæ munimentum contra hæreticos, bonámq; vitam orthodoxorum cum rudi prædicatione parum profuturam; eſto id concederẽ, non tamen de illa ſcientia & eruditione concedendũ putarem, quæ nugis & ineptiis otioſis, inutilibus ſpeculationibus atq; argutiis gaudet & paſcitur, quâ inſtructi tyrones hujus militiæ, dũ eos contingit manũ operi ſeu praxi admovere, vel arenã ſubire certaminis, ridendos ſe adverſarijs oſtendunt, & ignorantes utilia & neceſſaria, quia ſupervacua didicerunt.

 Vi-

Digitized by Google

VIII. Videndum jam ulteriùs, quare felicior in convertendis hæreticis, potentiórq; ſit humilis & indocta Deo tamen grata ſimplicitas, quàm docta omnis Theologia, docet nos hoc ſimplex quidam Confeſſor inter Patres Concilij Nicæni, cujus hiſtoriam, Ruffini in Eccleſiaſtica hiſtoria verbis hìc referre placuit. Cùm pro ſtudio Religioſi Imperatoris Conſtantini, ex omni terra ſacerdotes Dei Nicæam ad Concilium conveniſſent, opinione commoti Philoſophi quoq; & dialectici valde nobiles & opinatiſſimi convenerunt. In quibus quidam inſignis in arte dialectica, per dies ſingulos conflictus ſummi certaminis cum Epiſcopis noſtris, viris adæquè in Dialectica non improbabiliter eruditis movebat, & fiebat ingens ſpectaculum convenientibus ad audiendum doctis & literatis viris, nec tamen ullo genere Philoſophus à quoquam concludi poterat aut conſtringi. Tantâ enim dicendi arte objectis quæſtionibus occurrebat, ut ubi maximè putaretur adſtrictus, velut anguis lubricus elaberetur. Sed ut oſtenderet Deus, quia non in ſermone Regnum Dei, ſed in virtute conſiſtit, quidam ex Confeſſoribus ſimpliciſſimæ naturæ vir, & nihil aliud ſciens niſi JESUM Chriſtum & hunc crucifixum, inter cæteros Auditores Epiſcopos aderat. Qui cùm vidiſſet Philoſophum inſultantem noſtris, & callidâ ſe diſputationis arte jactantem, poſcit ab omnibus locum, velle ſe paucis cum Philoſopho ſermocinari. Tum verò noſtri qui ſimplicitatem viri & imperitiam de ſermone duntaxat nôſſent, pavere, & velut pudorem quendam pati, ne fortè apud callidos homines riſui efficeretur ſancta ſimplicitas. Perſtitit tamen ſenior, & hinc movit ſermonis exordium. *In nomine*, inquit, *JESU Chriſti*, *Philoſophe audi quæ vera ſunt. DEUS unus eſt qui fecit cælum & terram, quiq; homini quem de limo formaverat, ſpiritum dedit, univerſa quæ videntur, & quæ non videntur, virtute verbi ſui creavit, & ſpiritûs ſui ſanctificatione firmavit. Hoc verbum ac ſapientia, quem nos DEI filium dicimus, humanos miſeratum errores, ex virgine naſcitur, & per paſſionem mortis à perpetua nos morte liberavit, ac reſurrectione ſuâ æternam nobis contulit vitam, quem & expectamus Judicem omnium quæ gerimus, eſſe venturum. Credis hoc ità eſſe Philoſophe?* at ille, velut ſi nunquam ullum ſermonem contradicendi didiciſſet, ità obſtupefactus virtute dictorum, mutus ad omnia, hoc ſolum potuit reſpondere, ità ſibi videri, nec aliud verum eſſe quàm quod dixerat. Tum ſenior: *Si hæc*, inquit, *ità eſſe credis, ſurge & ſequere me, & hujus fidei ſignaculum ſuſcipe.* Et

Can. 3.

Philo-

Digitized by Google

Philoſophus converſus ad diſcipulos ſuos, & ad eos qui audiendi gratià convenerant, *Audite*, inquit, *ô eruditi viri: donec verbis mecum geſta res eſt, verba verbis oppoſui, & quæ dicebantur dicendi arte ſubverti. Ubi verò pro verbis virtus proceſſit ex ore dicentis, non potuerunt reſiſtere verba virtuti, nec homo adverſari potuit Deo. Et ideo ſi quis veſtrûm potuit in his quæ dicta ſunt ſentire quæ ſenſi, credat Chriſto, & ſequatur hunc ſenem in quo locutus eſt DEUS.* Ità Philoſophus Chriſtianus effe-ctus, tandem ſe gratulatus eſt victum. En qualia Deus per ora ſuorum ſimplicium facit miracula, mandibulis aſinorum Philiſthæos proſternens, & vana literatorum ſtudia confundens, qui ſolummodo in rationibus ſuis & intellectuum ſubtilitate confiſi, ſectarios plerumq; plus exaſperant, & magìs ad ſcommata quàm ad fidem movent; plus pervertunt, quàm convertunt; arundinem quaſſatam confringunt, & linum fumigans extingvunt. Virtus præcipua eſt animorum immutatrix, ſuaviter in ſuos caſſes corda hominum alliciens in manſuetudine ſapientiæ. Verboſa verò ſcientia pertinaciam magìs fovet in æmulis, dum quidvis etiam veriſſimum evidenter deduxeris, animo obſtinato non deeſt, quo telorum tuorum vim elidat, rideat aut cavilletur. Ideo prudenter Paulus admonet: *noli contendere verbis, ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium.* Hoc etiam modo controverſiæ inaniter protelantur & immortaliſantur, dum docti quos volumus convincere, pertinaci animo, veritatem quantumvis agnitam ſequi detrectant, ne victoriæ palmam dent adverſario; rudes autem vel rationum propoſitarum vim minimè percipiunt, vel doctiorum in ſectis ſuis exempla ſequi, quàm quid cum veritate ſequi oporteat, diſquirere malunt. Deniq; *non in dialectica placuit Deo ſervare populum ſuum*, inquit Urbanus Papa; *Regnum Dei in ſimplicitate fidei eſt, non in contentione ſermonum.* *refertur. diſt. 37.*

Quàm mirabilis fuit converſio Valeriani, Tiburtij, & Gordiani cum aliis circiter trecentis, quos per S. Cæciliam converſos fuiſſe legimus? Canimus in ejus officio: *Cæcilia famula tua Domine quaſi apis tibi argumentoſa deſervit*, quæ tot animas, velut dulciſſimum & acceptiſſimum Deo favum cæleſti menſæ tranſmiſit. Dicitur verò *argumentoſa*, non quod ad illorum converſionem doctis verborum uſa ſit argumentis. Argumenta enim ejus præcipua fuerunt fides, pietas, & oratio. Ex his ſeminibus, quæ DEUS per gratiam ſuam in Cæcilia ſeminavit, tam præclari prodiêrunt fructus, non ex perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis.

Digitized by Google

IX. S. Hieronymus artem ſyllogiſandi comparat plagis Ægypti; quia ſcilicet ad converſionem hæreticorum valde parum fructificant, ſicut plagæ Ægyptiæ ad converſionem Pharaonis. Demonſtrationes Logicæ nominat idem Sanctus Cyniphes dialecticæ, qui acatholicos etſi pungunt, non tamen compungunt. Riſit hos cyniphes S. Auguſtinus hæreſi Manichæorum infectus; Libet hîc quendam textum ex ipſius Confeſſionibus annectere, quo ſuæ converſionis cauſam potiſſimam enarrat, non quidem diſputationes & cyniphes dialecticæ, ſeu humanas quaſcunq; rationes ad fidem motivas, quæ omnia adversùs animum hæreſeos peſte imbutum, ut ipſe ſenſit poſtea, imprudenter ſunt adhibita, nec quidquam profutura fuiſſent, ſed pias ac devotas Matris ſuæ lacrymas. Sic ibidem Deum inter cætera alloquitur: *dediſti ergo alterum* (reſponſum videlicet) *per ſacerdotem tuum quendam Epiſcopum, nutritum in Eccleſia, & exercitatum in libris tuis, quem cùm illa fœmina* (Mater videlicet D. Auguſtini) *rogâſſet, ut dignaretur mecum colloqui, & refellere errores meos, & dedocere me mala, ac docere bona* (*faciebat enim hoc ſi quos fortè idoneos inveniſſet*) *noluit ille, prudenter ſanè quantùm ſenſi poſtea. Reſpondit enim me adhuc eſſe indocilem, eò quod inflatus eſſem novitate hæreſis illius, & nonnullis quæſtiunculis, jam multos imperitos exagitâſſem, ſicut illa indicaverat ei. Sed ſine inquit illum ibi, & tantùm roga pro eo Dominum, ipſe legendo reperiet quis ille ſit error & quanta impietas. Simul etiam narravit, ſe quoq; parvulum à ſeducta Matre ſua datum fuiſſe Manichæis, & omnes pene non legiſſe tantùm, verùm etiam ſcriptitâſſe libros eorum, ſibiq; apparuiſſe nullo contra diſputante & convincente, quàm eſſet illa ſecta fugienda, itaq; fugiſſe. Quæ cùm ille dixiſſet, atq; illa nollet acquieſcere, ſed inſtaret magìs deprecando, & ubertim flendo, ut me videret & mecum diſſereret, ille jam ſubſtomachans tædio: vade inquit à me, ità vivas; fieri enim non poteſt, ut filius iſtarum lacrymarum pereat. Quod illa ità ſe accepiſſe inter colloquia ſua mecum recordabatur, ac ſi de cælo ſonuiſſet.*

Confeſſ. lib. 3, cap. 12.

Vides ex hoc D. Auguſtini exemplo, quàm longè potentiores efficacioréſq; in converſione pravorum ſint ſimplicium preces & lacrymæ, quàm literatorum eruditæ orationes & argumenta. Verè *niſi Dominus* per ſuorum preces *ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam*; præſertim ſi in ædificando, ut fieri plerumq; ſolet, *glorietur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea; aut exaltetur ſerra contra eum,*

Iſaiæ. 10.

eum, à quo trahitur; vel elevetur virga contra elevantem ſe, & exaltetur baculus qui utiq; lignum eſt. Non advertunt hoc ſæculo multi, qui ſolo intellectûs proprij adminiculo freti, docta magis quàm fructuoſa, vel Eccleſiam ædificantia cum hæreticis inire ſolent certamina, quòd *neque qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* *1. Cor. 3.* Neſciunt myſterium Gedeonis, qui cùm triginta duo armatorum millia contra Madianitarum centum & triginta millium copias in aciem produxiſſet, dicebat ei Deus: *multus tecum eſt populus, non tradetur Madian in manus ejus.* *Judith. 7.* Vide rationem fuiſſe, cur Madian in Gedeonis manus traditus non fuerit, populi multitudinem, qui ſibi fortaſſe non Deo victoriam adſcripturus erat. Propterea in Eccleſia Dei promovenda, & hæreticis ad fidem reducendis, inanem literati navant operam, qui ſubtilibus rationum ſuarum inventionibus magis, quàm divino innituntur auxilio, ſpem omnem in virtute intellectûs ſui collocant, ideo in vinea Dei amplianda inaniter deſudant, ideo vanè retia ſua tendunt in capturam. *Talium ſuperborum*, & viribus ſuis vanè fidentium, ut ait D. Auguſtinus, *Dominus noſter JESUS Chriſtus volens frangere cervices, non quæſivit per Oratorem piſcatorem, ſed è piſcatore lucratus eſt Imperatorem & Oratorem. Magnus Cyprianus Orator, ſed priùs Petrus piſcator, per quem poſtea non ſolùm crederet Orator, ſed & Imperator.* *tract. 7. ſuper Joannem.* Infirma ſcilicet mundi & contemptibilia elegit Deus, ut fortia confunderet, neq; gloriaretur in conſpectu ejus omnis caro. *Nolimus igitur extolli*, inquit D. Chryſoſtomus, *ſed dicamus nos inutiles, ut utiles efficiamur.* *hom. 38. ad popul. Antioch.* Non audiunt ſalubre hoc Divi monitum multi hoc ſæculo, qui laborum ſuorum nimis æſtimant & deprædicant in Eccleſia Dei utilitatem, aliorum verò operas quamvis fortaſſe meliores, tanquam inutiles ſpernere ſolent & ſugillare, qui ad omnia primos ſeſe obtrudunt, quos perſtrinxiſſe videtur Jacobus Apoſtolus: Zelum ipſorum amarum, *Jacobi. 3.* & contentiones quibus corda eorum impleta ſunt, commemorans, & aſſerens, non eſſe iſtam ſapientiam eorum quâ ſe jactant, deſurſum deſcendentem, ſed terrenam, animalem, & diabolicam. Hi in miniſterijs ſuis, quæ circa proximum peragere ſolent, ſi purè Dei gloriam, non verò ſuam ipſorum quærerent, aliorum quoq; laboribus in divina meſſe non inviderent, nec minùs gauderent, quàm ſi ipſi hæc agerent. *Non eſt ille zelus honoris Dei*, inquit Rodriquetz, *ſed tui ipſius, & zelus, ut non minùs eleveris & extollaris, quàm alius ille. Si enim Dei gloriam,*

riam, & non tuam ſpectares, gauderes multos id genus operarios inveniri, & quod ipſe potes & nôſti facere, id per alios fieri. Talis fuit Moyſes, qui dum Joſue quibuſdam prophetantibus reſiſteret, quaſi ira-
Num. 11. tus ei dicebat: *quid æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus ſpiritum ſuum.*

Cùm à Paulo Apoſtolo ſuperiùs citato, ſermo & prædicatio ſanctorum in oſtenſione ſpiritûs & virtutis conſiſtere dicatur, & jam de ſpiritu ſatis actum ſit, ad virtutes quoq; veniendum, quibus ſuper doctos mira perpetrant indocti, cogúntq; eos, qui verbis perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ non erant credituri, operibus mirandis ſaltem fidem non denegare.

X, D. Antonius, ut in ejus vita legimus, cùm multa contra quoſdam
cap. 49. gentiles Philoſophos, qui ad ſe convenerant, & contra vanam eorum ſcientiam perorâſſet, ſubdidit: *Ecce nos, ut dixit Doctor noſter, non in gentili perſuaſione, ſed in fide apertiſſima ſuademus, quæ verborum affirmationem prævenire conſuevit. Adſunt quippe patientes â Dæmonibus vexati*, quos cùm in medium produxiſſet, verba repetivit dicens: *Nunc vos collectionibus veſtris, & quo vultis malefico carmine Deos veſtros, quos putatis expellite; ſin autem non poteſtis, victas ſubmittite manus, & ad Chriſti trophæa confugite, & ſtatim crucifixi credulitatem Majeſtatis potentia proſequetur.* Dixit, & invocato nomine JESU, cùm vitale ſignum in ſacro numero Trinitatis preſſiſſet in frontibus, unà cum expulſis dæmonibus vana Philoſophorum confutata ſapientia eſt.

Conabatur aliquando quidam Magus, contra D. Helenum verbo-
vit. PP. in rum argumentis populum Dei evertere, dicens falſum illum eſſe Epiſco-
vita S.Eu- pum, ſe miſſum eſſe â Chriſto ad docendum. Hic autem erat verſu-
genia. tiſſimus, & de ſcripturis divinis populum ſeducebat. Deniq; omnis turba Chriſtianorum acceſſit ad Helenum, & dicit ei: *audivimus Zaream quod ipſe ſit miſſus â Chriſto, conſtitue diem, in quo aut eum recipias tibi ſocium, aut ſi potes, convincas falſa dicentem.* Igitur conſtituitur dies, & locus in medio Heliopolis Civitatis. Venit Zareas magus cum artibus ſuis, venit & Helenus Epiſcopus cum orationibus ſuis, cúmq; populum ſalutâſſet, ait: *nunc probabitis ſpiritus qui ſunt â Deo*, & converſus ad Zaream, cœpit verborum ingens habere luctamen; ſed quia verſutus erat nimis, & concludere eum ſermonum ratione non potuit, reſpiciens populum fortiter lædi, quod Zareas ſuperior abſcederet

in

in verbis, modicum ſilentium poſtulavit, & ait ad populum: *Pauli Apoſtoli in hac parte monita omnino tenenda ſunt; dicit enim Timotheo diſcipulo ſuo: noli verbis contendere, ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium. Sed ne hoc teſtimonium non quaſi cauti, ſed quaſi timidi proferamus, accendatur ignis in media Civitate, & ingrediamur pariter flammas, & qui uſtus non fuerit, credamus quod hunc miſerit Chriſtus.* Omnibus ſententia placuit, ſtatímq; ignis copioſus accenſus eſt. Tunc Beatus Helenus jubet Zaream introire flammas, cui Zareas inquit. *Ingredere tu primus qui hoc propoſuiſti.* Conſignans ſe igitur Beatiſſimus Pater Helenus, expanſis manibus ingentes flammas intrat, & ſtans illic dimidiá ferè horâ, neq; capillis, neq; veſtimentis ex aliqua parte violatis, ut Zareas quoq; intraret ſimiliter imperabat. Sed Zareas reluctari cœpit & fugere. At ubi eum invitum populus in ignibus tradidit, ſtatim eum exundans flamma cœpit exurere; & immittens ſe Sanctus Helenus, licèt ſemiuſtum, vivum tamen eripuit, quem cum dedecore eliminavit populus de finibus ſuis.

Simile quid Ruffinus narrat in vitis Patrum de Mutio, Palladius de Copre, & Nicephorus de quodam Philoſopho. Libet hîc referre *Cap. 29.* factum Macarij Ægyptij, quod Ruffinus verbis ſequentibus deſcribit: veniſſe ſcilicet ad eum hæreticum quendam Hieracitam, quod genus hæreſeos invenitur apud Ægyptum. Hic cùm per multam loquendi artem plurimos fratrum, qui habitabant in Eremo, conturbaret, auſus eſt etiam coram ipſo fidei ſuæ aſſerere pravitatem. Cui cùm reſiſteret Senior, & contradiceret, ille verba ſimplicia callidis argumentis eludebat. Sed cùm videret Sanctus fidem fratrum periclitari; *Quid opus eſt,* inquit, *nos verbis contendere ad ſubverſionem audientium? exeamus ad ſepulchra fratrum qui nos præceſſerunt in Domino, & cui noſtrûm conceſſerit Dominus ſuſcitare mortuum de ſepulchro, ſciant omnes quia illius fides probatur à Deo.* Sermo hic omnibus qui aderant fratribus placuit. Proceſſerunt ad ſepulchra, & hortatur Macarius Hieracitam, ut evocaret mortuum in nomine Domini. At ille: *Tu*, inquit, *Domine qui propoſuiſti, prior evoca.* Et Macarius proſternens ſe in orationem ante Dominum, ubi ſufficienter oravit, elevatis ſurſum oculis ſuis ait ad Dominũ: *Tu*, inquit, *Domine, quis ex duobus nobis rectam fidem teneat oſtende elevato mortuo hoc.* Et cùm hæc dixiſſet, Fratrem quendam, qui nuper fuerat ſepultus, nomine proprio evocavit. Cui ille, cùm de tumulo

 reſpon-

reſpondiſſet, accedentes fratres, continuò quæ ſuperpoſita fuerant abſtulerunt, & eductum eum de ſepulchro, reſolutis faſciolis, quibus conſtrictus erat, exhibuerunt viventem. Hieracita verò, ubi hæc vidit, obſtupefactus in fugam vertitur, quem fratres quoq; omnes inſequentes extra terminos terræ illius exturbaverunt.

In vita Sancti Petri Martyris legitur, quòd cùm apud Mediolanum aliquando Epiſcopum Hæreticorum à fidelibus captum examinaret, & multi Epiſcopi & Religioſi, & maxima pars Civitatis illuc conveniſſet, & dies tum prædicatione, tum examinatione in longum protracta fuiſſet, & maximus æſtus cunctos affligeret, Hæreſiarcha coram omnibus dixerit: *O Petre perverſe, ſi tu es ita ſanctus, ſicut hic ſtultus populus te eſſe affirmat, cur eum æſtu mori permittis? & non rogas Dominum, ut nubem aliquam interponat, ut non moriatur hic ſtultus populus tanto æſtu?* ad quem Beatus Petrus reſpondit: *ſi vis promittere te abnegaturum hæreſim tuam, & fidem Catholicam recepturum, rogabo Dominum, & faciet quod dixiſti.* Tunc fautores hæreticorum clamantes Hæreſiarchæ dixerunt: *promitte, promitte,* credebant enim quòd fieri non poſſet, quod Beatus ſe facturum coram omnibus ſpopondit, & maximè cùm nulla vel minima nubecula in aëre appareret. Catholici autem ſuper promiſſione Beati Petri triſtari cœperunt, timentes nè fides Catholica ex hoc confuſioni pateret. Cùm autem hæreticus ſe obligare nollet, Beatus Petr9 cùm magna fiducia dixit: *Ad hoc quòd verus Deus viſibilium & inviſibilium Creator monſtretur, & ad conſolationem fidelium, & ad confuſionem hæreticorum, rogo Deum, ut aliqua nubecula aſcendat, & ſe inter ſolem & populum interponat*; quod mox præmiſſo crucis ſignaculo factum fuit, per magnam horam in modum papilionis populum nubeculâ protegente.

Dum quidam hæreticus acerrimus diſputator, & eloquentiæ ſingularis cum eodem Beato Petro diſputaret, erroréſq; ſuos ſubtiliter & acutè in medium propoſuiſſet ac propugnâſſet, illúmq; ut reſponderet ad propoſita importuniùs perurgeret, ille deliberationem petens, oratorium quoddam quod prope erat intravit, cùm lacrymis orans Deum, ut cauſam fidei ſuæ defenderet, & loquacem ac tumidum, aut ad fidei veritatem reduceret, aut linguæ privatione puniret, ne per eam de cœtero contra fidei veritatem tumeret. Rediénſq; ad hæreticum coram omnibus palàm dixit, ut ſuas iterum proponeret rationes; qui ità penitus fa-

ctus

ctus eſt mutus, ut nec ullum ſolum verbum aliquatenus proferre valeret. Unde hæretici confuſi receſſerunt, & Catholici Deo gratias retulerunt.

Sed objicient hic aliqui frigidum illud: *Deus jam non facit miracula.* Fides jam ſatis propagata illis non indiget, ordinarijs medijs neglectis in extraordinarijs hiſce confidere, eſſet Deum tentare. Sed ô nihili homunciones! *Nunquid abbreviata & parvula facta eſt manus Domini?* *Iſaia 50. & 59.* cur etiamnum precibus Sanctorum in cœlo jam regnantium admiranda multa contingunt in fidei noſtræ teſtimonium, ſi fides his non indiget? & cur eadem non fiunt meritis vivorum? *Ecce non eſt abbreviata manus Domini, ſed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus à vobis, inanis & mortua eſt fides veſtra.*

Plus ergo ſimplices, modò boni fuerint, ſuámq; in Deo fiduciam collocârint, Eccleſiæ Dei ſunt proficui, quàm docti in ſua ſcientia vanè confidentes. XI. Quin etiam ad regimen animarum, & Ordinum Prælaturas ſunt frequenter habiliores, quàm alij ſcientiâ excultiſſimi, præclari quidem theorici, practici tamen nulli vel exigui, qui tametſi rerum altiſſimarum ſcientiâ emineant, in obvijs tamen negotijs pueris quandoq; ridenda committunt. Quamobrem neſcio an bene olim Imperatori Tacito fuerit acclamatum: *Quis meliùs quàm literatus imperat?* Aliter & veriùs fortaſſe ſenſit Thucydides: *hebetiores*, inquit, *quàm acutiores ut plurimùm meliùs Rempublicam adminiſtrant.* Actioni enim magis quàm ſpeculationi ſolent eſſe intenti. Hinc etiam in Prælatorum electionibus virtus præ doctrina ſemper eſt ſpectanda, & præferendus eſt minus doctus, modò idoneus, quando ejus mores ſunt noti & approbati, doctiori, cujus vita ignoratur, prout declaravit ſacra Congregatio *Vide Göz. ad reg. 8. Cancell: gl. n. 112. c. Niſi-cũ pridem de renuntia.* Innocentij III. in quadam Decretali, ubi cùm citâſſet illum Pauli textum *ſcientia inflat, charitas autem ædificat*, ſubjicit: *& ideò imperfectum ſcientiæ poteſt ſupplere perfectio charitatis.* Raro autem vel omnino nunquam poteſt imperfectum charitatis à ſcientia ſuppleri; malum enim non ex quocunq; ſcientiæ, ſed ex quocunq; virtutis defectu.

Quin etiam magnus eſt frequenter in hominibus literatis ſcientiæ XII. ad regimen neceſſariæ defectus, quod non in ſpeculatione, ſed in praxi conſiſtit. Impendunt quidem docti, cùm ad Prælaturas fuerint evecti, ſuum tempus ordinariè diverſis lectionibus, ad animarum tamen regimen parum conducentibus, & vanis ſpeculationibus quibus ſunt aſſveti

 paſcunt

Digitized by Google

paſcunt intellectum. Unde fit, ut negotia magis neceſſaria frequenter negligant, & regimini ſibi commiſſorum valde parum intendant. Cùm tamen regimen animarum totum ferè hominem deſideret, nec patiatur alijs ad eundem finem minimè conducentibus eſſe abſtractum. Sumus ſpeculatores à Deo conſtituti, non ſubtilitatum, ſed utilitatum, rerum videlicet, quæ gregi nobis commiſſo utiles eſſe poſſunt. Nihilominùs dantur aliqui, non recogitantes, ſe cum Prælaturæ officio onus Angelicis etiam humeris formidandum ſuſcepiſſe, qui tanquam omnino eſſent exoccupati, ſpeculativis ſtudiorum laboribus, imò & profanis potiſſimam temporis partem inſumunt. Tractâſſe ſimilia quondam ſufficiat. Alijs, qui à ſeverioribus curis ſunt liberiores, illa relinquantur, ſint Poëtæ, ſint Aſtronomi, ſint Philoſophi, ſint Oratores.

Virgilius. *Tu regere imperio populos* Prælate *memento.*
Hæ tibi erunt artes.

Lib. 3. cap. 1. Lælius Priſciola in horis ſuccisivis, ſcribit ſe noviſſe Patavij, cùm Theologiæ operam daret, Archi-Epiſcopum ætate jam proveƈtâ, doƈtum hominem, ingenioſum, acutum, gravem, cum quo, ſi de Theologia, déq; divina ſapientia ſermones velles conferre, frontem obducere, ſupercilium attollere, manifeſtis indicijs averſari hujuſmodi orationem vidiſſes; at ſi quidpiam cum eo de modalibus, de converſionibus, de miſſionibus, de maximo, de minimo, de proportionibus & gradibus aƈtionis, paſſionis, reaƈtionis, repaſſionis communicare in animum induceres, exhilarare vultum, exultare, triumphare gaudio. Noƈtes & dies ſenex hic & gravis Archi-Epiſcopus totus erat in explicanda ratione modalium, ſcribebat de eo argumento, reſcribebat, cum hoc atq; illo conferebat, hujus explicationem reprehendebat, illius commendabat, nec ſibi unquam ſatisfaciebat. Inſtituit item de cauſa atq; origine riſûs traƈtationem, in qua quoniam aliorum omnium veterum ac recentium Philoſophorum confutans opiniones, ſibi viſus erat rem ipſam quaſi acu tetigiſſe, ità ſibi placebat, ut magnum Turcarum Imperatorem dicere poſſes eum ad Chriſti fidem Religionémq; adjunxiſſe.

XIII. Digna profeƈtò hiſtoria quæ diebus canicularibus inſeratur. Quæ ſtoliditas, & quæ dementia? Eccleſiæ Antiſtitem ſimilibus nugis atq; crepundijs pretioſum tempus inſumere, cui in lege Domini pro ſua & gregis Dominici ſalute meditandum erat die ac noƈte. Scientia quâ Prælati exculti eſſe debent, non conſiſtit in rerum ſubtilium & curioſa-

rum

rum ſpeculatione, ſed in notitia rerum conducentium ad prudens & felix ſubditorum regimen, quod ars eſt artium. Hinc etiam Salomon, Rex ſuper Iſraël conſtitutus, à Deo ſibi liberam petendi optionem dante, *poſtula quod vis ut dem tibi*, non legitur poſtulâſſe ſcientiam aliquam vanam & frivolam; non petijt ſcire *diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, &c. anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones, naturas animalium, differentias virgultorum, & virtutes radicum.* Quamvis & horũ ſcientiam ſibi à Deo infuſam acceperit, ſicut etiam divitias & gloriam, quæ non petiêrat. Quid ergo petijt? Hæc fuit ipſius petitio: *Domine Deus, tu regnare feciſti ſervum tuum pro David Patre meo. Ego autem ſum puer parvulus, ignorans egreſſum & introitum meum; Et ſervus tuus in medio eſt populi quem elegiſti, populi infiniti, qui numerari & ſupputari non poteſt præ multitudine. Dabis ergo ſervo tuo cor docile, ut populum tuum judicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum.* Non abſimilis eſt illa petitio, quam in ſapientiæ libro ſcriptam reliquit: *Mitte illam de cœlis Sanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret, ut ſciam quid acceptum ſit apud te. Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobriè, & cuſtodiet me, & erunt accepta opera mea, & diſponam populum tuum juſtè, & ero dignus ſedium Patris mei. * Placuit ſermo coram Domino quòd Salomon poſtulâſſet hujuſcemodi rem.* Eadẽ debet eſſe petitio omnium Prælatorum. Hæc illorum ſapientia, hæc doctrina, ut nôrint quid acceptum ſit Deo, & ſciant diſcernere, non tam inter verum & falſum, quàm inter bonum & malum. Quam ſapientiam ſi à Deo fuerint conſecuti, deducentur per illam in operibus ſuis ſobriè, & diſponent populum ſuum juſtè.

Sap. 7. *3. Reg. 3.* *Sap. 9.* *3. Reg. 3.*

Subjiciam hîc paucos adhuc verſiculos, in ea quæ Capite præſenti dicta ſunt:

Quantumvis adſit facunda ſcientia doctis,
Attamen illa parum cernitur eſſe potens.
Eſto in capturam doctrina retia pandant,
Plus alius ſanctâ ſimplicitate capit.
Cauſa quidem ſimplex, ſed qui producitur inde
Effectus, duplex ſæpius, atque triplex.
E contrà doctus, qui ſe plus ſimplice jactat,
Simplum vix pretium ſæpe laboris habet.

Paucos effectus cauſarum cognitioni,
Plures virtuti novimus attribui.
Ut ſis multa potens, animo ſit plurima virtus;
Iſti poſtpoſitâ cognitione ſtude.

CAPUT XXXVII.

Deus ſimplicium Doctor & Illuminator.

I. Eccli. 1. OMnis ſapientia à Domino Deo eſt, ait Eccleſiaſticus, *fons ſapientiæ verbum Dei*, à quo ſcientiarum omnium flumina in nos derivantur. *Origo fontium & fluminum omnium mare eſt, virtutum & ſcientiarum Dominus JESUS Chriſtus*, teſte S. Serm. 13. in Cant. Bernardo, *cordis induſtria, voluntatis rectitudo ex illo fonte manant. Non ſolùm autem, ſed & ſi quis callet ingenio, ſi quis nitet eloquio, ſi quis moribus placet, inde eſt. Inde ſcientia, inde ſapientiæ ſermo. Theſauri* Baruch. 3. *ſiquidem ſapientiæ & ſcientiæ ibi omnes abſconditi ſunt.* * Qui hunc dimittit, derelinquit *fontem ſapientiæ*

Job. 28. *Trahitur ſapientia de occultis.* * *Omne datũ optimum eſt deſcendens* Jacobi 1. *à Patre luminũ.* Et, *inſpiratio omnipotentis dat intelligentiã.* Deus *ſcienti-* Job. 32. *arũ Dominus eſt.* Deus *dat ſapientiã, & ex ore ejus prudentia & ſcientia.* Prov. 2. * *Deus revelans myſteria.* * *Dans ſapientiã ſapientibus, & ſcientiã, intelli-* Dan. 2. *gentibus diſciplinam.* Ait ille in Apocalypſi: *Ego ſum α & ω.* In quem Apoc. 22. locum Hugo Cardinalis ità ſcribit: *Literis ſe comparat, quia ipſe eſt ſapientia, quæ literatos facit.* Omnis literaturæ *alpha* & *omega* ipſe eſt, Baruch. 3. omnis ſapientiæ principium & finis. *Hic eſt Deus noſter, hic adinvenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Jacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Hunc Inventorem ac Doctorem ſcientiæ Paulus Apoſtolus innuit ad Corinthi- 1. Cor. 1. os ità ſcribens: *In omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in* 2. Cor. 4. *omni ſcientia.* Et: * *Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei.*

Lib. 12. in Matth. Rupertus Tuitienſis Abbas, quibuſdam ſibi obijcientibus, *qui ſunt Patres & Magiſtri tui?* taliter reſpondet: *Hoc profiteor, quia viſitatio ab Altiſſimo melior mihi eſt, quàm decem Patres & Magiſtri. Lo-*

quor ad ſcribendum, quidquid ille monitor ſuggerit. * *In cælis cathedram* *Lib. 4.*
habet qui corda docet, ait Sanctus Auguſtinus. *Scis tu Domine*, inquit *Conf. cap.*
idem Eccleſiæ Doctor, *quia & celeritas intelligendi, & diſcernendi acu-* *16.*
men donum tuum eſt. * *Semper cæcus fuiſſem niſi tu me illuminâſſes.* Stu- *Solil. c. 5.*
duit in hujus Magiſtri ſchola vates Apocalypticus, qui etiam *ſupra pectus Domini JESU recumbens, Evangelij fluenta de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potavit.* Audiamus quid ſuis in ſchola Chriſti Condiſcipulis ſcribat: *Unctionem*, inquit, *habetis à Spiritu Sancto, & nôſtis omnia.* * *1. Joan. 2.*
Unctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis, & non neceſſe habetis ut aliquis doceat vos, ſed unctio ejus, id eſt imbutio & inſtructio cœleſtis doctrinæ *docet vos de omnibus.* Huc etiam ſpectat illud Sapientiæ: *Sap. 3.*
Qui confidunt in illo, intelligent veritatem. Ipſe habet clavim ad omnes ſcripturæ ſuæ theſauros. *Hinc niſi aperta fuerint univerſa, quæ ſcripta* *Hierony.*
ſunt ab eo, qui habet clavim David, qui aperit & nemo claudit, claudit *ad S. Pau-*
& nemo aperit, nullo reſerante pandentur. Ab hoc ſcientiarum adyta *lam.*
ſibi reſerari, ab hoc tenebras ignorantiæ ſuæ illuminari, ab hoc Doctore, *qui docet hominem ſcientiam*, erudiri poſtulabat Rex David: *Da mihi intellectum, & ſcrutabor mandata tua. Revela oculos meos, & conſiderabo mirabila de lege tua. Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. Tu illuminas lucernam meam Domine. Deus meus illumina tenebras meas.* Hinc etiam tantum ſapientiæ donum à Deo conſecutus eſt, ut diceret: *Super omnes docentes me & ſuper ſenes intellexi.* * *Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtâſti mihi.* * *Et ſedens in cathedra ſapientiſſimus* etiam alijs ejuſdem Divinæ Sapientiæ fluenta ructaret.

Falluntur ergo, qui humano ſtudio, abſq; doctrina Dei, & illuminatione interna, ad veram ſcientiam pertingere ſe poſſe confidunt.
Labor ſtultorum affliget eos, inquit Eccleſiaſtes, *quia neſciunt in Urbem* *Eccle. 10.*
pergere. In quæ verba Divus Hieronymus ità ſcribit: *Lege Platonem, Ariſtotelis revolve verſutias, Zenonem & Carneadem diligenter intuere, & probabitur verum eſſe quod dicitur: Labor ſtultorum affliget eos. Veritatem illi quidem omni ſtudio quæſièrunt, ſed quia non habuerunt Ducem & prævium itineris, & humanis ſenſibus rati ſunt ſe comprehendere poſſe ſapientiam; ad Civitatem minimè pervenerunt.* Erraverunt in ſolitudine, viam Civitatis habitaculi, ſeu Urbem veritatis ac ſapientiæ non invenerunt. *Falleris, falleris*, inquit idem ſacri nominis Doctor, *Epi. 108.*
ſi te

Digitized by Google

ſi te putas invenire apud mundi Magiſtros ſcientiam, quam ſoli Chriſti diſcipuli Dei munere aſſequuntur. * *Nemo niſi in lumine ſupernæ veritatis ſcire valet, quid ipſe agere, quidve alios debeat docere*, ut ſcribit Sanctus Laurentius Juſtinianus. *Hoc donum, hanc ſpiritualem ſcientiam, nullus accipere, niſi ex magiſterio Spiritûs Sancti meretur.*

De cõtemptu mundi. cap. 2. Idem de caſto connub. c. 3. Laurent. Juſtinian. in faſc. amoris, c. 5.

Nullam eſſe utilitatem ſcientiæ per induſtriam humanam, ſinè divini luminis adjutorio comparatæ docet idem Sanctus Venetorum Patriarcha ſequentibus verbis: *Quæ etenim ex naturali ingenio, ſeu ex accidenti habetur ſcientia, quoniam â charitate aliena eſſe cognoſcitur, elatione attollit animum, & reddit inſipidum. Non enim ex induſtria, ſed gratìs divinitus ſapientiæ tribuitur guſtus. Acquiſita per ſe ipſum ſcientia paucis contenta eſt, ſe ad aures diffundit hominum, favores quærit, quoniam appetit inaniter ſciri. Tanquam Therebintus expandit ramos ſuos, ſoláq; exteriori decorata pulchritudine, juſtitiæ fructum ex ſe germinare ignorat. In mendicitate degens, aliorum dapibus convivia celebrat, dietim operatur, propterea nunquam diteſcit, ſibi ſoli profutura quærit, æterna negligens, temporali mercede lætatur. Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, pudica, humilis, conſentiens, & delectabilis eſt; ſe in mentis interiora recondit, in propria dulcedine requieſcens. Spiritualibus lectionibus theſauros ſibi aggregat imprædabiles, ſupra divinitatis fundamentum ædificat, & in petræ foraminibus pullos reponit ſuos. De petra indeſinenter ſugit mel, atq; olei dulcedinem jugiter exprimit de ſaxo duriſſimo. Charitatis ac ſapientiæ verbi potatur ſtillicidijs, nec non eorum cibarijs enutritur.*

Ipſi Gentiles, quaſcunq; ſcientias, non ex humani adinventione ingenij, ſed ex inexhauſto Divinæ Sapientiæ theſauro dimanare crediderunt. Hinc Palladem liberalium artium ac diſciplinarum præſidem, ex Jovis cerebro prognatam eſſe tenuerunt, & rationis lumen â prometheo in terras è cœlo fuiſſe delatum. Hæc eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, niſi ab ea mentis ſuæ oculum ipſe avertat, & cordis ſui feneſtram eidem claudat, prout illi clauſerunt,

Sap. 5. qui in libro ſapientiæ lamentantur: *Iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Ortus quidem illis eſt ſol intelligen-

Job. 24. tiæ, ſed radios ejus recipere noluerunt. * *Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſciêrunt vias ejus.* Nos divino lumini mentibus humanis illabenti nullum ponamus obicem, & ſpretis mundanæ ſcientiæ tenebris, oculo mentis

mentis irretorto in ſolem illum Divinum ſimus continuè defixi, in cujus lumine videbimus verum ſapientiæ lumen. Sequamur quoq; illud S. Petri Damiani monitum, quod dedit Ariprando: *Dilectiſſime fili, noli hujuſmodi ſapientiam quærere, quæ tibi ſimul cum reprobis & gentilibus valeat convenire. Quis enim accendit lucernam. ut videat ſolem? quis oculáribus utitur. ut ſtellarum micantium videat claritatem? ità qui Deum vel Sanctos ejus ſyncero quærit intuitu, non indiget peregrinâ luce, ut veram conſpiciat lucem. Ipſa quippe vera ſapientia ſe quærentibus aperit, & ſinè adulterinæ lucis auxilio, lucis inoccidua ſe fulgor oſtendit. Unde ſcriptū eſt: clara eſt ſemper, & nunquā marceſcit ſapientia, & facilè videtur ab his qui diligunt illā, & invenitur ab his qui quærunt illam, præoccupat eos qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat. Illam ergo ſapientiam quære, illam totis viſceribus ardenter amplectere, ex qua non modo valeas ſapere, ſed & vivere, ac per eam ſinè fine gaudere. In Deo igitur, qui vera eſt ſapientia, quærendi & intelligendi finem conſtitue, hunc aſſiduus meditare, in eo jugiter requieſce, cui ſcilicet in eodem ſapientiæ libro dicitur: nôſſe enim te conſummata juſtitia eſt, & ſcire juſtitiam & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis. In illo igitur defige totum tuæ mentis obtutum, ab illo ſapientiæ fonte ſume ſitibundi pectoris hauſtum, ut in viſceribus tuis illius vitalis poculi vigore concepto, & ipſe cœleſtis gratiæ madore jugiter vireas, & in alios diſtillantia fontis irrigui fluenta transfundas.* Opuſc. 45. Ep. ad Ariprandū.

II. Divo Benedicto, omnis mundus ſemel velut ſub uno ſolis radio collectus, ante oculos adductus eſt. Auſcultate curioſi ſcrutatores mundi, quem à Deo diſputationi veſtræ traditum gloriamini; uno ſimplicis oculi intuitu, totam ejus univerſitatem comprehenſam; mirari nolite. quia *anima videnti Creatorem, anguſta eſt omnis creatura*. Videnti non ſolùm in patria, ſed etiam in via piè contemplanti. O compendioſam diſcendi facultatem Magiſtrâ veritate! hac edocente meretur diſcere, qui ejus cupidine omne diſcendi deſiderium procul abjecit. Abjecit D. Benedictus; nam ut in Dialogis de illo habet Divus Gregorius, Romæ liberalibus literarum ſtudijs traditus fuerat, ſed cùm in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum quem quaſi in ingreſſum mundi poſuerat, retraxit pedem, nè ſi quid de ſcientia ejus attingeret, ipſe quoq; poſtmodum in immane præcipitium totus iret. Deſpectis itaq; literarum ſtudiis, relictâ domo, rebúſq; patrijs, ſoli Deo placere deſiderans, *S. Gregor. Dial. lib. 2. c. 36. Gregorius ibidem.*

Idem. ſanctæ converſationis habitum quæſivit; receſſit igitur *ſcienter neſciens, & ſapienter indoctus.*

Quid hîc omnes referam? qui literaturam contemnentes in ſimplicitate ſua ſancta plus millies ſpiritu illuminante profecerunt, quàm labore ſtudióq; proprio etiam mille ſæculis profeciſſent. Idiota quidam *Lib. 5. c. 5.* apud Divam Gertrudem rogatus, quomodo tam multa ſciret? verbis Divi Auguſtini reſpondit: *Deum ſemel inſpexiſſe eſt omnia didiciſſe.* Sanctus Bernardus, ùt in ejus vita legimus, quicquid in ſcripturis didicerat, maximè in ſylvis meditando & orando ſe confitebatur accepiſſe, & nullos ſe aliquando Magiſtros habuiſſe, niſi quercus & fagos, inter amicos dicere ſolebat. Deniq; confeſſus eſt, àliquando meditanti vel oranti ſacram omnem velut expoſitam ſibi apparuiſſe ſcripturam. Suggerentem quoq; omnia quæ dicebat ſpiritum, inter loquendum & prædicandum habuit. Unde cùm aliquando ex his quæ ſuggerebantur, dum in cantica differeret, etſi non infideli, minùs tamen fidenti animo reſervaret, ut haberet quid diceret denuo tractaturus, ecce vox ad eum venit dicens: *Donec iſtud tenueris, aliud non accipies.*

Sanctus Antonius Eremi cultor, hoc in ſe mirabile habebat, quod cùm literas nunquam didiciſſet, neq; diſcere voluiſſet, ingenioſiſſimus & prudentiſſimus tamen erat, ità ut ex ſcripturis quicquid vellet ſpiritu dictante, diſertè produceret, tam ad ædificationem, quàm hæreticæ inſaniæ confuſionem.

In vitis Patrum, libello 4. lib. 6. nũ. 16. Philoſophus quidam ipſum aliquando interrogavit: *Quomodo,* inquit, *contentus es Pater, qui codicum conſolatione fraudaris?* ille reſpondit: *Meus Codex Philoſophe, natura rerum eſt creatarum, quæ mihi, quoties verba Dei legere cupio, adeſſe conſvevit.* Reſplendet videlicet in hoc libro copioſè bonitatis & potentiæ Divinæ imago, unde pius & ſimplex Idiota, Spiritu Sancto duce, plura in uſus ſuos, & aliorum quoq; ædificationem depromere poteſt, quàm ſi mille librorum doctrinam abligurìiſſet.

Doctiſſimus Cardinalis de Cuſa fuſiùs hanc materiam explanat, in libris Idiotæ de ſapientia intitulatis, inducens ſimplicem idiotam cum Oratore docto & ſuperbo loquentem. Quem dialogum ſic orditur: *Lib. 1.* *Convenit pauper quidam idiota ditiſſimum Oratorem in foro Romano, quem facetè ſubridens, ſic allocutus eſt: Miror de faſtu tuo, quòd cùm continuâ lectione defatigeris, innumerabiles libros lectitando, nondum*

ad hu

Digitized by Google

ad humilitatem ductus ſis; hoc certè ex eo, quia ſcientia hujus mundi in qua te cæteros præcellere putas, ſtultitia quædam eſt apud Deum, & hinc inflat: Vera autem ſcientia humiliat; optarem ut ad illam te conferres, quoniam ibi eſt theſaurus lætitiæ. Orator: *Quæ eſt præſumptio tua pauper idiota & penitus ignorans, ut ſic parvifacias ſtudium literarum, ſinè quo nemo proficit?* Idiota. *Non eſt magne Orator præſumptio, quæ me ſilere non ſinit, ſed charitas. Nam video te deditum ad quærendam ſapientiam multo caſſo labore, à quo revocare ſi poſſem, ità ut & tu errorem perpenderes, puto contrito laqueo te evaſiſſe gauderes. Traxit te opinio authoritatis, ut ſis quaſi equus naturâ liber, ſed arte capiſtro alligatus præſepi, ubi non aliud comedit, niſi quod illi miniſtratur. Paſcitur enim intellectus tuus authoritati ſcribentium aſtrictus, pabulo alieno, & non naturali.* Orator. *Si non in libris ſapientùm eſt ſapientiæ pabulum, ubi tunc eſt?* Idiota. *Non dico ibi non eſſe, ſed dico naturale ibi non reperiri. Qui enim primò ſe ad ſcribendum de ſapientia contulerunt, non de librorum pabulo, qui nondum erant, incrementa receperunt: ſed naturali alimento in virum perfectum producebantur, & ij cæteros, qui ex libris ſe putant profeciſſe, longè ſapientiâ antecedunt.* Orator. *Quamvis fortè ſinè literarum ſtudio aliqua ſciri poſſint, tamen res difficiles & grandes nequaquam; cùm ſcientiæ creverint per additamenta.* Idiota: *hoc eſt quod ajebam, ſcilicet te duci authoritate & decipi. Scribit aliquis verbum illud, cui credis. Ego autem dico tibi, quòd ſapientia foris clamat in plateis, & eſt clamor ejus, quomodo & ipſa habitat in altiſſimis.* Orator: *Ut audio cùm ſis idiota ſapere te putas.* Idiota: *Hæc eſt fortaſſis inter te & me differentia: tu te ſcientem putas, cùm non ſis, hinc ſuperbis; ego verò idiotam me eſſe cognoſco, hinc humilior, & in hoc fortè doctior exiſto.* Orator: *Quomodo doctus eſſe potes ad ſcientiam ignorantia tua, cùm ſis idiota?* Idiota: *Non ex tuis, ſed Dei libris.* Orator. *Qui ſunt illi?* Idiota. *Quos ſuo digito ſcripſit.* Orator. *Ubi reperiuntur?* Idiota. *Ubiq;.*

Sunt igitur alij ſimplicium libri, ex quibus Deo erudiente magìs proficiunt, quàm inſipienter ſapientes in doctiſſimis ſuis Codicibus, refertiſſimiſq; Bibliothecis. Sanctum Dominicum interrogatum legimus à quodam, in quo libro plus ſtuduiſſet? reſpondit Vir Sanctus: *in libro charitatis.* Hi libri ſunt, hæc ſtudia Divinæ Philoſophiæ; hîc ſumma ſapientiæ, non inanis literaturæ arcana traduntur. *Confiteor tibi* III. *Matt. 11.* *Pater*

Pater Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelâſti ea parvulis; Ita Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te.

Lege in vita Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ, authore Sophronio, colloquium quod habuit Zozimus cum illa Eremi jam pridem cultrice; ibi reperies, quomodo audiens Zozimus proferri à Maria ſcripturarum teſtimonia, ex libris Moyſis, & Beati Job, utì & Pſalmorum, dixerit ad eam: *Pſalmos ô Mater didiciſti? vel alios libros ſacræ ſcripturæ legiſti?* illa autem hoc audiens, ſubridens reſponderit: *Crede mihi, non vidi hominem ex quo Jordanem tranſivi, niſi te hodie; ſed neq; feram, aut aliud animal qualecunq;, ex quo in hanc deveni ſolitudinem; literas autem nunquam alicubi didici, ſed neq; pſallentem aut legentem aliquem auſcultavi; ſermo autem Dei vivus & efficax intellectum intrinſecus docet humanum.*

Sancta Clara de monte Falco tantâ ſapientiâ fuit à Deo ditata, ut multa futura Divino ſpiritu prævideret; internos quoq; virginum ſibi creditarum defectus cœleſti luce colluſtrata perſpiceret, & convenientia ijs curandis remedia adhiberet, damnáq; imminentia anteverteret. Viris quoq; doctiſſimis abdita ſacrarum literarum myſteria explicabat. Hæreticos confutabat & confundebat. Aliquando cuidam ſimulatæ ſanctitatis opinione pollenti, ſanctámq; virginem circumvenire molienti viriliter omnino reſtitit, eúmq; divinitus illuſtrata confudit, ſic ut nec hiſcere porro auderet. Eadem ſancta dicere ſolebat, tanto ſe fidei lumine, & charitatis ardore divinitus impertitam, ut quamvis omnes totius mundi Codices flammis abolerentur, & omnis Evangelij prædicatio deſineret, ſatìs ad ſupplendum hunc defectum vel ſe futuram ſibi videretur.

Scribit Cantipratanus, ſe in quodam Campaniæ Monaſterio, Ciſtercienſis Ordinis, Abbatiſſam vidiſſe, quæ ſinè ulla literatura artis Grammaticæ, plurimis ante mortem annis, Deo intellectûs oculum illuminante, tantum ſapientiæ donum eſt conſecuta, ut non ſolùm libros Theologiæ ſcholaſticæ, ſed etiam libros Sancti Auguſtini de Trinitate pleniſſimè intelligeret, & difficillimas eorum quæſtiones lucidiſſimis ſolutionibus exponeret.

Eâdem rerum Divinarum ſcientiâ divinitus hauſtâ claruerunt Maria Magdalena de Pazzis, Sancta Catharina Senenſis, & Sancta Thereſia

ſia, in cujus etiam collecta Deum oramus, *ut cœleſtis ejus doctrinæ pabulo nutriamur*. Venerabilis Virgo Marina de Eſcobar, hauſit ex vulnerato Chriſti latere donum ſapientiæ. Vidit eadem aliquando ſibi oſtenſum in cœlo librum ſapientiæ Divinæ, magnum & elegantiſſimum, puriſſimo auro & pretioſiſſimis lapidibus exornatum, ex quo juſſa eſt â Domino ſcribere Tractatum de ſtatu & perfectione virtutum; cúmq; ſuam imbecillitatem excuſaret, vidit in illo eodem libro ſibi exhibito, expreſſa ac delineata ineffabilia myſteria Sanctiſſimæ Trinitatis, & ſacratiſſimæ humanitatis Chriſti JESU Domini noſtri, ità ut omnia in eo cognoſcerentur modo tam divino, qui humanæ rationis captum excedit. Dictúmq; eſt: *Iſte eſt liber ſapientiæ Dei, ex quo tanquam ex fonte & vaſto fluvio emanant ac decurrunt rivi aquæ cœleſtis ſapiētiæ, ut facias quod ex te ipſa nec ſcis, nec potes facere*. O quàm docti ſunt & literati, qui ſtudent in hoc Divinæ ſapientiæ libro, quibus abſq; verborum ſtrepitu loquitur æterna veritas, quos Spiritûs Sancti unctio docet de omnibus. Quiſquis ab hoc Magiſtro vult erudiri, nullum doctrinæ cœleſti malè vivendo ponat obſtaculum. Solis enim *piè agentibus* Deus dat *ſapientiam*. Et iam ſuperiùs viſum eſt, quòd ſapientia non habitet in corpore ſubdito peccatis. Hinc etiam bene â Philoſopho dictum eſt, quòd *omnis malus* ſit *ignorans*, ſive ſapientiæ cœleſtis expers. E contra *intellectus bonus omnibus facientibus eum*. Et *ſpiritualis*, ſive homo pius & devotus *judicat* ſeu intelligit *omnia*. * *Vir bonus rectè in omnibus judicat*, ipſius Ariſtotelis teſtimonio. Et *virtuoſus eſt regula & menſura omnium humanorum*. * *Legitimi Dei cultores mente pollent*, inquit Philo Judæus; *verus enim Dei Sacerdos, ſimul etiam vates eſt; habet enim in ſe ſolem intelligibilem*. Nimirum ùt rectè ait Boëtius:

Ex vita lib. 5. cap. 22.

Eccli. 43.

1. Cor. 2.

3. Ethic. 4.

Splendor quo regitur, vigétq; cœlum,
Vitat obſcuras animæ ruinas,
Et mentem ſequitur nitentem.

Huc ſpectat illud Gregorij Nazianzeni: *Vis Theologus aliquando fieri, ac dignitate dignus, mandata ſerva, per Dei præcepta incede*. Et illud Sancti Laurentij Juſtiniani: *Nemo Paracleti diſciplinâ dignus efficitur, niſi priùs carnem ſpiritui, & animum ſubegerit virtuti*.

Nazianz. de dignitate & ſtatu Epiſc.

Scribit Caſſianus, Theodorum quendam Monachum magnæ ſanctitatis, ità rudem fuiſſe, ut nec elementa ſciret; tamen ita in ſcripturis Divinis peritum, ut à Viris doctiſſimis conſuleretur. Hic dicere ſole-bat,

De caſto connubio, c. 3.

bat, plus in vitijs extirpandis, quàm libris evolvendis operæ ponendum eſſe; quòd his expulſis, confeſtim cordis oculi cœleſte lumen admittentes, ſublato velamine paſſionum, ſacramenta ſcripturarum velut naturaliter incipiant contemplari.

IV. *Lib. 2. de ſer. Dom. in monte c. 3.* Sanctus Auguſtinus ſcribit Deum *paratum eſſe dare ſuam lucem nobis, non viſibilem, ſed intelligibilem & ſpiritualem, ſed nos non ſemper paratos eſſe accipere, cùm inclinamur in alia, & rerum temporalium cupiditate tenebramur.* Tenebras illas fugari docet converſione mentis in Deum, & purgatione interioris oculi, quæ tunc fit, *cùm excluduntur ea, quæ temporaliter cupiebantur, ut acies cordis ſimplices ferre poſſit ſimplicem lucem divinitus, ſine ullo occaſu aut immutatione fulgentem.* *Serm. 8. de diverſis.* * *Fugatis tenebris fumoſarum cupiditatum*, inquit idem Eccleſiæ Doctor, *videbitis lumen.* Diligunt tamen homines magis tenebras, quàm lucem, & prohibent ad ſe Divini luminis acceſſum. Hinc plurimi eorum permanent in cœcitate cordis ſui, obſcuratum habentes intellectum, *Sap. 2.* *excæcavit eos*, & cœleſti lumine privavit *malitia eorum.* Excluſis ergo vitiorum tenebris, per virtutum ſectationem mens ad capiendum cœleſte lumen optimè diſponitur.

Audiamus hìc etiam S. Laurentium Juſtinianum ità loquentem: *Laurent: Juſtinian⁹ de caſto connubio, cap. 12.* *Sapientia mentem reformat in lumine ſuo, eò vehementiùs, quò abundantiùs ſe communicat. Tantò verò perfectiùs ſe communicat, quantò ampliùs ipſam ad ſe ſuſcipiendum diſpoſitam reperit animam. Diſponit quidem illam peccatorum dolor, cordis gemitus, lacrymarum effuſio, aſſidua lectio, divinarum ſcripturarum jugis meditatio, pura confeſſio, lingva circumciſio, & humanitatis verbi attenta cogitatio; ipſius autem decor relucet in conſcientiæ claritate, in innocentia cordis, in intentionis rectitudine, & in vehementia charitatis.* Idem Sanctus Venetorum Patriarcha alibi exponit, quibus modis ſe ad cœleſtis conſecutionem ſapientiæ anima diſponere debeat, Sancti Hieronymi exemplo, cujus laudes decantat ſequentibus verbis: *Serm. de S. Hieron.* *Meritò illum colit Eccleſia, qui eam ſcientiæ munimine cuſtodivit, protexit, & docuit. Erat profectò columna argentea, erecta, fulgens & ſolida. Tanquam columna ſuper baſes aureas fundata, mens illius erigebatur in cœlum, cœli alta penetrabat, ut lumen veritatis intueretur in lumine. Nunquam tamen imbrem potuiſſet ex ſe proferre doctrinæ, niſi in cœleſtibus & ipſe fuiſſet imbutus. Fons namq; ſapientiæ verbum Dei in excelſis eſt, & ingreſſus illius mandata*

Digitized by Google

data æterna, ad illum diligendo propinquans, ſapientiæ fluenta percepit. Nam ſecundùm datum & beneplacitum ipſius præbet illam Deus diligentibus ſe. Non enim talis eſt illa, de qua loquimur ſapientia, ut humano valeat vendicari ingenio. Impetratur precibus, cordis puritate ſuſcipitur, humilitate cuſtoditur. Nempe in malevolam animam non introibit ſapientia, neq; habitabit in corpore ſubdito peccatis. Tumorem evacuet, criminum faces abluat, gemitibus Dominum deprecetur, qui Divinæ ſapientiæ cupit veritatem agnoſcere. Quantis, oro, hic Sanctus exhortationibus, quantis profluviis lacrymarum, quantis vigiliarum laboribus, quantâve humilitatis virtute mentis ſuæ mundabat hoſpitium, ut dignus ſapientiæ contubernio haberetur? Nempe illam concupivit, quæſivit, invenit & tenuit, atq; caſtiſſimis illius eſt potitus amplexibus, unde tanquam amiciſſimo ſibi incerta & occulta eloquiorum ſanctorum myſteria reſeravit innumera, &c.

V. Inter omnes autem virtutes *caſtitas* & *humilitas* maximè requiruntur ad ſapientiam cœlitus hauriendam Quoad caſtitatem, certum eſt; ſapientia enim non invenitur in terra ſvaviter ſeu luxurioſè viventium. Quod attinet humilitatem, ipſius caſtitatis, & omnium aliarum virtutum baſin ac fundamentum, dubitari pariter non poteſt, illam pro cœleſtis doctrinæ ſtructura eſſe neceſſariam. Non convocat ad ſuæ profeſſionis ſcholam Divina ſapientia inflatos & elatos, ſed clamat: *Si quis eſt parvulus, veniat ad me.* (*Prov. 9.*) Sive ut Lyranus exponit: *Si quis eſt humilis, quia talis eſt diſpoſitus ad ſapientiam divinam.* * *Cum* humilibus enim *& ſimplicibus ſermocinatio ejus.* (*Prov. 3.*)

Humilitas, teſte Sancto Bonaventura, *eſt opportuna & præambula ad intelligentiam myſteriorum. Quia dicitur: abſcondiſti hæc à ſapientibus, & revelâſti ea parvulis.* (*In cap. 8. Lucæ.*) *Humilitas*, inquit S. Laurentius Juſtinianus, *ſapientiam in hominem introducit. Sicut enim qui theſauros effodit, terram eijcit, foveam in altum facit; ſic qui theſauros ſapientiæ reperire deſiderat, in ſe foveam humilitatis agat.* (*S. Laurẽt: Juſtinian⁹ de ligno vitæ, c. 3.*) Hoc eſt quod ait Salomon: *Si ſapientiam invocaveris ô homo, & inclinaveris* per humilitatem *cor tuum prudentiæ; ſi quæſîeris eam quaſi pecuniam, & quaſi theſauros effoderis illam, tunc intelliges, & ſcientiam Dei invenies.* (*Prov. 2.*) * *Efficiatur itaq; humilis, qui contemplari vult magna.* (*Idem de triumph: Chriſti agone, c. 3.*) Ex ſententia quoq; Ptolomæi Philoſophi: *Inter ſapientes ille eſt ſapientior, qui humilior.*

Gerſon humilem concavo ſpeculo dicit eſſe ſimilem, in quo radij ſola-

Serm. de humilit: conſider. 2.

ſolares collecti mirè intenduntur. *Verus*, inquit, *humilis, in ſe quidem ſtultus, Deum conſtituit ſapientiam ſuam, & dum profundiſſimè concavatur, recipit in ſe ipſo, velut in centro quodam ſpeculi concavi intelligibiliter radioſas incidentias illuſtrationum ſupernarum, tam Dei, qui humilia reſpicit. quàm aliquando intelligentiarum deſuper effulgentium, â quibus illuminatur mirabiliter, ſicut â montibus æternis.* Audiamus etiam hîc Divum Auguſtinum, qui Deum in quodam ſermone ſic alloquitur: *Abſcondiſti hæc â ſapientibus & prudentibus lumen ſe putantibus, & tenebræ erant. Et eò quòd tenebræ erant, & lumen ſe putabant, nec illuminari potuerunt. Illi autem qui tenebræ erant, & tenebras ſe eſſe confitebantur, parvuli erant, non magni, humiles erant, non ſuperbi. Rectè ergo dicebant: Tu illuminabis lucernam meam Domine.*

Serm. 8. de verb: Domini.

Joann. 9. Tract: 44. in Joann.

Idem Sanctiſſimus Doctor ſcribens in illud Evangelicum: *Ego in judicium in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* * Exclamat: *Quid eſt hoc Domine? magnam quæſtionem feſſis intuliſti, ſed erige vires noſtras, ut poſſimus intelligere quod dixiſti. Veniſti, ut qui non vident videant. Rectè, quia lumen es, rectè, quia dies es, rectè, quia de tenebris liberas. Hoc omnis anima accipit, omnis anima intelligit. Quid eſt hoc quod ſequitur: Et qui vident cæci fiant? ergóne quia veniſti, cæci fient qui videbant? audi quod ſequitur, & fortaſſis intelliges. Quidam ex Phariſæis dixerunt ei: nunquid & nos cæci ſumus?* concludítq; Sanctus Doctor: *Quid eſt, ut qui non vident videant? qui ſe non videre confitentur, & medicum quærunt ut videant. Quid eſt qui vident cæci fiant? qui ſe putant videre, & medicum non quærunt, in ſua cæcitate permaneant.* Replet ergo ſuis bonis divina ſapientia ſimplices & humiles, qui ſe coram Deo pauperes viléſq; reputant; vanâ verò ſcientiâ tumidos qui ſunt in oculis ſuis divites, dimittit inanes. Sed de ſimilibus obſtaculis, quæ Divinæ ſapientiæ conſecutionem impediunt, plura ſuperiùs dicta ſunt.

VI. Ad mentis puritatem & humilitatem accedere debet oratio, ut â nobis ſapientia de cœlis obtineatur. *Petite, & accipietis*, inquit Salvator. Videamus quo medio ſapientiam conſecutus fuerit Salomon: *Optavi*, inquit, *& datus eſt mihi ſenſus, & invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.* * Et Siracides: *Quæſivi ſapientiam in oratione mea.* Idem nobis faciendum eſſe docet Jacobus Apoſtolus ità ſcribens: *Si quis veſtrûm indiget ſapientiâ, poſtulet â Deo, qui dat omnibus affluenter, & dabi-*

Sap. 7. Eccli. 51. Jacobi 1.

Digitized by Google

dabitur ei; poſtulet autem in fide nihil haſitans. * *Orationis virtus hominem illuminat*, teſte Laurentio Juſtiniano, *nam & oratione meliùs ſolvuntur dubia, quàm inquiſitione aliâ, citiùſq; panduntur ſecreta precibus, quàm ſtudio. Oranti Danieli aperiuntur myſteria, fiunt revelationes, & quod ſaculi ſapientibus erat clauſum, illi per orationem efficitur manifeſtum.* * *Non ſolùm admonendi ſunt ſtudioſi venerabilium literarum*, inquit Sanctus Auguſtinus, *ut in ſcripturis ſanctis genera locutionum ſciant, & quomodo apud eas aliquid dici ſoleat, advertant, memoriterq; retineant; verùm etiam quod eſt præcipuum, & maximè neceſſarium, orent ut intelligant. In eis quippe literis, quarum ſtudioſi ſunt, legunt, quoniam Dominus dat ſapientiam, & à facie ejus ſcientia & intellectus, à quo & ipſum ſtudium, ſi pietate præditum eſt, acceperunt.*

Revelat: cap. 2.

Auguſtin. de doctr: Chriſt. lib: 3. c. 37.

Hor montis Nitriæ Abbas literas non didicerat, oblato tamen ſibi libello, cùm priùs aliquid oràſſet, ſubitò legere cœpit, neq; minùs doctrinæ illi unius aut alterius horæ contulit oratio, quàm alijs multorum annorum ſtudium. Sanctus Romualdus Abbas, cùm ad Sutrij montis Monaſterium deveniſſet; Miſsámq; ibidem celebraret, aliquamdiu in ecſtaſi raptus ſtetit. Poſt hæc Pſalmorum meruit effici expoſitor, quorum paulò ante nec lector quidem ſatis idoneus fuerat. Dum enim ipſum Dei verbum, quod tunc manibus contrectabat, intentiùs attentiúſq; conſiderat, ſanctorum verborum percipere meruit anagogem, latentémq; ſub litera ſenſum. Plurimorum annorum ſtudium ad tantum Divinæ eruditionis profectum nequaquam illum extuliſſet, ad quantum die unâ Chriſti perduxit contemplatio, ùt ſcribit Marulus. S. Ephrem Trithemio teſte, viſus eſt aliquando librum aureis literis ſcriptum cœlitus accepiſſe, unde mox alterâ die ac deinceps, tantam ſapientiæ ubertatem & declamandi gratiam habuit, *ut nullum ſibi ſimilem ſuo tempore inveniret.*

Marulus de Relig: viv. inſtit: lib. 2. c. 2.

Hæc via eſt compendioſiſſima, quâ homo pervenire poteſt ad ſapientiam, quæ meliùs atq; uberiùs vitæ puritate ac oratione, quàm ſtudiorum labore comparatur. Deſpiciunt ſimplices ſtudium ſcientiæ, ut Deo magìs vacare poſſint, & eligunt potiùs cum Maria Magdalena ad pedes Domini conſidere, quàm turbari erga plurima; dúmq; ſcientiam ſic deſpiciunt, apud pedes Salvatoris Crucifixi ſui illam copioſiſſimè inveniunt. Nam ut ſcriptum eſt in libro Deuteronomij: *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.*Ità verificatur illud San-

Deut. 33.

Spec. di- ⁊i Bonaventuræ: *Scientia quæ pro virtute deſpicitur, per virtutem poſt-*
ſcipl. part. *modum meliùs invenitur.*
1. cap. 13.

DEUS lumen eſt, teſte Doctore Angelico, *& qui accedit ad lumen illuminatur.* * *Accedite ad eum, & illuminamini.* In quem Pſalmiſtæ locum Hugo Cardinalis ità ſcribit: *Qui accedit ad Deum illuminatur, & qui magìs prope accedit magìs illuminatur. Unde & Joannes qui ſupra pectus ejus recubuit, & ei familiariùs adhæſit, præ aliis illuminatus eſt, de cujus etiam divinitate altiùs diſſeruit.* Accedendum ergo nobis eſt ad Deum quàm proximè, per vitam immaculatam & fervens ſtudium orationis; ità fiet, ut cœleſtem â Deo ſapientiam conſequamur; & ſicut Moyſis facies radiavit ex conſortio ſermonis Domini, ità
Eccli. 2. mens noſtra ex Divino colloquio illuminetur. *Diligite illum*, ait Eccleſiaſticus, *& illuminabuntur corda veſtra.* * *Diligite*, ùt exponit Lyranus, *ferventiùs orando & amando, & illuminabuntur corda veſtra clariùs cognoſcendo; nam amor penetrare facit intima amati.* * *Res iſta non ſcholam quærit, ſed cor*, inquit Sanctus Bonaventura, *non magi-*
Spec. part. *ſtrum, ſed ſponſum.* * *Anima colloquendo cum Deo*, quod fit per orati-
10. lib. 3. onem, *divinitus illuſtratur*, teſte Bellovacenſi, *& docetur in ſchola ſub*
diſt. 34. *magiſterio ſummi Doctoris* non clamore, ſed in ſilentio, ejúſq; doctrinam non corporis ſed mentis auribus percipit, *& in oratione illuſtrata & elevata divinis ſplendoribus in amorem Dei ampliùs inflammatur.*

Iſaiæ 30. Completur hodie illud Iſaiæ vaticinium: *Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum.* Præceptor hic noſter eſt increata Dei ſapientia, nobis in carne viſibiliter apparens, & corda diſcipulorum ſuorum inviſibiliter erudiens. *Iam certè quoniam ipſum verbum venit ad nos cœlitus*, inquit Clemens Alexandrinus, *non eſt nobis ampliùs eundum ad humanam doctrinam Athenas & reliquam Græciam, vel etiam Joniam ad inquirendum curiosè.* * *Ubi Deus Magiſter eſt, quàm facilè diſcitur quod docetur*, ait S. Leo. Magiſter ille non tantùm eſt hominum, ſed etiam Angelorum. *Si enim docti ſunt Angeli, verbo Dei docti ſunt*, inquit S. Thomas. *Si verbo Dei docti ſunt, quærite unde docti ſunt, & invenietis.*

Libet ipſam Divinam auſcultare veritatem, apud Thomam de
Kemp. de Kempis ità loquentem: *Fili, non te moveant pulchra & ſubtilia homi-*
imi. lib. 3. *num dicta; non enim eſt Regnum Dei in ſermone, ſed in virtute. At-*
cap. 43. *tende verba mea, quæ corda accendunt, & mentes illuminant, indu-*
cunt

Digitized by Google

cunt compunctionem, & variam ingerunt conſolationem. Ego ſum qui doceo hominem ſcientiam, & clariorem intelligentiam parvulis tribuo, quàm ab homine poſſit doceri. Cui ego loquor, citò ſapiens erit, & multùm in ſpiritu proficiet. Nam quidam amando me intimè, didicit divina, & loquebatur mirabilia; plus profecit in relinquendo omnia, quàm in ſtudendo ſubtilia. * *O veritas Deus! fac me unum tecum in charitate* Ibid. lib. 1. *perpetua. Tædet me ſæpe multa legere & audire, in te eſt totum quod* c. 4. *volo & deſidero. Taceant omnes Doctores, ſileant univerſa creatura in conſpectu tuo, tu mihi loquere ſolus.* * *Eſt* igitur *magna differentia ſapi-* Ibid. lib. 3. *entia illuminati & devoti viri, & ſcientia literati atq; ſtudioſi Clerici.* c. 21. *Nobilior eſt illa doctrina, quæ deſurſum ex divina influentia manat, quàm quæ laborioſè humano acquiritur ingenio.*

VII. Sanctus Thomas Aquinas, habens optimè perſpectum, unde ſapientiæ veræ donum peteretur, & quo donante inſtillaretur parvulis ſcientia, cùm penetrare ſenſum quempiam ſacræ ſcripturæ non poſſet, multis diebus in jejunia & orationes incumbebat, ut ſibi aperiretur quod videbatur abditum, ità ut ſemel Sanctum Petrum & Paulum habuerit inſtructores; & quoties diſputare, legere, ſcribere vel dictare aliquid volebat, priùs ad orationem cum profuſis lacrymis accedens, inveniebat poſtea ſic in promptu quod quærebat, acſi in libro legeret. Faſſus etiam eſt ſæpe, ſe, quidquid ſcientiæ conſecutus eſſet, potiùs Divino lumine, quàm proprio ſtudio conſecutum. Sic videlicet divina hauritur eruditio, ſic ora ſua mugitu per orbem univerſum reſonante aperiunt muti boves, qui ſoli portant mare ſapientiæ; ſic *pietas*, quæ *ad omnia utilis* 1. Tim. 4. eſt, ſuos imbuit cultores.

Omitto hîc exemplum Alberti Magni, de cujus ſcientia cœlitus infuſa omnibus conſtat. Venio ad Sanctum Bonaventuram, Sancti Thomæ coævum & familiarem, qui Dei beneficio tantam ſibi doctrinam brevi comparavit, ut exacto ſeptimo Religioſæ ſuæ vitæ anno, communibus Superiorum ſuorum ſuffragijs, ad docendam Theologiam fuerit electus; quam etiam Pariſiis profeſſus eſt, mirantibus omnibus & applaudentibus. Hujus conclave Sanctus Thomas aliquando ingreſſus, petijt ab eo ſibi libros, quibus in ſtudendo uteretur, exhiberi. Exhibuit ei Vir ſanctus parvulos aliquot, quos habebat in promptu. Sed Sanctus Thomas urgendo inſtitit, ut rariores Codices, magíſq; ſecretos, è quibus tam ſublimia dogmata erueret, ſibi exhiberet. Tum Vir Sanctus,

Digitized by Google

Chriſti Crucifixi iconem è regione ſui poſitam oſtendit, dixítq;: *Ecce Pater librum, qui mihi cuncta quæ ſcribo ſuppeditat. In hujuſce Crucifixi plantis, & Miſſarum Sacrificijs, quibus ego deſervio, majus ego lumen haurio, quàm reliquis omnibus exercitiis literarum.* Probavit hoc reſponſum Sanctus Thomas, & arctiore deinceps affectu Sanctum Bonaventuram complexus eſt, quòd eodem cœleſtis præſidij genere, precibus nempe magìs, quàm ſtudiorum commentationibus, ad veræ ſapientiæ profectum ſe adjuvari ſentiret. Et ab alijs poſtea interrogatus: quomodo aliquis reddi poſſet doctus? reſpondere ſolebat: *legendo unicum librum.* Illum librum innuens, qui à Sancto Bonaventura illi fuerat monſtratus.

Scribit idem Seraphicus Doctor de Sancto Franciſco, quòd ità ſolitus ſit à Deo illuminari, ut licèt Theologiæ ſcholaſticæ eſſet expers, de difficillimis tamen Theologicis quæſtionibus conſultus, meliùs & diviniùs illas enodaret, quàm ſummi Theologi. Idem rerum longè diſtantium, imò & futurarum notitiam habuit. Unde Chriſtianis Damiatam obſidentibus, & conflictum cum Saracenis parantibus, eum prohibuit, ſtragémq; illorum ſi confligerent, prædixit, quæ etiam ipſis accidit, Sancto Franciſco quoad ſpeciem abjecto & pauperi non credentibus; nam tota in fugam verſa fuit militia Chriſtiana, & ſex millia capta vel cæſa. *In quo vehementer innotuit*, ait Sanctus Bonaventura, *quòd*
Eccli. 37. *ſpernenda non erat ſapientia pauperis.* Nam *anima Viri ſancti enuntiat aliquando vera, quàm ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum.* A Deo videlicet edocta, cujus doctrina ipſi ad rerum non tantùm præſentium, ſed etiam futurarum notitiam plus conducit, quàm ſi ſeptem liberalibus artibus, imò & quibuſcunq; altiſſimis ſcientijs fuiſſet inſtructa. Interrogatus aliquando idem S. Franciſcus, an Religioſi ſui Theologicis ſtudijs applicandi eſſent? reſpondiſſe legitur: *Mihi quidem placet, dum tamen exemplo Chriſti, qui magìs oràſſe quàm ſtuduiſſe legitur, orationis ſtudium non omittant.* S. Antonius de Padua *Arca teſtamenti* à Chriſti in terris Vicario ob ſapientiam ſuam appellatus, quidquid ſcivit, plùs oratione quâm ſtudio conſecutus eſt. Sanctus Franciſcus Saleſius ſcribit de Abbate quodam Sancti Andreæ de Vercellis, Sancti Antonij quondam Magiſtro, quòd in Commentarijs ſuis ſuper Sanctum Dionyſium frequenter repetat, amorem Dei penetrare, quò ſcientia nequit pertingere. Et ſubdit: Multos Epiſcopos altiſſi-

Lib. 6. c. 4. part. 1. tract. de amore divino.

Digitized by Google

tiſſimum Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium intellexiſſe, tametſi non ſtuduiſſent, præterquam in ſchola Divini amoris.

Sanctus Norbertus Præmonſtratenſis noſtri Ordinis Patriarcha, nunquam ſe altiorum ſcientiarum ſtudio legitur applicuiſſe. Idem tamen multos interpretatus eſt ſacræ ſcripturæ libros. Scripſit quoq; de viſionibus ac revelationibus ſibi Coloniæ & alibi factis libros tres, item ſermones de obitu Sanctorum ad populũ; de brevitate & caducitate vitæ humanæ, de ſvaviſſimo Chriſti jugo, de reſtitutione regularis vitæ ac diſciplinæ, & præclarum opus pro defenſione Innocentii Papæ Secundi; Tandem hortatorium ſermonem ad fratres, qui ſolus inter tot Viri Sancti opera ſupereſt; cœtera ferè omnia bellorum ſtrage, aliiſq; temporum injurijs periêrunt. Quid hîc dicam de doctiſſimis & efficaciſſimis ejus prædicationibus? quibus in tantum excelluit, ut eum Sanctus Bernardus fiſtulam ſive tubam Spiritùs Sancti vocare non dubitaverit. Quid de ſpiritu prophetico? quo Vir Sanctus clarebat, ut vita ipſius teſtatur. Hæc tamen omnia ſapientiæ dona, plùs oratione vitæq; ſanctimoniâ, quàm labore, ſtudióq; literario accipere promeruit.

Beatus Hermannus Steinfeldenſis Cœnobij Presbyter, magni Patris Norberti non degener filius, ſublimiores & ipſe ſcholas frequentâſſe non legitur, quin imò tantæ narratur fuiſſe ſimplicitatis & innocentiæ, ut ſexus animalium vix noverit diſcernere. Mira ſunt quæ in ejus vita narrantur, de familiaritate quæ ipſi cum Virgine Deipara intercedebat. Hunc ipſa crebris apparitionibus ſolabatur, hunc Capellanum ſuum vocabat, imò & titulo Sponſi ſui eundem dignata eſt, noménq; Joſephi ipſi â fratribus impoſitum confirmavit, & tanquam connutritio, puerum JESUM in ulnas portandum dedit. Ille viciſſim Deiparam ardentiſſimo amore proſecutus eſt, eandémq; ſuam *Roſam* vocare ſolebat, nomine *Mariæ*, reverentiæ causâ ſuppreſſo. Contigit aliquando, ut per dies aliquot viſitatione ſuâ illum conſolari Virgo Mater intermitteret, quam ille mortuam ex ſimplicitate credens, requiem pro illa legit. *Si enim viveret* (inquiebat apud ſemetipſum) *me quaſi orphanum procul dubio viſitaret.* Cùm ecce Miſſâ uſq; ad offertorium expletâ, glorioſa Virgo penes Altare ſe ipſi ſpectabilem exhibuit, & quaſi ſubridendo, ſe viventem, non mortuam eſſe demonſtravit. Ibi luctu in gaudium verſo, Beatus Hermannus ſtatim offertorium *Felix namq;* incepit, & Miſſam de Beata Virgine proſecutus eſt. Scio hæc quibusdam naſutis videri omni-

omnino incredibilia, qui neſciunt quanti apud Deum ſit pretij ſancta ſimplicitas. Si velint in ſimilibus ignorantiam accuſare, Deo ſanctæ ſimplicitatis Magiſtro injuriam faciunt, tanquam non poſſit aut nolit eandem in ſciendis erudire. Si tamen de ſcientia Beati Hermanni ſapienter indocti ſimpliciotæ agitur, audiant quantùm ſub inſtructione ac diſciplina cœleſtis Magiſtri, & Magiſtræ Virginis in ſapientia profecerit. Legitur ipſi Deus vice quadam, prout olim Sancto Benedicto, naturas, conſtitutiones, omnémq; pulchritudinem firmamenti ac ſiderum, aliarúmq; inferiorum creaturarum uno velut intuitu perfectè ſpectandam exhibuiſſe. Tantum quoq; profecit in ſuis cum Deipara colloquijs, à qua dubiorum ſolutiones exquirere ſolebat, ut in teſtimonium hauſtæ per ipſam eruditionis, illum Cantica Canticorum interpretari Virgo juſſerit, quæ etiam explanare aggreſſus eſt, eadémq; *roſa ſpecioſa, columba formoſa, roſa ſinè ſpina, columba ſinè felle* inſcripſit. Claruit quoq; ſpiritu prophetico, & rerum abſentium cognitione. Sic videlicet in omni ſcientiarum genere compendiosè proficiunt cœleſtis ſapientiæ diſcipuli, qui contemptâ mundi hujus ſcientiâ, puris mentibus, & hiante cordis aure, cœleſtis Magiſtri aliorúmq; cœlitum doctrinæ intendunt. *Prophetârunt puræ ac pellucidæ animæ*, inquit Sanctus Baſilius, *veluti ſpecula facta divinæ operationis, quæ imaginem integram & inconfuſam, nullâq; ex parte turbatam carnis affectibus repræſentabant. Cùm enim anima omni virtutis ſtudio dedita, vehementi in Deum amore, perpetuam Dei memoriam ſibi impreſſam ſervat, atq; hac re primùm apparat ſe, ut Deum habeat velut inhabitantem, ex vehementiſſima in Deum intentione, & arcano amore Numinis afflata, digna prophetiæ dono redditur, Deo divinam virtutem impertiente, animiq; oculos aperiente ad intelligendas quas velit ſpeculationes. * Et quemadmodum ſol exoriens & mundum illuminans, cùm ſe ipſum, tum res à ſe illuminatas demonſtrat; ità quoq; ſol juſtitiæ purgato animo exoriens, & ſe ipſum videndum exhibet, & rerum quæ à ſe factæ ſunt, & deinceps fient, rationes demonſtrat.*

S. Baſilius proœmio in Iſaiam.

Sanctus Ignatius Societatis JESU Fundator, initio ſuæ converſionis, cùm nondum humanioribus literis animum excoluiſſet, divinis tamen illuſtrationibus adeò erudiebatur, ut poſtea dicere ſolitus ſit, ſi ſacræ literæ non extarent, ſe tamen pro fide mori paratum, ex ijs ſolùm, quæ ſibi Manreſæ patefecerat Dominus. Quo etiam tempore, homo literarum planè rudis, admirabilem illum compoſuit exercitiorum librum,

brum, Sedis Apoſtolicæ judicio, & omnium utilitate comprobatum.

Sanctus Laurentius Juſtinianus, ſcientiam quoq; divinitus infuſam, plus quàm humanitus acquiſitam habuit; vix enim elementa prima didicerat à Præceptore, ùt habet vitæ ipſius author, & tamen ſcripſit in divinis contemplativa volumina quindecim, & ſermones quadraginta. Videamus qualem inſtructorem habuerit Sanctus Chryſoſtomus: Cùm in Sancti Pauli Epiſtolas Commentarios dictaret, vir quidam Apoſtoli effigie ipſi adſtare viſus eſt, in aurem dictanda inſuſurrans. S. Ambroſius cùm pro aſſerenda filij divinitate ſcripturas tractaret, viſus eſt Angelum habere inſpirantem. Gregorio Magno commentanti ſcribentíq; Spiritus Sanctus columbæ ſpecie inſedit. Quid hìc referam Auguſtinos, Hieronymos, Baſilios, Nazianzenos, & mille alios? qui omnes ſcientiâ cœlitus imbuti, plùs oratione vitæq; merito, quàm ſtudijs, vel humanis inſtructionibus profecerunt. E contra *quædam acutiſſima & excellentiſſima ingenia, tantò in majores errores ìêrunt, quantò præſidentiùs tanquam ſuis viribus cucurrerunt, nec ſuppliciter ac veraciter Deum, ut ſibi viam oſtenderet, petiverunt.* *Auguſtin. Epiſt. 52.*

IX. *Ergo nulla eſt humana ſapientia, ſi per ſe ad notitiam veri, ſcientiámq; nitatur; quoniam mens hominis cum fragili corpore illigata, & in tenebroſo domicilio incluſa, neq; liberiùs evagari, neq; clariùs perſpicere veritatem poteſt, cujus notio divina conditionis eſt. Deo enim ſoli opera ſua nota ſunt; homo autem non cogitando, aut diſputando aſſequi eam poteſt, ſed diſcendo & audiendo ab eo, qui ſcire ſolus poteſt & docere.* * *Lumen mentis humanæ Deus eſt, quem qui cognoverit & in pectus admiſerit, illuminato corde myſterium veritatis agnoſcet; remoto autem Deo cæleſtiq; doctrinâ, omnia erroribus plena ſunt.* *Lactanti. de Divino præmio, c. 1.* *Idem de ira Dei, cap. 1.*

Bona vita, inquit Thomas â Kempis, *facit hominem ſapientem ſecundùm Deum, & expertum in multis. Quantò quis in ſe humilior fuerit, & Deo ſubjectior, tantò in omnibus erit ſapientior & pacatior.* * *Quid cura nobis de generibus & ſpeciebus? cui æternum verbum loquitur, à multis opinionibus expeditur. Ex uno verbo omnia, & unum loquuntur omnia. Et hoc eſt principium quod & loquitur nobis. Nemo ſinè illo intelligit, aut rectè judicat. Ego ſum,* inquit apud eundem Thomam Kempenſem, *qui humilem in puncto elevo mentem, ut plures æternæ veritatis capiat rationes, quàm ſi quis decem annis ſtuduiſſet in ſcholis. Ego doceo ſinè ſtrepitu verborum; ſinè confuſione opinionum, ſinè faſtu* *Kemp. de imit lib. 1. c. 4.* *Idem lib. 1. c. 3.* *Lib. 3. c. 43.*

Joann. 6. *ſtu honorii, ſinè pugnatione argumentorum.* Ait idem in Evangelio: *Cùm veneris Paraclitus ille Spiritus veritatis, quem mittam ad vos, docebit*
Luca 21. *vos omnem veritatem.* Item: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarij veſtri.* Optimus hic eſt Doctor, qui tamen doctrinæ ſuæ myſteria abſcondit prudentibus & ſapientibus, hoc eſt: ſcientiâ hujus mundi tumentibus; eadem verò parvulis, hoc eſt humilibus & ſimplicibus revelat. Dicat quiſq; hujus Magiſtri diſcipulus illud Pſalmiſtæ: *Benedicam Dominum, qui tribuit mi-*
Eccli. 51. *hi intellectum.* Et illud Eccleſiaſtici: *Danti mihi ſapientiam dabo gloriam.* Sacris quoq; ſtudijs ac precibus divinam gratiam ſibi conciliare non omittat. SIC INEAT animum SCIENTIA hujus anagrammatis programma.

> *Eſt â Divino quæcunq;* SCIENTIA *fonte,*
> *Doctrináq; pijs deſuper aſtra pluunt.*
> SIC INEAT *ſtudioſe tuam ſapientia mentem.*
> *Hauſta pijs ſtudijs, atq; labore precum.*
> *Cúmq; petant humiles cœleſtia flumina valles,*
> *Ut capias, humilis cœlica dona cape.*

Jacobi 1. A Deo igitur ſapientiam humiliter precare, *qui dat omnibus affluenter* & in ſtudijs, aliíſq; negotijs & actionibus tuis, pete ab eo Vt VIas tVas DIrIgat, & oMnIa ConsILIa tVa.

Chronoſtichon An. 1676.
Tobiæ 4.

CAPUT XXXVIII.

Simplex oratio Deo gratior quàm docta.

I. NOn deſunt inter doctos, qui quòd altiſſima orationis tempore myſteria in Divinitate rimari ſoleant, & precibus ſuis altæ ſpeculationis terminos immiſcere, aut facundiori vel cultiori dicendi genere Deum compellare, præ idiotis & ſimplicibus ſe gratum ipſi obſequium præſtare, ejúſq; bonitatem plùs cœteris demereri arbitrantur, cùm tamen, quod hoc capite demonſtrandum eſt, longè vilior, & ad bona â Deo impetranda invalidior, minúſq; meritoria plerumq; ſit illorum oratio, quàm ſimplicium, qui cordis affectu, non verborum ornatu, vel phalerato ſententijs multiloquio, preces ſuas condire

dire, Deóq; acceptas reddere ſolent. Divus Ambroſius in illa Prophetæ verba: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam,* ſcribens quærit, cur Propheta in altum aſcendere volens & evolare, columbæ pennas petat, & non potiùs aliarum avium, quarum plurimæ columbis ſunt perniciores & agiliores? reſpondétq;: *Quia probè noverat, animæ meliùs quadrare pennas columbæ, per quas ſimplicitas cordis deſignatur, quàm ſublime & acutum nimis ingenium; cum ſimplicibus enim ſermocinatio ejus.* Serm. 70. Prov: 3.

Dictum jam eſt ſuperiùs, quàm raro diſtractionis expers laudis ſacrificium literati Deo ſoleant immolare, quàm frequenter oratio illorum ſit infructuoſa, quòd ſpeculationes mentis illorum omnem cordis pietatem & devotionem abſorbeant, & oculorum fontes arefaciant. Contra ſimplicium etſi taceat intellectus, at pupilla oculi & cor loquitur, oratione non facundâ, ſed fæcundâ; non altâ vel oratoriâ, ſed humili plurimúmq; meritoriâ.

II. Thaiſis è meretrice ad Deum converſa, tribus annis ſolitaria degens, à Beato Paphnutio edocta, non alio verborum genere Deum ſolita eſt deprecari, quàm hoc ſolummodò: *Qui plaſmâſti me, miſerere mei.* Eóq; tempore tantùm profecit, ut Paulus Beati Antonij diſcipulus, lectum pretioſis veſtibus ornatum, ipſiq; deſtinatum in cœlo viderit, quem tres Virgines clarâ facie fulgentes cuſtodiebant; hunc etiam non multò poſt, à Sponſo invitata, & è vivis egreſſa conſcendit.

Sancti Franciſci oratio, cui dies noctéſq; frequenter impendebat, hæc erat: *Domine quis es tu? quis ſum ego?* Idem Sanctus non poterat ſatiari repetitione hujus verſiculi: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,* quem etiam omnibus ſummè commendabat, nominatim verò cuidam fratri Laico, valde tentato, & licentiam petenti, ut literis operam daret. *Addiſce,* inquit, *frater chariſſime verſiculum hunc: Gloria Patri, &c. & ſacram Scripturam omnem tenebis.* Quod ut fecit, nullam ampliùs ſenſit moleſtiam, & tentationem omnem literas addiſcendi ſuperavit. *Wadingus in annalibus Min. A. 1221. n. 30.*

Abbas Macarius ſic dixit eſſe orandum: *Domine ſicut vis & ſcis miſerere mei.* Si autem inſtat bellum in animo, dicendum eſſe: *Adjuva me.* S. Gerlacus Eremita orationi plurimum temporis quotidie tribuebat, orans hæc tantùm verba: *Pater noſter. Ave Maria. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.*

Miles quidam dives ac nobilis ſæculo renuntiavit, & Ordinem Ciſtercienſem introivit, quoniam verò literas neſciebat, erubeſcentes Monachi tam nobilem perſonam inter Laicos deputari, dederunt ei Magiſtrum, ſi fortè modicum addiſcere poſſet, & ſub hac occaſione inter Monachos permaneret. Sed cùm diu cum Magiſtro fuiſſet, & nihil omnino præter hæc duo vocabula *Ave Maria* diſcere potuiſſet, hæc tam avidè retinuit, ut quocunq; deambularet, quidquid ageret, ea inceſſanter nominaret. Tandem moritur, & in cæmiterio cum alijs fratribus ſepelitur. Et ecce ſuper ejus tumulum ſpecioſum excrevit lilium, & quodlibet folium *Ave Maria* aureis literis habebat inſcriptum. Currentes omnes ad tam grande ſpectaculum, terram de tumulo effoderunt, & radicem lilij de ore defuncti procedere repererunt.

Legitur ſimilis hiſtoria in ſpeculo Exemplorum ſequentibus verbis deſcripta. Tempore Urbani V. circa annum Domini 1350. florebat in innocentia, ſimplicitate, & ſanctitate vitæ admodùm auſteræ, pauper, rudis, & ſimplex mendicus nomine *Salaun*, qui in annis puerilibus ad ſcholas miſſus, nihil potuit aliud diſcere, quàm hæc verba latina *Ave Maria*. Cúmq; in Britannia Gallica oſtiatim per pagos panem quæritaret, repetebat ſupradicta verba *Ave Maria* ter, quater, quinquies, & ſexies ordinariè. Quamobrem illius Provinciæ habitatores, ipſius innocentiam & ſanctam ſimplicitatem intuentes, panem ei libenter porrigebant. Tunc Salaun conferebat ſe ad certum quendam fontem ab Urbe Laudevenec unâ fermè leucâ Gallicâ diſſitum, in cujus aquis ſuum panem macerare & condire ſolebat, nullo unquam alio potu cibóve utens, quàm pane madefacto in ſupradicto fonte. Lectus ejus nuda erat humus, capitis ejus cervical lapis, ídq; ſub arbore tortuoſa & modicum à terra erecta juxta illum fontem. Hyberno tempore cùm præ frigore rigeſceret, aſcendebat illam arborem, & ramos flexiles apprehendens, librabat corpus ſurſum deorſúmq;, & hac motoriâ agitatione temperabat algoris ſævitiam, pleno ore decantans ſexies ô Maria! ô Maria! ô Maria! ô Maria! ô Maria! ô Maria! Cúmq; aliquando increſceret hyemis aſperitas, in aquas fontium, per antiperiſtaſin & contrarietatem qualitatum fumantes inſiliebat. Hinc factum eſt, ut incolæ talia facta conſpicientes, eum fatuum vocitarent. Sed Deus admirabilis in Sanctis ſuis, volens Matris ſuæ famulum excuſatum habere ob innocentiam, & nomen Virginis Mariæ celebratius reddere, miraculum quod ſequitur

edidit.

edidit. Nam cùm defunctum hunc innocentem & ſimplicem Salaun vicini ſub arbore ſepeliſſent, eodem loco ubi ſibi ſolebat lectum ſternere, quæ erat nuda humus fonti adjacens, accidit ut poſtea pulcherrimum lilium miraculosè ſuper ipſius tumulum creſceret, cujus flores repræſentabant hæc verba: *Ave Maria* aureis literis exarata.

Raderus de quodam Sancto Viro memorat, qui proſtratâ ad Deum prece hæc ſola verba *miſerere tui Deus* dicere poterat, nec monitus de orationis ſuæ errore, quo *tui* pro *mei* dicebat, potuit id unquam, poſt multam licet vocis *mei* repetitionem, dediſcere; approbante interim Deo hominis ſimplicis orationem, dum illi poteſtatem tribuit ſicco pede flumina calcandi.

In ſpeculo Exemplorum de quadam devota Matrona narratur, quæ in Eccleſiæ cujuſdam angulo proſtrata ſolebat orare cum maxima devotione *Pater noſter*, *Ave Maria*, & *Credo*, lacrymis tota liqueſcens, & pavimentum perfundens. Epiſcopus illius loci ſanctæ vitæ, vidit aliquando columbam illas lacrymas colligentem, & cùm hoc multoties vidiſſet, vocatam fæminam rogavit, quæ eſſet oratio ejus? hæc cùm reſpondiſſet, dixit Epiſcopus: *Quàm felix eſſes ſi pſalterium nôſſes*. Quod cùm didiciſſet & oraret, Epiſcopus deinceps non vidit lacrymas, nec columbam. Unde abſtulit ei pſalterium, præcipiens ut ad conſveta rediret. Quod cùm feciſſet, lacrymæ & columba mox rediêrunt.

Agnovit hanc ſimplicis orationis efficaciam Divus Auguſtinus, ut licèt eſſet ſcientiâ & facundiâ præſtantiſſimus, omnis tamen doctrinæ ſuæ in orando mallet quodammodo obliviſci, ſciens altam intellectûs ſpeculationem voluntatis devotionem imminuere, híſq; precibus Deum exoraret, ut ipſe ſcribit in libro de bona vita, *Deus ſemper idem, & qui nunquam mutaris; noverim me, noverim te.*

At dices fortaſſe, non omnibus jam tam facilè ſimplicium orationum genere licere eſſe contentis, multóſq; ad majora difficiliorum precum penſa obligari, quibus intelligendis ſcientia deſervire poteſt, & ſinè quarum perceptione, non abſq; faſtidio otioſæ mentis, peragi poteſt oratio. Ad hoc breviter reſpondeo, non requiri, neq; fortaſſis ſemper conſultius eſſe ad omnium verborum in orando ſenſum attendere, modò mens alio modo in Deum ſit intenta. Jordanes ſecundus Prædicatorum Generalis, interrogatus aliquando â fratre Laico, eſſéntne eâ virtute precationes præditæ, prolatæ per eos qui vigoris earum ſunt exper- III.

 tes,

Digitized by Google

tes, uti per eos qui eas intelligunt? reſpondit: *Tantâ virtute, tantóq; pretio dignus eſt pretioſus lapillus in manu pretium ejus ignorantis, quàm in manu non ignorantis.* Abbas quoq; Pæmen dicebat: *Sicut incantatores ſerpentum non intelligunt ipſi verba quæ loquuntur, ſed ſerpentes audientes intelligunt virtutem verborum illorum, & conquieſcunt & ſubduntur eis, ſic etiam quamvis aliqui non intelligere valeant divinorum ſcriptorum virtutem, tamen dæmones audientes divini verbi virtute terrentur, & effugati diſcedunt ab illis.*

IV. Patet ergo ex his, quàm ſit efficax ſimplicium oratio ad Dei flectendam bonitatem & liberalitatem invitandam, qui non intellectûs noſtri ſubtilitatem, vel oris facundiam, ſed ſolam cordis reſpicit & remunerat devotionem. Quâ tamen parcè abundant literati, quorum affectum functio intellectiva ſolet impedire, & oculorum pluvias Aquilo ſcientiæ diſſipare. Accedit quòd ſimplices plerumq; melioris ſint vitæ, & ſpiritûs humilioris, quàm ſint literati, adeóq; Deo gratiores, & dilectiores, quibus proinde orantibus divina bonitas rarò aliquid ſolet denegare. Majori etiam cum fiducia ſeu confidentia Deum precantur. Paulus ſimplex orans pro quodam rabido, cùm fieret mora, quaſi infantûm more indignatus dixit ad Dominum: *Verè non manducabo hodie, ſi eum non curaveris.* Qui etiam illico curatus eſt. Legimus etiam de quodam Converſo, qui graviter in Clauſtro tentabatur, & ſic Deum orabat: *Si non liberaveris me de hac tentatione, Matri tuæ conquerar*; & mitigata protinus eſt tentatio, quaſi pius Dominus vereretur apud Matrem accuſari. Rideant docti has orationes, quas tamen Divina Bonitas diligit & exaudit. Erudita ipſorum oratio langvet; ſimplicium & humilium deprecatio cœlum penetrat.

Quod dixi de oratione, idem ſentiendum eſt de meditatione. Nam ſimplex meditatio plerumq; Deo gratior homíniq; utilior eſt, quàm docta & ſubtilis, quæ plùs intellectum paſcit & occupat, quàm excitet ad bonum voluntatem, Deíq; amorem accendat, qui tamen meditationis noſtræ primarius finis eſt.

Gratior eſt ſimplex, quàm docta precatio Divis;
Non cerebrum à nobis, ſed pia corda petunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXIX.

De ſimplicitate ſapienter indocta reſiduum.

DIvus Gregorius in Dialogis, loquens de ſanctulo quodam Presbytero: *Comparemus ſi placet*, inquit, *cum hac noſtra indocta ſcientia, illius doctam ignorantiam; ubi hac noſtra jacet, ibi illius diſciplina eminet. Nos de virtutibus vacui loquimur, & quaſi inter fructifera arbuſta poſiti, odoramus poma, nec manducamus. Ille virtutum fructus carpere noverat, quamvis hos in verbis odorare neſciebat.* I. Dialo. lib. 3. c. 37.

Arſenius ille, qui ob ſingularem eruditionem, & præclaram, quam de ſe dederat opinionem, in Pædagogum Arcadij, & Honorij, Theodoſii Imperatoris filiorum, qui deinde â morte Patris ad Imperium evecti ſunt, adſcitus fuit. Cùm deinde mundo repudiato in deſerto ageret, & gravibus interdum diaboli tentationibus agitaretur, indoctum quendam in Ægypto Monachum conſulere ſolebat, & ab illo vitæ inſtituendæ rationem depoſcere Quamobrem cùm peterent ab eo fratres, cur ſe idiotæ & indocti diſciplinæ ſubmitteret, & ex illius præſcripto vitam inſtitueret? reſpondit: *quia hujus ruſtici illiteratam planè juſtitiam, fateor me nondum didiciſſe.*

Petrus Damiani in vita Sancti Dominici Loricati, lingvam quidem ejus ruſticam dicit, ſed vitam artificioſam, *quæ ſanè vita utiliùs ad ædificationem vivis operibus, prædicat, quàm ſterilis quorundam lingva, quæ accurata phalerata urbanitatis verba inaniter trutinat.* S. Petrus Dam.

In vita Sancti Franciſci de Paula Minimorum Inſtitutoris legitur, eum herbâ quadam in horto ſuo domeſtico evulſâ, ſigno crucis ſuper eam facto, oculis puellæ cœcæ appoſitâ viſum eidem reſtituiſſe, & quidem ob id â quodam Fratre Antonio Ordinis Minorum profeſſore etiam in publicis prædicationibus carpebatur, quòd videlicet tam impudens eſſet, ut ſimplex Laicus, & literarum penitus ignarus quibuſdam herbis ſalutem ægrotis promitteret. Atq; adeò tandem etiam accidit, ut idem F. Antonius, ab alijs dicti Ordinis Minorum fratribus, ad eundem Beatum Virum miſſus fuerit, quatenus eum de præmiſſis redargueret. Qui cùm ad eum veniſſet, magnis eum contumelijs affecit, ejúſq; craſſitudi-

Digitized by Google

nem increpavit. Juſtorum enim ſimplicitas in operibus ſuis rideri ſolet;
Lib. 10. & ut ait Divus Gregorius: *Ab hujus mundi ſapientibus puritatis virtus*
Moral. c. *fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis procul-*
27. *dubio ſtultitia putatur; & quidquid in opere veritas approbat, carnali*
ſapientia fatuum ſonat. Ad hæc Vir Dei conſtantiſſimus patientiſſi-
múſq; tot convitijs & injurijs nullatenus fractus, ac ne commotus qui-
dem fuit, ſed foco appropinquans, ardentes titiones nudis manibus ac-
cepit, eóſq; ſtrictè ſine læſione compreſſit. Eo facto oſtendens, in Dei
virtute omnia fieri poſſe. Ita ſancta fatuáq; ſimplicitas doctam confu-
dit ſuperbiam, ſciens eſſe *non in ſermone Regnum Dei, ſed in virtute.*
Refertur Sive ut ait Papa Adrianus, *in ſimplicitate fidei, non in contentione ſer-*
diſt. 37. *monis.*
c. 6. Hujuſmodi tamen ſimplices, ſpiritu parvulos, & ſapienter indo-
11. ctos mundus inſipienter doctus contemnit ac deridet, de quibus ipſe
Matth. 9. Chriſtus in Evangelio admonet: *Sinite parvulos, talium eſt enim Re-*
gnum cœlorum, quod ab alijs ſtultè neglectum, illi bonorum operum
exercitio ſibi ſapientiſſimè mercantur. *Quatuor ſunt minima terræ*, in-
Prov. 30. quit Salomon, *& ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus.* Formicæ, *populus*
infirmus, qui præparat in meſſe cibum ſibi. Lepuſculus, *plebs invalida,*
qui collocat in petra cubile ſuum. *Regem* locuſta *non habet, & egreditur*
per turmas ſuas. Stellio *manibus nititur, & moratur in ædibus Regis.*
Per hæc quatuor minima & contemptibilia terræ animalcula ſimplices fi-
gurantur, qui tamen in ſua humilitate & ſimplicitate ſapientiores ſunt
hujus mundi ſapientibus. Nam *primò* ſicut formicæ, quanquam par-
væ, debiles & infirmæ, diligentiſſimo tamen labore grana per æſtatem
coacervant, quibus per hyemem vivant; ità ſimplices & ſapienter in-
docti, bonorum operum ſibi acervos in hoc ſæculo ſtudiosè congregant,
quibus in futuro perfruantur. E contrà docti, vanis ingeniorum ſpecu-
lationibus, tempus ad æternæ vitæ proviſionem ipſis conceſſum otiosè
tranſigunt. Quapropter neceſſarium eſt, ut in altero ſæculo, in quo
nemo vivit, niſi de collectis in hac vita frugibus, egeſtate ac fame con-
ficiantur. *Secundò*, ſicut lepuſculi ſeu cuniculi, naturâ debiles ac ti-
midi, de ſecuro habitationis loco ſibi provident, in quo tutum ab hoſti-
bus refugium poſſint invenire, ità ſimplices debilitatis & impotentiæ ſuæ
ſibi conſcij, altiſſimum ponunt refugium ſuum in Deo ſuo, dicentes cum
2. Reg. 22, David: *Dominus petra mea, & robur meum, & Salvator meus; Do-*
minus

minus fortis meus, ſperabo in eum. E contra docti ſcientiâ ſuâ tumidi, multùm exinde ſibi præſumunt, & viribus ingenij ſui confidunt, ac proinde divinæ gratiæ beneficiis deſtitui merentur. *Tertiò*, ſicut locuſtæ unanimes & concordes ſimul vivunt, & ſimul turmatim adunatæ egrediuntur; ità ſimplices ſociali & communi vitæ ſunt habiles, eiq; ſe accommodant. E contra docti diſcordias excitant,& charitatis bonū conturbant. *Quartò*, ſicut ſtellio in manibus tanquam pedibus incedens, humile quidem eſt animal, ob ſtellatas tamen maculas etiam Regibus acceptum; Ità ſimplices, qui nituntur manibus, hoc eſt, bonorum operum exercitio incumbunt, quamvis videantur hominibus contemptibiles, virtutum tamen ſtellis micant, & ab Aula cœleſti diliguntur. E contrà docti plùs humanæ facundiæ verbis & vanis ingenij ſui oſtentationibus nituntur, dúmq; magni eſſe cupiunt, ab Aula cœleſti excluduntur & reprobantur. Beatus qui nunc eligit ſortem cum terræ minimis, ut cum cœli maximis aliquando computari mereatur.

III. Utinam mundi hujus ſapientes cum Divo Auguſtino ſaperent, qui adhuc ſæculo militans, cùm de indoctis & ſimplicibus Monachorum gregibus â Potitiano accepiſſet, ab eóq; vitam Sancti Antonij enarrari audiviſſet, qui, ut ante adnotatum eſt, literas nunquam didicit, tot tamen clarus virtutibus & miraculis in eremo refulſit; tam vultu quàm mente repentè turbatus invaſit Alipium exclamans: *Quid patimur? quid eſt hoc? quid audiſti? ſurgunt indocti, & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſinè corde, ecce ubi volutamur in carne & ſangvine.* *Confeſſ. lib. 8. c. 8.*

Non advertunt hæc tamen ſapientes Babylonis, ſurgere indoctos, & cœlum ſibi præripere permittunt, ipſíq; ſalutis ſuæ prodigi, ſapienter ruunt in infernum. De his illud Proverb: 12. intellige: *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? magìs illo ſpem habebit inſipiens.*

IV. Vera eſt illa Eccleſiaſtici ſententia: *Melior eſt homo qui minuitur ſapientiâ, & deficiens ſenſu in timore Dei, quàm qui abundat ſenſu, & transgreditur legem Altiſſimi.* At ô dolor! *plures magìs ſtudent ſcire, quàm bene vivere. O ſi tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia, & virtutes inſerendas, ſicut ad movendas quæſtiones, non fierent tanta mala & ſcandala in populo, nec tanta diſſolutio in cœnobijs. Certè adveniente die Judicij, non quæretur â nobis quid legimus, ſed quid fecimus; nec quàm bene diximus, ſed quàm religiosè viximus. Dic mihi ubi ſunt modo omnes illi Domini & Magiſtri, quos bene noviſti dum* *c. 19.* *Kemp. lib. 1. de imit. Chriſt. c. 3.*

adhuc

adhuc viverent, & ſtudijs florerent? jam eorum prabendas alij poſſident, & neſcio utrùm de eis recogitant. In vita ſua aliquid videbantur, & modo de illis tacetur. O quam citò tranſit gloria mundi! utinam vita eorum ſcientiæ ipſorum concordâſſet, tunc bene ſtuduiſſent & legiſſent. Quàm multi pereunt per vanam ſcientiam in ſæculo, qui parum curant de Dei ſervitio; & quia magis eligunt magni eſſe, quàm humiles, ideo evaneſcunt in cogitationibus ſuis. Verè magnus eſt, qui magnam habet charitatem; verè magnus eſt qui in ſe parvus eſt, & pro nihilo omne culmen honoris ducit; verè prudens eſt, qui omnia terrena arbitratur ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciat; & bene doctus eſt, qui Dei voluntatem facit, & ſuam voluntatem relinquit. Idem lib. 1.c. 2. * *Omnis homo naturaliter quidem ſcire deſiderat, ſed ſcientia ſinè timore Dei quid importat? Melior eſt profectò humilis ruſticus qui Deo ſervit, quàm ſuperbus Philoſophus, qui ſe neglectô curſum cœli conſiderat.* Idem lib. 1. c. 1. * *Quid prodeſt tibi alta de Trinitate diſputare, ſi careas humilitate, unde diſpliceas Trinitati? verè alta verba non faciunt ſanctum & juſtum, ſed virtuoſa vita efficit Deo charum. Opto magis ſentire compunctionem, quàm ſcire ejus definitionem. Si ſcires totam Bibliam exteriùs, & omnium Philoſophorum dicta, quid totum prodeſſet ſinè charitate Dei & gratia? vanitas vanitatum, & omnia vanitas, præter amare Deum, & illi ſoli ſervire.* Idem lib. 1. c. 2. * *Iſta eſt ſumma ſapientia per contemptum mundi tendere ad regna cæleſtia. Si ſcirem omnia quæ in mundo ſunt, & non eſſem in charitate, quid me juvaret coram Deo, qui me judicaturus eſt ex facto? Quieſce à nimio ſciendi deſiderio, quia magna ibi invenitur diſtractio & deceptio. Scientes libenter volunt videri & ſapientes dici. Multa ſunt quæ ſcire parum vel nihil animæ proſunt. Et valde inſipiens eſt qui alijs intendit, quàm ijs, quæ ſaluti ſuæ deſerviunt. Multa verba non ſatiant animam, ſed bona vita refrigerat mentem, & pura conſcientia magnam ad Deum præſtat confidentiam. Quantò plus & meliùs ſcis, tantò graviùs inde judicaberis, niſi ſanctiùs vixeris. Noli ergo extolli de ulla arte, vel ſcientia, ſed potiùs time de data tibi notitia. Si tibi videtur quòd multa ſcis, & ſatìs bene intelligis, ſcito tamen quia ſunt multò plura quæ neſcis. Si vis utiliter aliquid ſcire & diſcere, ama neſciri, & pro nihilo computari. Hæc eſt altiſſima & utiliſſima lectio, ſui ipſius vera cognitio & deſpectio; de ſe ipſo nihil tenere, & de alijs ſemper bene & altè ſentire, magna ſapientia eſt & perfectio.* Prov. 11. * *Ubi eſt enim humilitas, ibi ſapientia.*

At

At contemnunt hæc ſapientes Babylonis; *animalis enim homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritûs Dei.* * *Valde vilis & parva, ac penè oblivioni tradita videtur vera cœleſtis ſapientia, non ſapiens alta de ſe, nec magnificari quærens in terra.* Nunc confortata eſt ſuperbia multorum, qui exprobrant acies Dei viventis. Deridetur juſtorum ſimplicitas, Religiones choro & contemplationi cœleſtium addictæ contemnuntur & exploduntur, Sanctorum pia quies & ſolitudo ſugillatur; Dei ſervitium, & ſtudium Mariæ, otium reputatur infructuoſum; increvit populus imprudens, populus *alti ſermonis, ità ut non poſſis intelligere diſſertitudinem lingvæ ejus, in quo nulla eſt ſapientia.*

Kemp. lib. 3. c. 29.

Iſaia 33.

V.

Dictum eſt D. Antonii in vitis Patrum: *In hoc unuſquiſq; ſibi præparat ſeu tormenta, ſeu gloriam, ſi vel negligat ſcripturarum mandata, vel faciat.* Cætera quippe, neq; ſi ſciantur gloriam pariunt, neq; ſi neſciantur damnationem. *Nihil obeſt cuiquam*, ùt ſcribit Iſidorus, *ſi per ſimplicitatem aliquam de elementis indignè ſentiat, dummodo de Deo vera pronuntiet. Nam quamvis de incorporeis, corporeiſq; naturis nequeat quiſq; diſputare, beatum tamen illum facit vita recta cum fide.* * *Non pertinet ad beatitudinem conſequendam ſcientia rerum*, inquit idem, *nec eſt beatum multa ſcire, ſed eſt magnum beatè vivere.* * *Meliùs eſt ſapere modicum cum humilitate, & parva intelligentia, quàm magni theſauri ſcientiarum cum vana complacentia. Meliùs eſt tibi minum habere, quàm multum, unde poſſis ſuperbire.* Et ùt bene dixit D. Hieronymus: *Melius eſt tibi aliquid neſcire ſecurè, quàm cum periculo diſcere.*

Kemp. lib. 3. c. [illegible]

Ad Euſto. Epiſt. 2.

Triumphent alij in ſuarum ſcientiarum gloria, & ſapienter indoctos ac ſupervacanea neſcientes rideant, contemnant & ſugillent. *Ab his longè me fac Domine, conjungar autem illis in te, & delecter cum eis in te, qui non faſtuoſo ſcientiæ inanis typho, ſed veritate tua paſcuntur in latitudine charitatis.* Confide puſillus grex. Noverint alij multa; tu autem, ut verbis Davidis te compellem, *ſcito Deum Patris tui.* Beatus qui Deum ſcit, etſi cœtera neſciat; qui ad hoc ſapiens eſt ut faciat bonum, qui *per doctrinam verbum Dei non habet, & tamen in Chriſto manet per bonam vitam. Qui etſi mandata Chriſti non habet in libro, habet tamen in corde charitate dilatato. Iſti tales quàm felices, quàm beati; horum quidem talium eſt regnum cœlorum.* Audiant hæc ſcholaſtici ſimplicium deriſores, & ut cum Divo Auguſtino eos commoneam,

S. Auguſtin. Confeſſ. li. 12. c. 23.

1. Parali. 28.

S. Bernar. ſerm. 12. in Cœna Domini.

Digitized by Google

S. Auguſt. lib. de catechizandis rudibus. c. 9.
Idē de doctr. Chriſt. lib. 1. c. 20.
1. Cor. 1.

humilitate induti Chriſtianâ, diſcant non contemnere, quos cognoverint morum vitia; quàm verborum amplius devitare; & cordi caſto linguam exercitatam nec conferre audeant, quam etiam præferre conſueverunt, * ſuis inflati literis *ſinè pennis in terra reptantes, & volatu ranarum avium nidos irridentes.* Conſolamini parvuli quibus ſolis arcana ſua revelare, regníq; ſui gloriam reſervare Deo complacuit. *Videte vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.*

VI.
S. Bernar. in epiſt. ad fratres de mõte Dei.

Licèt magna & Divina planè fuerint miracula, quæ Dominus geſſit in terris, inquit Sanctus Bernardus, *hoc tamen unum ſuper omnia alia enituit, & cætera cuncta illuſtravit, quòd in paucis ſimplicibus totum mundum, & omnem ſapientiæ ejus altitudinem ſibi ſubjugavit, quod etiam nunc cœpit operari in vobis. Ita Pater, ita, quoniam ſic placitum fuit ante te. Abſcondiſti enim hæc à ſapientibus & prudentibus hujus mundi, & revelâſti ea parvulis. Nolite ergo timere puſillus grex, ait Dominus, ſed omnino confidite, quoniam complacuit Deo Patri dare vobis Regnum. Videte fratres mei, videte vocationem veſtram. Ubi ſcriba? ubi conquiſitor hujus ſæculi? Nam etſi ſunt aliqui ſapientes inter vos, per ſimplices tamen ſapientes aggregavit, qui Reges olim & Philoſophos mundi hujus per piſcatores ſibi ſubjecit. Sinite ergo, ſinite ſapientes hujus ſæculi, de ſpiritu hujus mundi tumentes, alta ſapientes, & terram lingentes ſapienter deſcendere in infernum. Vos autem dum foditur peccatori fovea, ſicut cœpiſtis ſtulti permanete propter Chriſtum.*

Climac. in ſcala par: gr. 7.

* *Non accuſabimur, ô ſocij, neq; nobis crimini dabitur in ſeparatione animæ à corpore, quòd non miracula egimus, quòd non de Theologia diſſeruimus, quòd non contemplationi operam dedimus, ſed ob hoc maximè omnino rationem Deo reddituri ſumus, quòd lugere unquam deſtitimus.*

Kemp. lib. 3. c. 4.

* *Veniet dies quando apparebit Magiſter Magiſtrorum Chriſtus, Dominus Angelorum, cunctorum auditurus lectiones, hoc eſt: ſingulorum examinaturus conſcientias. Et tunc ſcrutabitur Jeruſalem in lucernis, & manifeſta erunt abſcondita tenebrarum, tacebúntq; argumenta linguarum.*

S. Hieron. Epiſt. 1.

* *Veniet dies, cùm judicaturo Domino lugubrè mundus immugiet, tunc adducetur cum ſuis ſtultus Plato diſcipulis, tunc Ariſtotelis argumenta non proderunt.*

Digitized by Google

runt. * *Tunc plus proderit ſtuduiſſe mortificationi vitiorum, quàm notitia multarum difficilium quæſtionum; tunc videbitur ſapiens in hoc mundo fuiſſe, qui pro Chriſto didicit ſtultus & deſpectus eſſe; tunc amplius exaltabitur ſimplex obedientia, quàm omnis ſæcularis aſtutia; tunc plus lætificabit pura & bona conſcientia, quàm docta Philoſophia; tunc plùs valebunt ſancta opera, quàm multa pulchra verba;* * *tunc tu ruſticanus & pauper, ac ſapienter indoctus* idiota, *exultabis & ridebis, & dices: Ecce crucifixus Deus meus, ecce Judex, qui obvolutis pannis in præſepio vagijt. Regem in decore ſuo videbunt oculi tui, cernent terram de longè. Ubi erit literatus? ubi legis verba ponderans? ubi Doctor parvulorum? populum imprudentem non videbis, populum alti ſermonis, ità ut non poſſis intelligere diſſertitudinem linguæ ejus, in quo nulla eſt ſapientia.* *Kemp. lib. 3. c. 43.* *Ibid. lib. 1. c. 24.* *S. Hieron. Epiſt. 1.* *Iſaia 33.*

Veniet dies cùm multi plangent: *Quid mihi prodeſt, quòd majorem ſapientiæ dedi operam?* cùm trepidabunt mundi hujus ſapientes, & qui beatos ſimplices dixerant quoniam aſini vocabuntur, videbunt illos non in aſinorum, ſed in filiorum Dei ſorte computatos, videntéſq; turbabuntur timore horribili, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritûs gementes: *Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſinè honore; ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt. Ergo erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Quid nobis profuit ſuperbia, &c.* *Eccle. c. 2.* *Sap. 5.*

Sperent igitur *in alijs alij*, quæ eos in die mala liberare non poterunt; *hic in ſcientia literarum, ille in qualibet vanitate confidat; propter te Deus omnia detrimentum feci, ut ſtercora arbitror, quoniam tu es Domine ſpes mea.* Scio quidem, quòd in die illa furoris tui *juſti liberabuntur ſcientiâ.* Imbue me ſcientiâ, ſed ſcientiâ ſalutis. Contemnam judicium hujus mundi, non me inflet typhus humani generis, ſit mea ſcientia te ſcire Crucifixum, nôſſe vias tuas, juſtificationes tuas, mandata tua, & teſtimonia tua, & quid deſit mihi. Dimitto cœteras nugas nugarum, & vanitates vanitatum. *Tantum ne tu ſileas à me, tu loquere in corde meo veraciter, ſolus enim ſic loqueris; & dimittam alios foris ſufflantes in pulverem, & excitantes terram in oculos ſuos, & intrem in cubile meum, & cantem tibi amatoria, gemens inenarrabiles ge-* *S. Bernar. ſerm. 8. in Pſ. qui habitat.* *Prov. 11.* *S. Auguſt. Confeſſ. li. 12. c. 17.*

mitus in peregrinatione mea, & recordans Jeruſalem, extento in eam ſurſum corde, Hieruſalem Patriam meam, Hieruſalem matrem meam, téq; ſuper eam regnatorem, illuſtratorem, Patrem, Tutorem. Maritum, caſtas & fortes delicias, & ſolidum gaudium, & omnia bona ineffabilia ſimul omnia, quia unum ſummum & verum bonum. Et non avertar, donec in ejus pacem Matris chariſſimæ, ubi ſunt primitiæ ſpiritûs mei, unde mihi iſta certa ſunt, colligas totum quod ſum, â diſperſione & deformitate hac, & conformes atq; confirmes in æternum, Deus meus, miſericordia mea.

Libet hîc adhuc pro colophone, modicâ pleƈtrum perungere colophoniâ, ad canendos aliquot verſiculos, occaſione anagrammatis ex nomine *ſcientia* in confuſionem ipſius deſumpti: I NESCITA.

Surgunt indocti, quos vanus deſpicit orbis,
Et cœlum rapiunt; docta caterva perit.
Nimirum non arte polos ſed marte lucramur,
Nec rapit hos docilis, ſed violenta manus.
Sæpius indoctus perrumpit ad æthera miles,
Doctus at imbelli robore lingit humum;
Tota quoq; illius NESCITA *ſcientia vadit,*
At manet æternus ſimplicitatis honor.
I NESCITA *modò, nè poſt* NESCITA, *ſcientem*
Cogas obſcuro tecum habitare loco.

CAPUT XL.

Objectioni cuidam reſpondetur, & mens Authoris per aliquot Paragraphos plenius declaratur.

I. POſtquàm de Typho generis humani hucuſq; ad bilem fortaſſe quorundam tractatum eſt, & ex dictis pleraq;, ſacrarum paginarum, Sanctorúmq; Patrum, aliorúmq; doctiſſimorum Virorum authoritatibus confirmata, ut jam cuivis amore ſcientiarum non præoccupato, ſatis patere videatur, quantum in ſcientijs ſit pe-

riculi, quot quantíſq; vitijs cognata eruditio, quàm rara ſit in mentibus doctis vera illa ſapientia quæ perficitur charitate, quàm beata ſimplicium ignorantia, quàm fortunata ſors idiotarum; invenietur non nemo, qui me ut Sophiſtam coarguet, & ad ſcientias in odium adducendas, illam ſummularum etiam tyronibus non ignotam fallaciam, *non cauſa ut cauſa*, fraudulenter vel ignoranter uſurpare conclamabit. Non ſemper typhum eſſe ſcientiam, aut ſi typhus ſit, facilè reprimi poſſe ac cohiberi, ne inflet animum. Neq; vinum propterea abominandum, quòd illo multi ad ebrietatem abutantur; uſum in hujuſmodi rebus non vituperandum, ſed abuſum, & à peſſimis hominum voluntatibus res optimas nonnunquam in malum detorqueri. Quod idem paraphraſticè deſcribit in charactere hominis literati Daniel Bartholus: *Literatorum*, inquit, *vitia periniquè conjiciuntur in literas, nec debet rei cujuſquam naturæ attribui, quod ex pravo ſolùm proficiſcitur ejus uſu. Solem inficiunt horizontis ſordes, lunæ maculant globum repercuſſæ ex terra expirationes, ſtellas motu jactatas perpetuo aëris vapor nobis repræſentat. Ergóne ſol propterea ſqualidus, maculoſa luna, ſtellæ inſtabiles? Nihil eſt tam innocens, quod aliena culpa reum non facit, ſi pravos in uſus deducatur. Crudelitatis officina eſt bellum; ambitionis columen ſceptrum; laſciviarum illecebra forma decor; luxus adminicula divitiæ; ſuperbiæ pabulum honores; conciliatricula faſtûs nobilitas. Quid attinet plura percurrere? cùm ipſamet ſanctitas in uſus deflectatur fictæ probitatis, & vera Religio privatorum fiat famula rationum. Non damnat igitur literas uſus præpoſterus, cui coguntur famulari; ut nec floris pulchritudinem aranei qui venena ex ijs conficiunt.* *Part. 2. in princ.*

§. I.

Scientia per accidens tantùm mala; ejúſq; abuſus, non uſus damnatur.

SCientiam non per ſe, ſed per accidens malam eſſe, quod jam mota intendebat objectio, lubens aſſentior. Unde qualitercunq; hoc etiam ſcripto malè audiat, non id tam meâ vel aliorum ſit culpâ, quàm illorum qui re tam bonâ in perniciem ſuam plerumq; abutuntur. *Malè* II.

 ſit

Digitized by Google

ſit malis cinædis, qui rem tam bellam infamârunt, dixit Ariſtippus doctiſſimus Philoſophus, cùm aliquando inſigni ungvento delectaretur; oſtendens hoc dicto, multa per ſe bona reijci culpâ malè utentium. Huc ſpectat illud Theodori Athenienſis, qui obijcientibus, quòd doctrinâ ipſius multi redderentur deteriores, reſpondit, id illorum vitio accidere, qui doctrinam ipſius ſiniſtrâ exciperent, quam ipſe dextrâ porrigeret.

Epictetus conſpiciens quendam moribus impurum, & lingvâ procacem, improbo tamen ſtudio Philoſophiæ diſciplinas conſectantem, legitur eidem dixiſſe: *O homo, vide quo mittas, num purgatum ſit vas.* Nam ſi ad arrogantiam iſta immiſeris, inceribunt; ſi ad animum quibuſcunq; alijs vitijs inquinatum, computreſcent, & in urinam vel acetum vertentur, aut ſi quid his deterius. Senſit eruditionem, quanquam in ſe bonam & laudabilem, eſſe pernicioſam, ſi in animum inciderit pravis affectibus corruptum; & ſcientiam quantò ſanctiorem, tantò fieri pernicioſiorem, ſi contigerit improbo; ſicut in humano corpore, quantò nobiliores ſunt humores, tantò pernicioſiores redduntur, ſi extravaſati, in locis conſervationi eorum inidoneis, putreſcant. *Etſi bonos conſtet*

Hom. 39. in Cant. *eſſe cibos*, inquit Divus Bernardus, *quos Deus creavit, tu tamen ipſos tibi, ſi in ſumendo modum & ordinem non obſerves, reddis planè non bonos. Ergo quod dico de cibis, hoc ſentiendum & de ſcientijs.* Et alibi

Idem de vita ſolit. ait: *Si quis calleat ingenio, ſi vigeat arte, ſi præmineat intellectu, inſtrumenta eſſe hæc tam vitiorum quàm virtutum.* Eodem loco poſtquàm de libris ſcientiiſq; diſcurriſſet ſubdit: *Quibus homines illi qui dicuntur ſapientes hujus mundi, cum eis qui ſunt ſimplices & filij Dei, pariter utuntur ad neceſſitatem & utilitatem; ſed illi abutuntur eis ad curioſitatem, & voluptatem, & ſuperbiam, hi autem utuntur eis propter neceſſitatem, alibi habentes ſuam ſvavitatem.* Vides, etiam Dei filijs ſcientias eſſe neceſſarias, illis præſertim, ex quorum ore lex Dei ſolet requiri, qui ſal ſunt populorum, qui exercent artem illam artium curam animarum. Neq; ijs ſolùm, ſed etiam alijs; non in illorum duntaxat utilitatem, verùm etiam in ipſarum ſcientiarum ſive diſciplinarum per ſe bonarum & laudabilium conſervationem, ne videlicet omnino intercidant, modò ijs ad neceſſitatem & utilitatem, non ad curioſitatem, voluptatem, & ſuperbiam abutantur. *Non* enim, ùt ait Divus Auguſtinus, *uſus rerum, ſed libido mentis in culpa eſt.*

Nîl

Digitized by Google

Nil prodeſt, canit Ovidius, *quod non lædere poſſit idem.*

Igne quid utilius? ſi quis tamen urere tecta
Cœperit, audaces inſtruit igne manus.
Eripit interdum, modo dat medicina ſalutem,
Quæq; juvet monſtrat, quæq; ſit herba nocens.
Et latro, & cautus præcingitur enſe viator,
Ille ſed inſidias, hic ſibi portat opem.
Diſcitur innocuas ut agat facundia cauſas,
Protegit hæc ſontes, immeritóſq; premit.

Sic multis rebus & ſcientijs per ſe bonis, mali & perverſi homines, in ſuam & aliorum noxam atq; perniciem abutuntur. Huc etiam ſpectat illud Eccleſiaſtici: *Initium neceſſaria rei vitæ hominum, aqua, ignis, & ferrum, ſal, lac, & panis ſimilagineus, & mel, & botrus uvæ, & oleum, & veſtimentum. Hæc omnia ſanctis in bona, ſic & impijs & peccatoribus in mala convertentur.* Inter quæ etiam ſcientia numerari poteſt. * *Peccatori omnis creatura hoſtis eſt*, inquit Origenes, *juſto ſerviunt omnia*. Nullus ergo putet, quòd cum Caleb velim expugnare *Cariath Sepher*, hoc eſt: *Civitatem literarum*; vel cum Joab Abelam ſapientûm urbem oppugnante, *ſubvertere* velim ſapientiæ *Civitatem, & everſere Matrem in Iſraël.* Abſit hoc à me; non ſubverto neq; demolior, ſed unum *Sebam perſequor*. Quis iſte *Seba*? non alius quàm abuſus. *Tradatur* atq; tollatur *ille ſolus, & recedam à Civitate.* Hortatur nos exemplo ſuo Paulus *ad deſtructionem munitionum*, ut ſimus *deſtruentes omnem altitudinem, extollentem ſe adversùs ſcientiam Dei.* Non extollatur ſcientia, & oppugnatio tolletur, non inſletur, & non exſufflabitur. Aut ſi vult extolli, ſaltem *adversùs ſcientiam Dei* non extollatur.

Eccli. 39.
In c. 3. Joſue.
Joſue 15.
Jud. 1.
2. Reg. 20.

§. 2.

Scientiam, licèt per accidens malam, prudenter vitari.

III. ABunde nocumenta ſcientiæ in hujus opuſculi contextu Lectori ſunt expoſita; nunc oſtendendum, licèt talia per accidens ſolummodo ab illa promanent, non tamen evincere, quin animi mortalium ad illam

illam vitandam ſalubriter queant incitari. An non enim qui Epiſcopatum, Sacerdotium, vel Prælaturam deſiderat, bonum opus deſiderare Paulo teſte dicendus? an non, ſi qui talium dignitatum occaſione in faſtum & ſuperbiam efferuntur, & malè poſtremò pereunt, non illico ipſas damnamus dignitates, ſed peſſimas voluntates hominum illis in ruinam ſuam pravè abutentium? An non tamen, qui talium honorum faſtigia ambit, ſtultè ambit? an non paſſim tot Sanctorum Virorum verbis & exemplis hæc ſummopere vitari ſvadentur? cujus fugiunt notitiam tot fugæ Sanctorum? quem latent tot Virorum omni laude inſignium latebræ, ſpecus, & exilia voluntariè ſuſcepta, ut Præſulatus ſibi delatos declinarent? Horribilis illa eſt vox, quam de ſtátu ſuo quidam poſt mortem ſuam requiſitus, poſtquam in vivis ſalubri pertinaciâ Præſulatum quendam etiam obedientiâ adactus ſuſcipere detrectâſſet, pronuntiavit: *Si fuiſſem*, inquit, *de numero Prælatorum, fuiſſem de numero damnandorum.* Non ergo mirum, nonnullos ex veteribus illis Sanctiſſimis Anachoretis, cùm ad Epiſcopatum cogerentur, aures ſibi amputâſſe, lingvas etiam abſciſſuros ſi qui cogebant, non deſtitiſſent. Quorum etiam communis erat ſententia, Monacho Epiſcopos non minùs quàm mulieres eſſe fugiendos, ne ſcilicet in Sacerdotes vel Epiſcopos ab ijs aſſumantur, & ordinentur. An tamen Sacerdotium vel Epiſcopatus malum aliquod per ſe cauſant cùm ità fugiantur? patet ergo, prudenter aliquid vitari poſſe, ſi plerumq;, quamvis per accidens tantummodò nocere ſoleat. Licèt enim res hujuſcemodi per ſe bonæ, animos ad deteriora non cogant deflectere, viam tamen præbent; etſi mala neceſſariò non inferunt, malorum tamen eſſe ſolent occaſio. Salubriter igitur ſcientiam fugis, cui pericula in ipſius inquiſitione & exercitio occurrentia, & tot literatorum malè pereuntium veſtigia ſunt terrori, qui niſì fuiſſent de numero Doctorum, nunquam fuiſſent de numero damnandorum. Si neceſſe eſt ſcientias eſſe in Eccleſia, ſine illas per alios quàm temetipſum exerceri; multa enim ſimilia eſſe oportet, væ tamen illi per quem fiunt, vel ſaltem væ incurrendi periculum.

IV. Verùm non ſolummodò diſſvaderi ſcientiam, ſed & vanam abſolutè pronuntiari poſſe judico, licèt quæcunq; ei adſcribuntur nocumenta, non per ſe, ut dixi, ſed per accidens inferre conſveverit. Vanam itaq; abſolutè pronuntio ſcientiam, ſicut vanum appellamus mundum. Si mundus ipſe ſic vanus eſſet, ut ei nullo modo ſinè vitio ac detrimento

quis

quis poſſet adhærere, Chriſtus non præſervari ſolùm â malo diſcipulos, ſed tolli quoq; de mundo Patrem exorâſſet. Ità novimus omnes ejuſdem mundi creaturas bonitatis titulo minimè privandas. *Omnis* 1. Tim. 4.
enim *creatura Dei bona eſt.* Attamen aliunde compertum habemus, creaturas Dei *in odium* factas eſſe, *& in tentationem animabus hominum, & muſcipulam pedibus inſipientium*; quia nimirum ad illicitos ſui Sap. 14.
uſus vel abuſus mortales pertrahere conſveverunt, quod de literis atq; ſcientia maximè verificari cenſeo, quæ (ut concludam) eſto per ſe non ſit pernicioſa, per ſe tamen ſemper eſt periculoſa.

V. At dicet quiſpiam, eo modo pietatem, virtutes omnes, & ſanctitatem ipſam vanam appellare licebit, quâ non pauci in ſuperbiam & præſumptionem elati miſerè ceciderunt, & cùm eſſent ſpiritualibus bonis onuſtiſſimi, in portu naufragium fecerunt. Non diffiteor pietatis ſanctitatiſq; anſâ & occaſione multos â Deo apoſtatâſſe; quàm verò diſpari modo pietas & ſanctitas hæc cauſet, declaratione mihi quidem egere non videtur. Quis unquam de pietate ſcriptum legit, quod de ſcientia paſſim â ſacris authoribus conclamatur? eam videlicet inflare, ducem eſſe vitiorum, mortales gloriæ vanæ aucupes reddere & ambitioſos; quin potiùs de charitate, quâ pietas & ſanctitas conſtituitur & completur, ſcriptum reperio, eam non inflari, non eſſe ambitioſam. Si tamen quandoq; ſanctitas aliquos in faſtum extuliſſe viſa, hîc quàm maximè per accidens id factum dici debet, ac nonniſi peſſimæ hominum voluntati imputari, res nonnunquam optimas, & ad optima moventes, in ſuperbiæ ſuæ anſam malitioſiſſimè detorquenti.

VI. Quòd ſi adhuc cuipiam intolerabilis ſententiæ meæ rigor videatur, & multa indignanter nimiùm ac temere, me in hujus opuſculi contextu, contra ſcientias arbitretur protuliſſe; hunc ut animadvertat commoneo, hoc plùs eruditionis quàm ſanctitatis ſtudioſo ſæculo hæc â me proferri, quo multi, non æſtimato charitatis diſpendio, de ſcientijs ſuis vanè ac otioſè gloriantur atq; triumphant. Quapropter veniam expeto, ſi duo extrema habens præ oculis, ad alterum illorum fortaſſe paululùm â medio deflexi, id faciens, quod virgarum curvitatem emendantes, qui non contenti ſunt eas ad medium rectitudinis reducere, ſed in partem, in quam maximè renituntur, eas cum fractionis etiam periculo contrariâ inflexione adigunt. Si id egi, quod Sancti Patres agere conſveverunt, cùm adverſus hæreſin quampiam pro fidei veritate depugnarent; qui verum

Digitized by Google

rum dogma nimiùm quandoq; ampliore videntur, ut falſum tantò fortiùs elidant; *plus dicunt, & minus volunt intelligi*, ùt de illis ſcribit S. Bonaventura, vulgari ſe conformantes adagio: *Injuſtum petas ut juſtum feras.*

VII. Lectis & conſideratis omnibus, quæ per decurſum præſentis operis ſunt tractata, habet quiſq; ſapiens, ſi tenui meo credendum eſt judicio, motiva ſufficientia, ob quæ ſcientiam repudiet; nolo tamen dicere ſcientiam ſanctorum, quæ vera eſt ſapientia, ſed ſcientiam hujus mundi, tam falſam & futilem, tam vanam, lubricam, & periculoſam; ſcribátq; in libello repudij, quod eadem SCIENTIA ex nomine ſuo anagrammaticè verſo ſuggerit: EAT CINIS. Quod niſi facit, magno periculo animæ ſalutem exponit,

Et incedit per ignes
Suppoſitos cineri *doloſo.*

Ad exſufflandum & difflandum hunc cinerem, paucula hîc adhuc verſu ludamus.

Cum lueret meritas tellus Ægyptia pœnas,
Una etiam legitur pœna fuiſſe cinis;
Qui ſurſum ſparſus, tumidas cauſavit ubiq;
Veſicas, nec non ulcera fœda cuti.
Huic ſimilis cineri ſapientia vana videtur,
Quam ſurſum ignito tartarus ore vomit.
In mundo generat veſicas namq; tumentes;
Et ſcelerum ulceribus turgida corda facit.
Sit procul iſte CINIS; *lætum tamen indicat omen,*
Hoc opere in cineres hoſtem abiiſſe meum.
O utinam hoc pereat mundana ſcientia buſto!
Quæ nutrit ſtygiis pabula tanta focis.
Tota inquam pereat, nec ſit cinis *inde ſuperſtes,*
Quo docti poſſint incinerare caput.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XLI.

Scientia, ſi evitari non poſſit, quomodo in ea converſandum.

ERit fortaſſe nonnemo, qui ſcientiæ damna & pericula ſanâ mente perpendens, eliget ſalvari cum ſimplicibus, illa ſolùm quæ ſtatui ſuo ſunt neceſſaria non ignorando, quàm cum doctis multa ſcientibus de ſalute periclitari. Nunquam ſponte ſuâ ſcientijs applicari deſiderabit, nunquam ægrè feret, ſi â ſtudijs literarum arbitrio alterius abſtrahatur, ſi libros ſcientiarum inſtrumenta volvere prohibeatur, cujus liber charitas, in quo ſolo ſaluberrimè maximóq; cum animi profectu & utilitate, tot Sancti toto vitæ ſuæ tempore ſtuduerunt; cujus unica ſcientia & eruditio, ſcire JESUM & hunc crucifixum. Nunquam qui talis eſt, officijs vel honoribus literarijs ſe ingeret, ſed ſoli Deo vacare, ſibi ſalutíq; ſuæ conſulere, meritis coacervandis unicè ſtudere præoptabit, & rem periculi plenam quantùm poterit fugiet ac declinabit. Verùm obedientiæ jugo adſtrictus, colla nonnunquam jubenti Prælato ſubmittere debet, & ſtudioſiorem etiam ſcientiarum culturam ſuſcipere; vel Profeſſuram facultatis cujuſpiam exercere, aut alijs huic generis humani typho obnoxijs occupationibus animum admovere. Quid hîc agat obedientiæ filius? mandatum inſtat, in parendo periculum, in non acquieſcendo fortaſſe peccatum. In tali caſu ſubdat colla obedientiæ jugo, Dei fretus præſidio, qui innoxios reddet ſerpentes, & faciet cum ſcientia proventum, ut pericula ipſius non ſolùm innoxiè, ſed etiam uberi cum merito ac fructu poſſit ſuſtinere. Scire tamen debebit qui eſt hujuſmodi, quemadmodum ſcire oporteat, nè ſcientia ipſius non tam fortaſſe ad ſalutem proficiat, quàm officiat ad damnationem. VIII.

IX. Divus Bernardus in illam Apoſtoli ſententiam, *Si quis autem ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum ſcire*, ità ſcribit: *Vides quomodo fructum & utilitatem ſcientiæ in modo ſciendi conſtituit. Quid ergo dicit modum ſciendi? Quid? niſi ut ſcias quo ordine, quo ſtudio, quo fine quæq; nôſſe oporteat.* 1. Cor. 8. D. Bernar dus hom. 39. in Cãt.

Digitized by Google

§. I.

Quo ordine ſcire oporteat.

X. Hom. 39. in Cant. REſpondet Divus Bernardus: *Id priùs, quod maturiùs ad ſalutem.* Et citans illud Apoſtoli: *Dico autem per gratiam quæ data eſt mihi in omnibus, non plùs ſapere quàm oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem. Non prohibet inquit ſapere, ſed plùs ſapere quàm oportet. Quid eſt enim ſapere ad ſobrietatem? vigilantiſſimè obſervare, quid ſcire magis priúſve oporteat. Tempus enim breve eſt. Eſt autem quod in ſe eſt omnis ſcientia bona, quæ tamen veritate ſubnixa ſit. Sed tamen quicunque timore & tremore tuam ipſius operari ſalutem pro temporis brevitate feſtinas, ea ſcire ampliùs priúſque curato, quæ ſenſeris viciniora ſaluti.*

XI. Vicinior ſaluti ſcientia eſt nôſſe Deum, nôſſe ſe ipſum, nôſſe vias modóſq; cœlum promerendi, neq; nôſſe tantùm, ſed etiam exercere. His ſtudijs vas animæ purgatur, nè fætor ejus & ſordities ſcientiam ſuperingeſtam corrumpat. His mediis animus velut firmiſſimâ baſi ſolidatur, ne typho ſcientiæ concuti aut corruere poſſit. Doceri hæc omnia videmur exemplo Pſaltis Regij, qui ait: *Bonitatem & diſciplinam, & ſcientiam doce me.* Bonitatem primùm & diſciplinam, quæ utiliora ſunt ſaluti, deinde ſcientiam edoceri poſtulat. *Amate ſcientiam, ſed anteponite charitatem*, inquit Sanctus Bernardus. Novit enim charitas ſinè ſcientia proficere ad ſalutem; ſcientia autem ſinè charitate, nonniſi ad damnationem. *Intendamus* igitur *toto animo, primùm in ſcientiam ſaluti viciniorem, videamúſque, nè fortè in diſcendo diutiùs remorati adhuc in inſtitutis rudium inveniamur*, nihil in ſtudio veræ ſapientiæ proficientes, ſtructuram ſinè baſi facientes; ac ne cum Phrygibus aliquando, ſed nimiùm ſerò ſapere doceamur.

Pſal. 118. · Lactant:

D. Bern. hom. 40. in Cant. Proinde ante omnia ô homo! *noveris te, ut Deum timeas; noveris ipſum, ut diligas, in altero initiaris ad ſapientiam, in altero & conſummaris, quoniam initium ſapientiæ timor Domini eſt, & plenitudo legis eſt charitas. Tam ergo utraque ignorantia cavenda eſt tibi, quia ſinè timore & amore Dei ſalus eſſe non poteſt. Cætera indifferentia ſunt, nec ſalutem ſi ſciantur, nec damnationem ſi neſciantur habentia. Non tamen dico contemnendam, aut negligendam ſcientiam literarum, quæ ornat*

ornat animam, & erudit eam, & facit ut poſſit etiam alios erudire; ſed duo illa oportet & expedit ut præcedant, in quibus ſummam ſalutis conſtitui ſuperior ratio declaravit.

§. 2.

Quo ſtudio ſcire oporteat.

VUlt Divus Bernardus, ut *ardentiùs quod vehementiùs ad amorem.* Idem in formula honeſtæ vitæ ait: *Illas ſcripturas libentiùs legas, quæ præcipuè erga Chriſtum Dominum tuum magis inflammaverint intellectum.* Si alijs tamen quandoq; materijs ſtudium noſtrum addicere cogimur, ſanctum mentis ignem extingvi non ſinamus, ſed ſugamus oleum etiam de petra ſaxóq; duriſſimo, nulla enim in ſcientijs tam ſterilis vel arida materia, quæ animo artifice ſubminiſtrare nequeat fomenta charitatis, vel quæ animum erga Deum incendi prohibeat, & pia cordis jacula, ardentéſq; affectus in eum vibrari, quibus mens legendo diſſipata piè colligatur, ne omnino infructuosè otium literarum peragatur. XII. *Hom. 39. in Cant.*

Nunquam ſtudium ſinè auſpice Deo, & non præviâ piâ mentis intentione inchoetur; nunquam occurrens aliquid qualecunq; illud ſit, præter divinum & cœleſte, quamvis literatum, & expolitum, & veridicum, itâ mentem delectet, ut totam rapiat. Noverimus etiam libris, otióq; literario nos non tradere, ſed commendare, ne tempus omne ſcientiarum ſtudio conſumatur, & fructuoſiſſimo ſanctæ orationis ac meditationis exercitio præterito, ad profectum noſtrum ſpiritualem rara ducatur linea. Itâ libris mentem occupemus, ut â lectione ad orationem facilè tranſire liceat, nec dum plectra Davidica ſunt aſſumenda, importuni Muſarum fuci auribus obbombilent, & diſſonam auribus divinis reddant orationis harmoniam. Nunquam dum penſa precum conſveta Deo exolvimus, inveniamur opus Domini peragentes fraudulenter, rapinam committentes in holocauſto; nunquam tempus ejus ſervitio rite obeundo impendendum, ipſi ex parte ſurripiamus; Muſis illud addicentes; Nunquam charitatis operibus, & virtutum exercitijs, quæ neceſſitas vel occaſio interdum ſvadet, ſtudia præferamus literarum, ſed

his ad tempus ſepoſitis, illis nos impendamus, ſemper memores. pietatem ad omnia eſſe utilem, & ad profectum in literis ac eruditione faciendum, ſuper omnem ingenij humani induſtriam conducere. Illud magni Aurelij dictum animo firmiſſimè infixum teneamus: *Novit ſemper oratio ſinè lectione proficere, ſed lectio ſinè oratione rariſſimè. Unde nec diſcerni poteſt de facili, quanti ſit periculi & laboris, parum vel nihil orare, & ſemper legere, & nunquam ad ſapidam ſcientiam pervenire.*

Ad ff. de mōte Dei. Item illud Divi Bernardi: *De quotidiana lectione aliquid quotidie in ventrem memoriæ dimittendum eſt, quod fidelius digeratur, & ſurſum revocatum crebriùs ruminetur, quod propoſito conveniat, quod intentione proficiat, quod detineat animum ut alia cogitare non libeat. Hauriendus eſt ſæpe de lectionis ſerie affectus, & formanda oratio, quæ lectionem interrumpat, & non tam impediat interrumpendo, quàm puriorem continuò animum ad intelligentiam lectionis reſtituat.* Tandem nolimus in ſtudijs noſtris niti contra parietem, & plùs ſapere quàm oportet; amemus utilia magìs quàm ſubtilia, nec illa ſcrutemur quæ nos Deus non ſcire voluit, ſed ignorare. Hæc ſi obſervemus, fiet, ut â terris ad cœlos feſtinantes, ſcientia non ſolùm non detineat, ſed etiam nullatenus, vel remorando, vel operam noſtram ludendo incommodet, neq; ſtulto labore conſumamur, ut nobis aptari poſſit illud quod ſcribitur in

Sap. 3. libro Sapientiæ: *Vacua eſt ſpes illorum, & labores ſinè fructu, & inutilia opera eorum.*

§. 3.

Quo fine ſcire oporteat.

XIII. *Hom. 39. in Cant.* **N***On ad inanem gloriam*, inquit Divus Bernardus, *aut curioſitatem, aut aliquid ſimile, ſed tantùm ad ædificationem tuam vel proximi.* Explicat idem egregiè malos bonóſq; fines, in quos ſcientijs ſuis literati collimant. *Sunt*, inquit, *qui ſcire volunt, eo fine tantùm ut ſciant, & turpis curioſitas eſt. Et ſunt qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi, & turpis vanitas eſt. Et ſunt qui ſcire volunt ut ſcientiam ſuam vendant, & turpis quæſtus eſt. Sed ſunt quoq; qui ſcire volunt ut ædificent, & charitas eſt. Et item qui ſcire volunt ut ædificentur, & prudentia eſt.*

Horum

Digitized by Google

Horum omnium ſoli ultimi duo non inveniuntur in abuſione ſcientiæ, quippe ad hoc volunt intelligere, ut bene faciant. * *Væ*, inquit idem Divus Bernardus, *qui bene de Deo & ſentire, & eloqui acceperunt, ſi quæſtum æſtimant pietatem, ſi convertunt ad inanem gloriam, quod ad lucra Dei acceperunt erogandum; ſi alta ſapientes humilibus non conſentiunt. Paveant quod in Propheta legitur dicente Domino: Dedi eis aurum meum, & argentum meum, ipſi autem de argento meo & de auro meo operati ſunt Baal.* *Hom. 44. in Cant.*

Scias igitur quiſquis ſcire teneris, & officij tui vel vocationis causâ ignarus eſſe non potes, quò ſcientiam tuam referas; non ad vanam gloriam, unde æternam ſubire debeas ignominiam, ſed in Dei honorem, in tuam ipſius, proximorúmq; ſalutem atq; utilitatem. Uſurpa frequenter illud Divi Auguſtini ad Deum tuum: *Domine Rex meus, & Deus meus, tibi ſerviat, quicquid utile puer didici, tibi ſerviat quod loquor, & ſcribo, & lego.* Et cum Sancto Thoma Aquinate, nullum alium laboris tui literarij & ſcientiæ tuæ finem intende, nullam aliam mercedem vel prœmium, quàm *Deum ipſum.* Hic ſit ſtudiorum tuorum & ſcientiæ tuæ alpha & omega, hic principium & finis. Ait quidam: *Omnis ſcientia, ſi ad Deum non referatur, ſerpens eſt in ſinu dormientis, gladius in manu phrenetici, ſemen mortis in terra animæ, ſententia damnationis æternæ repoſita in diem judicij.* *Confeſ. lib. 1. c. 15.*

XIV. Deplorat in libris Confeſſionum Sanctus Auguſtinus inania ſua ex hoc capite ſtudia, quibus in artibus liberalibus, nequiſſimus adhuc malarum cupiditatum ſervus inſudabat, & pleraq; in illis ſinè magna difficultate nullo hominum tradente intelligebat, non tamen inde Deo ſacrificabat, ſed ad inanem faſtum & gloriam ſtudia ſua convertebat. Agens etiam alicubi de illis, qui eum ad literas cogebant: *Non intuebantur*, inquit, *quò referrem, quod me diſcere cogebant, præterquam ad ſatiandas inſatiabiles cupiditates copioſæ inopiæ, & ignominioſæ gloriæ.* Verè omnis ſcientiæ ventoſæ *copia*, dicenda eſt potiùs *inopia*, quæ ſolidiori ſapientiâ, doníſq; cœleſtibus hominem privat; & omnis ejus *gloria*, cujus cupidine cœci mortales adeo flagrant, apud Deum *ignominia* reputatur, parítq; tumidis atq; faſtuoſis ejus ſectatoribus, opprobrium ſempiternum. *Conf. lib. 1. c. 12.*

Satìs hucuſq; de typho generis humani tractatum eſſe arbitror; & quam-

& quamvis contra ventum navigaverim, propoſitam nihilominùs attigit cymba ſtationem. *His amplius* optime Lector *ne requiras.* *Finem loquendi* ex libro Eccleſiaſtæ deſumptum *omnes pariter audiamus*; Eccle. 12.

Deum time, & mandata ejus obſerva, hoc eſt enim omnis homo. *

S. Auguſt. *Qui hoc non eſt*, ſit licèt doctus & literatus, *nihil eſt.*

ODE

ODE FINALIS.

Nil tot eſt actum jaculis, in hoſtem
Cladis humanæ cupidum vibratis,
Ceſſit in vanum labor, atq; inanem
Verbero ventum.

Nam typo, mundi typhus efferatus,
Mentium pravos malè ſufflat ignes,
Atq; commotis tumidat ſcientûm
Corda procellis.

Non peto telis homines, ſed hoſtem
Gentis humanæ; nec, opinor, ulli
Hoc libro juſtæ reprehenſionis
Obtigit anſæ.

Si tamen pennæ facilis reatu,
Et ſtylo doctos feriente, moti
Pectus irarum ſtimuli cuiquam
Fortè laceſſunt:

Tollat affectus animi ſiniſtros,
Et libro interpres faveat benignus,
Læſa miteſcat, veniámq; donet
Ira precanti.

Abſit ut vento loquar incitatus,
Quem tot adverſum jaculis petivi,
Atq; in Authorem revibrata curſum
Tela reflectant.

ODE.

Si lucri à Muſa nihil eſt peractum,
Mentium ſaltem quoq; damna cedant;
Ut priùs ventum capiat volantem
Palladis auceps.

At mihi cunctis potior talentis
Charitas, ex nunc magis æſtimatur.
Hæc libri ſaltem mihi gratulabor
Lucra tuliſſe.

Quod ſit æternæ ſtudium ſalutis,
Veritas quondam manifeſta pandet,
Cùm ſator venti, miſer ejulabit
Turbine meſſo.

IN-

INDEX RERUM ET MATERIARUM,

Quæ opere hoc univerſo tractantur.

Primus numerus paginam denotat, n. litera, numerum marginalem.

AMuleta diverſa recenſentur. 160. n. 4. & 5.

Anima ſeu ſpiritus mundi quid ſit, & an detur. 129. cap. 11. & ſeqq.

Antipathiæ varia exempla. 80. cap. 8.

Quomodo explicanda. 185. §. 4.

Atomorum effluvia. 158. cap. 14.

Authoritas veritati nunquam præferenda. 264. n. 7.

Caſus miſerabiles doctorum. 298. cap. 28.

Calorum influxus admittendi, & quomodo explicandi. 172. §. 1.

Charitas vera eſt ſapientia. 355. n. 5.

Scientia inflanti opponenda. 245. n. 8.

Curioſitas doctorum. 274. n. 7. & ſeq. 280. cap. 26.

Deus ſolus dat ſcientiam. 26. n. 5. & 6. *Item.* 406. *cap.* 37.

Ejus cognitio ad ſapientiam ſufficit. 353. n. 3.

Diabolo non ſunt effectus naturæ adſcribendi. 111. n. 3.

Dicere & non facere doctorum eſt. 224. cap. 21.

Diſputationes contentioſæ & cavillatoriæ. 265. cap 25.


Docti plerumq; mali. 209. cap. 20.
Excuſant excuſationes in peccatis. 213. n. 4.
Peccant graviùs quàm indocti. 213. n. 5.
Sciunt, dicunt, non faciunt. 218. & ſeqq. Item 224. cap. 21.
Meritis parum intendunt. 197. cap. 19.
Sunt ſuperbi. 234. cap. 22.
Ad regimen parùm habiles. 403. n. 11. & ſeqq.
Seipſos neſciunt. 251. cap. 23.
Doctorum vanitas. 370. n. 16.
Jactantia. 242. n. 7.
Indocilitas & pertinacia. 256. cap. 24.
Prædicatio inefficax. 388. cap. 36.
Caſus lacrymandi. 298. cap. 28.
Effluvia atomorum, ſeu inſenſibiles rerum expirationes & evaporationes. 158. cap. 14.
Elementa quot admittenda. 167. cap. 16. maximè n. 5.
Fides doctorum minùs meritoria. 311. cap. 29.
Gloria cœleſtis non ſcientiæ, ſed meritis proportionatur. 205. n. 7. & ſeq.
Humilitas ad veram ſapientiam neceſſaria. 237. n. 4. Item 415. n. 5.
Rara inter doctos. 293. cap. 27.
Jactantia doctorum. 242. n. 7.
Idearum mirabilia. 95. cap. 9.
Earum doctrina proponitur & explicatur. 146. cap. 13. Item. 185. §. 5.
Idiotarum ſors extollitur. 379. cap. 35.
Item 429. cap. 39.
Eorum peccata faciliùs quàm doctorum à Deo condonantur. 216. n. 6.
Ignorantia magìs propria homini quàm ſcientia. 20. cap. 3. & ſeqq.
Ignorantia quæ damnabilis. 383. n. 4.
Ignorantia ſui. 251. cap. 23.
Indocilitas & pertinacia doctorum. 256. cap. 24.
Invidia doctorum antagoniſta. 18. n. 7.
Librorum ſuperflua ſcriptio. 247. in Append.
Magnetiſmi varij recenſentur. 68. cap. 7.
Quomodo explicandi. 178. §. 3.
Mali non habent veram ſapientiam. 345. cap. 32.
Materialia rerum principia. 167. cap. 26.
Mirabilia naturæ & artis. 114. & ſeqq.
Naturæ & artis mirabilia. 114. n. 5. & ſeqq.
Naturæ mirabilia non neganda, nec dæmoni attribuenda. 109. cap. 10.
Quomodo poſſint optimè explicari. 171. cap. 17.
Nominales quæſtiones in ſcholis plurimæ. 261. n. 5.
Notitia ſui, vera ſapientia. 356. n. 7.
Novitas in ſententijs periculoſa. 262. n. 6.
Oratio ad ſapientiæ conſecutionem neceſſaria. 416. n. 6

Major

Major orationis vis quàm ſcientiæ. 398. *n.* 9.
Oratione plùs quàm ſtudio proficitur. 417. *& ſeqq.*
Oratio doctorũ diſtracta & tepida. 201. *n.* 4.
Simplex Deo gratior quàm docta. 424. *cap.* 38.
Prædicandum ſimpliciter. 388. *cap.* 36.
Prælati non debent occupari ſtudijs inutilibus. 403. 12.
Prælatorum inſcitia. 357. *n.* 2.
Præſumptio & calumniatio aliorum doctis vitanda 165. *n.* 4. *&* 5.
Quæſtiones inanes & frivolæ. 274. *n.* 7. *& ſeqq.*
Religioſis doctrina neceſſaria. 321. *n.* 4.
Renuntiatio pacti cum dæmone ſeu proteſtatio experimenta quædã excuſat. 111. *n.* 3.
Sapientia quæ vera, quæ falſa. 345. *cap.* 32.
Sapientiæ laudes. 345. *n.* 1.
Sapientia vera mundo deſpecta. 366. *n.* 15. *Item* 370. *n.* 16.
Sapientiam à Deo ſoli boni conſequuntur. 413. *& ſeqq.*
Sacerdotes indocti. 319. *n.* 3.
Sæcularis ſcientia reprobatur. 327. *cap.* 31.
Scientia in ſtricto ſenſu nulla datur. 20. *cap.* 3.
Scientiarum difficultas, incertitudo & falſitas. 30. *c.* 4. *& ſeqq.* 189. *cap.* 18.
Scientia facilè perit. 17. *n.* 5. *&* 6.
Scientia laus & neceſſitas. 315. *cap.* 30.
Scientia ſæcularis reprobatur. 327. *cap.* 31.
Scientia ſui ipſius optima. 251. *cap.* 23.
Scientia quæ ſit ad regimen neceſſaria. 404. *n.* 13.
Scientia nocumenta ſpiritualia. 11. *n.* 3. 4. *Item.* 197. *cap.* 19.
Temporalia. 13. *cap.* 2.
Scientia inflat. 234. *cap.* 22.
Scientia in hoc mundo valde imperfecta. 374. *n.* 1.
In cœlo conſummata. 375. *& ſeq.*
Nulla in inferno. 376. *n.* 2.
Scientia per accidens tantùm mala. 436. *cap.* 40. *n.* 1. *&* 2.
Nihilominus fugienda. 439. §. 2. *n.* 3.
Scientia & ſapientia omnis à Deo. 406. *cap.* 37.
Sciendi deſiderium. 8. *cap.* 1.
Sciendum, quemadmodum ſcire oporteat. 443. *cap.* 41.
Quo ordine. 444. §. 1.
Quo ſtudio. 445. §. 2.
Quo fine. 446. §. 3.
Scire & non facere damnabile. 218. *& ſeqq. Item. cap.* 21.
Scriptura ſacræ ſtudium. 336. *n.* 8.
Scrutatio rerum divinarũ noxia. 280. *cap.* 26.
Sententiarum varietates & diſcordia. 256. *n.* 1.
Sententiarum multarum in ſcientijs abſurditates. 34. *n.* 4.
Sententiarum novitas periculoſa. 262. *n.* 6.

Digitized by Google

Sententijs proprijs non nimis adhærendum. 258. n. 2. & 3.
Sententiæ alienæ percipiendæ, nec ſtatim explodendæ. Ibidem.
Simplicitas ſapienter indocta non contemnenda. 379. cap. 35. Item. 429. cap. 39.
Simplicium prædicatio efficax. 388. c. 36.
Maximè quæ fit per miracula. 396. n. 8. & 10.
Spiritûs mundi ſententia expenditur. 129. cap. 11. & ſeqq.
Spiritus in ſenſu ſtrictiori acceptus, per quid à corpore differat. 184. n. 4.
Subtilitas nimia reprobatur. 278.
Studiorum contemptus. 379. cap. 35. & ſeqq.
Studioſorum magnus valde numerus. 9. n. 11.
Superbia doctorum. 234. cap. 22.
Sympathiæ quomodo explicandæ. 175. §. 2.
Earum varia exempla recenſentur. 53. cap. 6.
Timor Domini vera ſapientia. 355. n. 4.
Termini exotici in ſcientiis vitandi. 164. n. 3.
Veritatem pauciſſimi tenent. 38. n. 6.
Veritas extra fidem nulli pro certo comperta. 189. cap. 18.
Veritas authorum ipſam tenentium vitio quandoq; ſuppreſſa. 163. cap. 15.
Virtuti ſcientia conjungi debet. 223. n. 11.
Eſt tunc vera ſapientia. 357. n. 10.
Vita bona ad ſapientiam neceſſaria. 413. & ſeqq.
Imò ipſa eſt vera ſapientia. 358. n. 11.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google